Tax. lib.

Pulcra declaratio de contingentia effectus.

quando effectus fit tunc potest non fieri: q2 causa et vt causat est prior effectu: vt p3 a Doctore in·2·di·j· Causa vero naturalis quando causat effectum sic de necessitate causat illum: q2 talis effectus non potest non fieri: potest tamen dici contingens: q2 in se nō est necessarius et sempiternus. Sed non potest dici contingenter productus: quia non potuit non causari stā te perfecta dispositione cause et passi. ¶ Ibi. Nunc dico q2 plus rc. ¶ Sensus huius littere est. quia fm Aristo. xij. metha. Intelligentia applicata orbi suo necessario mouet illud: ergo ille motus erit simpliciter necessarius. et sicut totus est simpliciter necessarius: ita et quelibet pars eius cum totum non possit eē necessarium partibus non necessario existentibus. Et sic illa pars motus in circulo obliquo vel alibi necessario causabit effectum. cum sit agens mere naturale sine motus causat sine natura cuius est talis motus. vt puta natura solis quod magis videt. Nō. n. credendum est motum posse causare substantiam: s3 quia per motum sol fit in alia et alia parte circuli obliqui: quia in vna parte signi potest esse causa generationis alicuius effectus. et in alia parte non poterit eē causa generationis eiusdem: et tn̄ ipse sol de necessitate causat. ¶ Secundum preambulum ad infinitatem primi effectum ostendendam est: q intellectio et volitio primi effectum non est aliud ab essentia ipsius. ¶ Et probat. Ibi. Nunc vlterius. Et ratio ista stat in hoc. rз. q deus dicit causa finalis vt est actu amatus a voluntate sua: et causatio cause finalis est metaphorice siue intentionaliter mouere voluntatem suam ad producendum effectum. ergo ad hoc q vo/luntas diuina producat effectum necessario presuppo/nit causalitatem vltimi finis et eius causationem. i. q necessario presupponit amorem finis: aliter non produceret propter finem: tunc arguitur sic. Omne simpliciter incausabile et improducibile necessario est idem primo effectiuo. patet supra. quia omne tale est simpliciter independens et est a se et probatum est q tantum est vnum primum incausabile. sed amor quo voluntas diuina amat deum est huiusmodi: patet quia si ille amor est causatus ergo est causatus a vo/luntate diuina: ergo ab ipsa amante deum: ergo ille amor causatus presupponit alium amorem respectu finis amati. vel ergo erit processus in infinitum in amoribus qđ est inconueniens vel standum est ad primum amorem quo voluntas diuina amat deum: et sic erit penitus incausabilis et independens: et vt simpliciter idem qđ primum effectiuum: et sic patet sensus huius rationis. ¶ Ibi. Hoc ostendit Aristo. xij. methaphisice et infra. Iste rationes philosophi possunt declarari. ¶ Pro declaratione huius littere supponenda est primo differentia potentie actiue et factiue. Nam potentia actiua proprie dicitur illa cuius opus recipitur in illa. Et factiua cuius opus recipitur in materia extrinseca. Exemplum primi. Intellectus est potentia actiua: et operatio intellectus puta intelligere recipitur in ipso intellectu. Exemplum secundi. Ignis est potentia factiua: quia productum ab igne recipitur in materia extra. sed de differentia ista patebit infra presenti distinctione parte secunda: et diffusius patet a Doctore in quolibe. q. xiij. Intellectus ergo proprie dicitur potentia actiua. ¶ Secundo dicit q vltima perfectio entis in actu primo est in actu secundo vt vnitur optimo. Actus primus est principium operationis. Actus vero secundus est ipsa operatio. et potentia operatiua non potest vniri optimo

Motus nō pōt substātiam cāre.

Pulcheria nō Scoti et egregie declarata.

Dña inter potētiā actiuam et factiuam.

obiecto nisi mediante operatione sua: vt patet de potentia visiua que nullo modo vnitur perfectissime visibili nisi mediante visione illius. Ideo Doctor vult in. j. distin. j. q. j. q duplex est perfectio potentie operatiue. vna extrinseca que est obiectum perfectissimum illius potentie. alia intrinseca que est operatio optima qua potentia attingit tale obiectum. Et sic potentiam vniri obiecto mediante operatione nihil aliud est nisi ipsam attingere obiectum per operationem: vt patet a Doctore in quolibe. q. xiij. et in. iiij. distin. xlix. Et sic perfectio optima perfectissime potentie est operatio perfectissima illius: et talis dicitur esse que terminatur ad optimum obiectum: et sic vltima perfectio intellectus diuini erit cognitio essentie diuine. Si ergo talis cognitio esset realiter distincta ab intellectu diuino siue ab ipso deo: tunc optimum illius essentie esset aliud: quod est incōueniens: quia sequeretur q substantia primi posset existere sine sua vltima perfectione: vt possit probari per propositionem doctoris in. j. distin. j. q. iij. et in. 2. distin. xij. q. ij. vз. Absolutum prius alio et realiter distinctum ab illo potest esse sine posteriori rc.

extrinseca.
intrinseca.

Intelligere primi nō ē aliud ab illo.

In ista tamen littera

doctoris videtur q sibi contradicat. Primo in hoc quod dicit intellectum eē potentiam actiuam. Nam infra parte secunda huius distinctionis productum in esse simpliciter ab intellectu diuino non est in ipso intellectu: ergo non potē/tia actiua. ¶ Simuliter expresse vult in. ij. distin. x. de locutione angelorum q intellectus vnius angeli potest causare actum intelligendi in intellectu alterius angeli: et similiter speciem intelligibilem. patet et de intellectu diuino q actu suo producit obiecta secundaria in esse fm quid: vt patet a Doctore in. j. distin. 3. q. iiij. et. xxxv. distin. et. xxxvj. et. xliij. et in. 2. distin. j. q. j. et diffuse in quolibetis. q. xiiij. et tamen illa obiecta secundaria non sunt formaliter in intellectu diuino. ¶ Respondeo q non habeo pro inconuenienti eandem potentiam respectu diuersorum terminorum diuersimode appellari. Nam si terminus productus est extra: ipsa dicetur productiua. vt. n. intellectus producit aliquid quod vere recipitur in materia extrinseca respectu illius potest dici potentia factiua. vt vero producit aliquid qđ non recipitur formaliter in ipso intellectu: nec in aliqua materia extrinseca: sed illud productum est in se subsistens tunc dicitur potentia productiua. vt patet a doctore infra parte scđa huius distinctionis. vt vero producit aliquid vel quasi producit qđ tantum est in ipso formaliter dicitur potentia operatiua siue actiua. vnde doctor infra parte secunda et distin. j. q. j. scđi. vult expresse q intellectus dicatur ex parte intellectionis potentia operatiua: et respectu filij producti in diuinis potentia productiua.

Contradictio apparens.

Solutio.

Secunda difficultas

est in hoc qđ dicit q vltima perfectio primi entis est in actu secundo quo coniungitur optimo. Non enim aliquid vnitur alteri: nisi includat relationem qua formaliter dicitur vniri terminatam ad illud cui vnitur et coniungitur. Unde doctor expresse. q. xiij. quoli. vult q operatio beatifica includat de necessitate relationem realem terminatam ad obiectum vt existens est. ¶ Et in hoc videt sibi cōtradicere. Quia. q. preallegata vult q actus beatificus intellectus diuini nullam relationem includat terminatam ad ipsam essentiam que est obiectum beatificum: et non tantum relationem realem: se

Alia difficultas.

Apparēs dicit

10.

q: per causam:tum q: actus intelligendi specificatur ab obiecto·vt patet a Doc·in·1·d·3·q·7·tum. ēt quia obiectuꝫ cōcurrit actiue ad intellectionē: vt pꝫ a Sco· in prolo·q·1·⁊ vlti·⁊ d·3·q·7·⁊ alibi·sepe· ¶ Dico breuiter q̄ hoc verū est de obiecto ex nā rei ptinente ad memoriā qd̄ est motiuū intellectus sed huiusmodi itelligibilia respectu intellectus diuini nō sunt obiecta ex nā rei.nec p cōsequens pñt mouere intellectū diuinū·sola·n·eēntia diuina mouet intellectū diuinū (loquēdo de motiōe tñ extensiua q: nō proprie monet) ad cognitionē sui ⁊ aliorū vt clare pꝫ a Doc·i p/lo·q·penul·⁊ d·39·primi ⁊ alibi sepe·

2·Dubitatio· **Secundo dubitatur** q: nō videt sequi q̄ si intelligere primi est infinitoꝝ obiectorū: ergo est infinite pfectionis·Sicut ēt fm multos nō sequitur primū effectuū vt causa equoca simul virtualiter cōtinet infinitos hoies:ergo est infinite pfectionis: nō sequitur vt dixi·3·Opporteret ergo hic probare q̄ intelligere primi virtualiter cōtinet vel eminēter infinitas intellectiones quaꝝ quelibet specialē includit pfectionem in intelligere primi:⁊ hoc nō pōt esse nisi ille intellectiones spē distinguant·Nam si tñ numero: videt sequi q̄ si intelligere primi sit pfectū vt·8·⁊ pfecte sit vnius hois:ita videtur q̄ ēt infinitoꝝ hominū: pꝫ q: intellectio puta Francisci nata est esse vt quattuor ⁊ filii Johānis vt quattuor:⁊ sic de aliis:nō sic qñ spē distinguuntur:q: vna necessario est pfectior alia·

Respōsio· ¶ Respōdeo pariformiter ad dic͡ superius q̄ maior pfectio requirit in aliq intellectione q̄ ex nā sua eqꝫ distincte ⁊ eqꝫ pfecte simul est duoꝝ obiectorū solo nūo differentiū sicut est vnius tñ: ⁊ si infinitoꝝ eqꝫ perfecte: erit infinite pfectionis:q̄uis ergo vnū intelligere possit esse pluriū obiectoꝝ non tñ eqꝫ pfecte sicut vnius tñ non requirat necessario maiore pfectionē: nō tamē sic est qñ ita bene ⁊ ita pfecte ⁊ ita distincte est plurium sicut vni? tñ:i proposito āt intelligere primi eqꝫ bene ⁊ eqꝫ pfecte ⁊ eqꝫ distincte est infinitoꝝ intelligibiliū solo nūo differentiū sicut vni? tñ ergo.

Intellect? diuin? actu itelligit spēs infinitas· ¶ Dico 2º q̄ nō haberē pro incōuenienti q̄ intelligere primi sit actu infinitoꝝ obiectorū spē differentiū ēt sufficiēdo viam nāliū: q: in numeris est pcessus in infinitū:⁊ quilibet nūs spē distinguit ab alio nūo: ⁊ cū infiniti numeri sint successiue intelligibiles ab intellectu creato.infinite erūt spēs numeroꝝ actu intelligibiles.imo actu intellecte ab itellectu diuio: sed hoc differat vsqꝫ ad di·39·huius primi· ¶ Ibi. Consimiliter ēt de ipsa rōne intelligendi ⁊c· ¶ Hic Doc·intendit pbare q̄ ēt rō intelligendi respectu intellect? diuini sit formaliter infinita· Sed primo declaro quid sit rō intelligendi:eodē modo pōt declarari ratio intelligendi sicut declaratum est de rōne formali subiecti· Quando hic Doc·dicit rō formalis intelligendi debet sic accipi·vꝫ·p rōne formali obiecti itelligibilis· sicut dicimus hō est obiectum intelligibile·Si queratur que est rō formalis cōstituendi ipsum in tali eē:

Rō formalis itelligendi· Oppotebit dicere q̄ erit qditas ppria· Rō ergo formalis intelligendi est rō formalis obiecti intelligibilis:⁊ hec pōt dupliciter intelligi conformiter ad obiectum·Primo dr ratio formalis representatiua obiecti·i·que facit obiectum esse pñs potentie in rōne obiecti. Sicut dicim? q̄ spēs intelligibilis est rō formalis rēpsentandi hoiem in rōne obiecti intelligibilis:⁊ hoc in cognitione abstractiua.in cognitione vero intuitiua dicimus q̄ rō formalis representatiua hois erit

Rō representādi duplex est· ppria existentia hois· ¶ Nota tñ q̄ rō representādi est duplex tam in cognitione abstractiua q̄ꝫ in cognitione intuitiua·vꝫ formalis ⁊ virtualis·vt pꝫ a Doc· q·xiiij·quoli· formalis i cognitiōe abstractiua ē spēs intelligibilis causata ab obiecto cuius est:vel a phantasmate illius·Uirtualis est spēs intelligibilis causata ab aliquo virtualiter cōtinēte entitatē obiecti cui? est talis spēs· Sed formalis ī cognitiōe intuitiua est ppria entitas sub rōne qua actu existit obiecti intuitiue cognoscibilis·Sed virtualis est entitas virtualiter siue eminēter cōtinens entitatē alterius obiecti intuitiue cognoscibilis:q: tunc imediate pōt causare cognitionē intuitiuā talis obiecti:⁊ sic essentia diuina ē

Q̄ño essentia diuina ē rō rpsentatiua sui ⁊ cuiuscūqꝫ alteri? rō formalis non tñ representatiua sui in rōne obiecti sed cuiuscūqꝫ alterius tam respectu cognitionis abstractiue q̄ꝫ intuitiue:sic tñ intelligendo q̄ respectu intellectus sui ex nā sua est tñ sui representatiua:⁊ hoc solum respectu cognitionis intuitiue: respectu vero intellectus creati essentia diuina nec sui nec alterius est representatiua·vt pꝫ a Doc·q·xiiij·⁊·xv·quoli· Sed sola voluntas diuina pōt ipsam pfecte representare tam in cognitione abstractiua causando spēm intelligibilem in intellectu creato:vt pꝫ in angelis: de q spē Doc·in·2·d·3·q·9·q̄ꝫ ēt in cognitiōe intuitiua: ⁊ tūc dr representare in cognitione intuitiua qñ actu causat visionē illius in intellectu creato : ⁊ sic intellectus creatus hꝫ ipsam essentiā pñtem non in se ⁊ absolute:sed vt visam·vt pꝫ a Sco·in quoli·q·14·⁊·xv·Secūdo principaliter rō intelligendi siue rō obiecti intelligibilis pōt accipi pro rōne formali pductiua actus intelligendi:⁊ hec ratio posset pariformiter distigui sicut prima:sed breuitatis causa hoc relinquo:vtraqꝫ tñ ratio includit pfectionē aliquā· Posset ergo argui infinitas essentie diuīe primo ex hoc q̄ est rō formalis representādi infinita obiecta in cognitione abstractiua.q: quātum est ex parte sua posset causare infinitos spēs intelligibiles infinitoꝝ hominū:⁊ sic eēt formaliter infinita:probat·n·Doc·in·2·d.3·q·9·q̄ Item·n·q̄ si aliquis hītus esset representatiuus infinitoꝝ obiectoꝝ esset formaliter infinitus · Scd̄o probatur idem ex hoc q̄ est ratio formalis cuiuscūqꝫ obiecti itelligibilis quātum ad hoc q̄ pōt causare cognitionem tam abstractiuā q̄ꝫ intuitiuā cuiuscūqꝫ intelligibilis:⁊ sormet ratio vt prius· ¶ Ibi·Scd̄o iuxta istā viā· ¶ Tota ista ratio stat in hoc· Potens cāre cognitionē infinitoꝝ obiectorū quorū qdlibet requirit aliquā pfectionem dicit spetialem pfectionem vt est ratio formalis causandi intellectionē sui in aliquo intellectu est pfectionis īfinite.⁊ hoc si pōt causare eqꝫ distincte ⁊ eqꝫ pfecte sicut obiecta illa possent causare·Sed essentia diuina in intellectu diuino est huiusmodi:q: actu pducit siue qsi producit non tñ cognitionē sui sed simpliciter cognitionem oīum intelligibiliū·Hec est manifesta ex supradictis·

Dubitatō **Sed dubitatur q:** ex hoc videt posse cōcludi q̄ itellectus creatus sit formaliter infinitus sicut aliq ꝯ doc· instant:q: supponendo qd̄ dicit Doc·in·d·3·q·7·primi ⁊ in·xv·q·quoli·q̄ intellectus cōcurrat actiue ad cognitionem oīum obiectorū ēt spē differentiū loquēdo p nunc de obiectis creatis.tunc sic si ponerent in vniuerso infinite spēs intellectiones illarū essent spē distincte·vt pꝫ:⁊ essēt infinite si actu intelligerent ille spēs ita q̄ quelibet cōcurreret ad sui cognitionē:ergo videtur q̄ intellectus creatus virtualiter cōtineat infinitas intellectiōes spē distinctas· ⁊ sic erit formaliter infinitus·

Respōsio ¶ Dico q̄ si cōtineret illas vt causa to

talis posset concludi infinitas illius: sed tantum continet et ut causa partialis. ¶ Si dicatur q saltez continet illas ut causa principalis. Concedo comparando intellectum ad obiecta imperfectiora: qz si obiectum esset perfectius intellectu esset principalius causa intellectionis. ut pz a Doc. in. i. d. 3. q. i. tunc ultra si cotinet ut causa principalis. ergo videtur q sit infinitus: patet pntia. qz entitas specifica intellectionis principaliter erit ab intellectu cu sit causa principalis. ¶ Dico primo q no est veru nisi de causa totali. ¶ Secudo dico q qzuis intellectus sit principalis ca intellectionis et quatum ad substantia illius et quatum ad intensione tn unitas specifica intellectionis est principaliter ab obiecto. ut pz a Doc. in. i. d. 3. q. 7. ubi vult q intellectio specificet ab obiecto. imo vult expresse Doc. i. 2. d. 25. et in. 3. d. 21. et in. 4. d. 49. q alia et alia pntia obiecti causat aliu et aliu actum spe distinctu. Naz si obiectu est in se pns causat cognitione intuitiua: si vero est tn pns in spe intelligibili causat cognitiones abstractiua que cognitiones spe distinguunt: ut patet a Doc. d. 25. scdi. et tn semp remanet idem intellectus respectu utriusqz intellectionis: specificatio ergo intellectionis est ab ipso obiecto principaliter.

Tertia via. Hic Doc. p rationem finis probat primu effectiuu esse infinite perfectionis et ratio stat in hoc. qz appetitus naturalis nullo mo est ad impossibile ut pz a Doc. in. 4. d. 45. Sed voluntas nalis naturaliter appetit infinitu bonu. ut pz. qz dato quocuqz bono finito no sime quietat: nam si bonu infinitu non esset coueniens voluntati nali statim illud refugeret cuius oppositu experimur. ¶ Dico et q loquendo de voluntate ronali sic experimur in nobis q sine quocuqz habitu acqsito vel infuso valde delectabiliter appetit: et vult actu elicito i ente infinito getari: qz dato quocuqz ente finito adhuc delectabiliter appetit infinitu. Nec iudicio meo soluut ronem Doc. illi q dicunt rndendo ad hanc ronem Doc. q oporteret prius pbare ens infinitu esse possibile ad hoc ut appetitus nalis possit illud appetere: et similiter cum dicunt de appetitu ronali q ro Doc. non cocludit: qz voluntas pot esse impossibiliu: ut pz. 3. ethicoru. c. 5. et hoc expsse vult do. in. 2. d. 5. et in. 4. d. 49. De appetitu nali no est necesse pbare illi an appetibile ab ipso sit possibile cu talis appetitus simpliciter pcedat oem cognitionez: ut pz a Doc. in primo metha. et in. 2. et in. 4. sententiaz. ¶ Preterea cu inclinatio nalis sit maior quacuqz inclinatione cuiuscuqz habitus. ut pz a Doc. in. 4. di. 49. et valde inclinamur ad bonu infinitum sequit q tale bonu est possibile in rez na. ¶ Et cum ultra dicunt q et volutas ronalis est impossibiliu: verum est loquedo de volitione coditionata siue de volitioe no efficaci: ut Doc. declarat in. 2. d. 5. et in. 4. d. xlix. sed loquedo de volitione sequete sillogismu practicu siue de volitione efficaci no est respectu ipossibiliu ut pbat Doc. ubi. s. cum ergo intellectus ex na intellect? habeat eius inquatu eius p obiecto adequato saltem ad qd naturaliter inclinatur: ut patuit in. q. i. prolo. et Doc. declarat in. xiiii. q. quoli. cum intellect? ergo non abhorreat bonu infinitu imo delectabiliter illi assentiat: sequitur q volutas sequedo talem cognitionem intellectus inmolendo huiusmodi bonu non erit respectu impossibilis sed respectu possibilis.

Quarta via ex parte eminetie. Hec ratio stat in uno principali. vz. q infinitas intensiua no repugnat entitati: quo presupposito sequitur q primum eminentissimu non erit perfectissimu ens nisi sit infinitum. qz finitum pot excedi ab infinito et sic no erit pfectissimum: et pz littera. Et q infinitas no repugnet entitati Doc. sic persuadet. ibi. Maior huius pntie &c. ¶ Et dicit primo q no pot ostendi a priori q infinitas copetat enti vel q no repugnet entitati. pz in simili: qz sicut repugnatia ex suis ronibus propriis repugnat nec pnt per aliqd manifestius pbari: pz de ptriis: quare. n. duo ptria repugnant simul in eodem: hoc no pot probari p aliquid notius qz per rones terminoz. ut puta qz albedo est talis ne et nigredo talis q adinuicem repugnat i eodem: sic no repugnatia siue copossibilia no videntur p aliquid notius pbari qz per rones terminoz puta qz hoc est tale et illud tale: et ens at p nihil notius explicatur et infinitu intelligimus p finitu. ut pz in littera: et sic deducit principale intentu: qz oe copossibile e ponendu cuius no apparet incopossibilitas. sed q entitati copetat infinitas no apparet aliqua incopossibilitas: qz si aliqua appareret maxime hoc eet vel qz finitas est de rone entis: vel passio couertibilis cu ente. q sit de rone entis hoc no videtur: qz tunc no opporteret inquirere an aliqd ens sit infinitu: qz manifestu esset qdlibet ens esse simpliciter finitum: nec est passio entis: ut pz: qz passiones entis couertibiles cum illo sunt naliter note. ut pz de unitate bonitate &c. Rationes sequetes sunt clare in littera usqz ibi. Per illud pot colorari illa ratio Ansel. ¶ Hic Doc. exponit illa auctoritate Ansel. que talis est deus est quo maius cogitari no pot: et exponit sic deus est summum cogitabile quo cogitato sine pdictione maius cogitari no pot sine pdictione: et q debeat addi sine pdictione pz: qz si tale cogitabile includeret pdictione sicut dicimus de chimera: tunc non eet unu cogitabile cum una pars nn possit pbere altam cum sint oino incopossibiles. ut patebit. i. a Doc. in. d. 3. in. q. de vestigio trinitatis. ¶ Ibi. Summum cogitabile pdictu sine pdictione esse in re &c. ¶ Hic pbat Doc. q illud cogitabile summum sit in re: et primo quatum ad esse qditatiuu siue quantu ad esse obiectiuu qd idem est: qz in tali ente qditatiuo sime quiescit intellectus loquedo de cognitione abstractiua q cognitio abstractiua terminatur tm ad ens in esse obiectiuo siue qditatiuo: no ad ens inquatum existit. ut pz a Doc. in multis locis. ¶ Deinde pbat q illud summum habeat veru esse existentie: qz si illud summum tm haberet esse in intellectu cogitate esset pdictio: pz qz illud est magis pfectum qd est in re qz illud qd tm habet esse in intellectu cogitate. ut pz. Summum ergo cogitabile a nullo pot causari et a nullo dependet. et ex alia parte si tm esset in intellectu cogitate tunc dependeret a tali intellectu qd est pdictio. ¶ Ultimo infert de summo cogitabili. ibi. Vel aliter coloratur: et ratio stat in hoc q illud est pfectius cognoscibile siue cogitabile qd pot cognosci cognitione intuitiua qz illud qd tm pot cognosci cognitione abstractiua: sed cognitio intuitiua terminatur ad rem existentem inquatum existens. ergo summum cogitabile erit actu existens.

Ultimo. Hic Doc. iducit rone alterius Doc. qua nititur probare primu esse infinitum tota ista lra clara est. et qd dicit infra de fallatia pntis. Corp? finit ad corpus: ergo qd non est ad corpus est infinitu: dr q est fallatia pntis. non. n. sequitur Oe corpus terminatu ad corpus est finitu: ergo corpus qd non terminatur ad corpus erit infinitu: non sequitur: et patet instantia. qz primu celum no terminatur ad

Clara deductio q enti copetat infinitas.

Tho. i. parte. sir. q. 7. arti. pri.

...chill. Bo...oni.

bente talem intellectum: ⁊ sufficit intellectui diuino q̄ habeat notitiā q̄ pfectissime intueat̄ essentiā suā. ¶ Contra q2 adhuc stat ratio doc. q2 si intellect⁹ nō est simplr̄ ratio ꝑducendi notitiā essentialē ⁊ hoc ꝑfectionis ē non includentis necessario aliquā impfectionē: multo magis intellect⁹ diuinus in quo oīs ꝑfectio non necessario includit imꝑfectionē ꝑfectissime ⁊ formalr̄ repit̄ poterit eē ratio producēdi: si dico sīn qd sed simplr̄ notitiā essentie diuine: ⁊ sic cum talis notitia sit vere producta erit necessario in se subsistens. vt patuit. ¶ Ibi. Exēplum huius pz: q2 si in intellectu nr̄o esset ꝯcreata vel ꝯsubstātialis notitia sui sīn q̄ quidā intelligunt Augu. de notitia condita .14. de tri. Exēplum hoc est valde ad propositum: q2 posito q̄ aīa habeat notitiā sui ꝯcreatā ⁊ ꝑ ꝯn̄s ingenitā: tn̄ si ipsa aīa p̄t habere aliqd obiectū puta actu intelligibile: ⁊ aliqd passiuum sibi approximatum: puta q̄ ipe intellect⁹ ⁊ ipsa aīa in rōne obiecti intelligibilis sunt pfecte p̄ntes alteri intellectui: lz si possit ꝑducere notitiā sui cum habeat illā vt ꝯcreatā: tn̄ erit rō producēdi notitiā sui in alio intellectu in quo p̄t recipi: ⁊ de hoc diffuse patebit a Doc. in. ij. d. 9. de loquutione angelorum. Nā ibi hr̄ posito q̄ angelus pfecte cognoscat se tn̄ approximat⁹ intellectui alterius angeli: ipse angelus in ratione obiecti p̄t cāre notitiam sui in intellectu alteri⁹ angeli: vt diffuse ibi glosam. Sic dico in proposito q̄ q̄uis intellect⁹ diuinus habeat notitiā ingenitā essentie diuine: hn̄s tn̄ essentiā diuinam vt obiectū p̄ns in ratione intelligibilis poterit vere ꝑducere notitiā: itaq̄ eēntia diuina ꝯcurrat in ratione obiecti: talis notitia erit vere genita ⁊ non poterit eē formalr̄ in supposito producēte illā p intellectum: cum habeat aliā ingenitā q̄ pfectissime cognoscit essentiā: nec talis notitia poterit recipi in alio itellectu creato. vt pz q2 talis notitia erit adeq̄ta essentie diuine formalr̄ infinite de qua ꝑducit̄: ⁊ sic infinite. vt pz p̄nti. d. ⁊. j. d. 2. ⁊. 38. ⁊. j. ij. d. 1. q. 1. ⁊ in quolī. ⁊ alibi sepe. Modo notitia infinita nō p̄t recipi in intellectu limitato ⁊ finito: ergo talis notitia genita erit p se subsistens qd est ꝓpositū: ⁊ sic dz intelligi lr̄a doctoris. ¶ Ibi. Ad ꝯfirmationē illius glose. ¶ Confirmatio illius rōis erat ista: q2 si in diuinis poneret̄ notitia genita frustra poneret̄: q2 notitia ponit̄ ad hoc vt intellect⁹ pficiat̄ tali notitia: vel suppositū hn̄s intellectum pficiat̄ illa notitia: ⁊ in nobis intellect⁹ nr̄ vere pficit̄ notitia genita: q2 realr̄ distinguit̄ ab illa ⁊ est in potētia receptiua ad illā: sed si notitia genita poneret̄ i diuinis intellectus diuin⁹ vel suppositū hn̄s huiusmōi intellectū non posset ꝑfici ab illa: q2 tunc eēt in potētia receptiua ad illā: q2 eēt realr̄ distincta a tali supposito: sed suo mō intellect⁹ diuinus vel suppositū hn̄s intellectum dr̄ pfectus p notitiā ingenitā eādē sibi realiter: ⁊ sic pz q̄ talis notitia genita frustra poneret̄ in diuinis. ¶ Ad hāc ergo instātiā siue ad ꝯfirmationē rn̄det Doc. Ibi. Ad ꝯfirmationē illius glose. Et nota hanc rn̄sionē satis singularē q̄ clara est in lr̄a: nec indiget aliq̄ expositiōe. ¶ Ibi. Cum āt arguit̄ post de impossibilitate. ¶ Nunc Doc. rn̄det ad scd̄am ptē illius ꝯfirmationis. prima pars erat q̄ talis notitia genita poneret̄ frustra q̄ soluta est. scd̄a ps q̄ erat ipossibile ponere talē notitiā genitā q̄ impossibilitas duplici rōne ꝓbat̄ ibi. Prima stat in hoc q̄ ex quo itellectus diuinus hz notitiā essentie diuine q̄si ꝑductū: ⁊ talis notitia in rōne q̄si ꝑducti adeq̄tur intellectui diuino vt p̄ncipio q̄si productiuo: si sic ergo non pōt habere vlteriorē notitiā genitā essentie diuine: q2 illa alia esset sibi adequata in ratione producti qd videtur impossibile. Secūda rō ipossibilitatis erat. Ibi. Scd̄o probat̄: q2 intellectus est potētia actiua nō factiua ⁊c. Et ꝑ ꝯn̄s non p̄t producere huiusmōi notitiā: q2 tunc esset receptiu⁹ eiusdem: ⁊ sic esset in potētia receptiua qd est impossibile: q2 hoc esset imꝑfectōis. ¶ Ad istas duas rōnes rn̄det Doc. Ad primā ibi. Cū āt arguit̄ post de impossibilitate dico ad oppositū. ¶ Et rō stat in hoc supponēdo vnū q̄ sicut impossibile est idē principiū q̄si ꝑductiuū notitie genite habere duo q̄si ꝑducta sibi adeq̄ta siue duas notitias q̄si ꝑductas respectu eiusdē obiecti sibi simplr̄ adequatas, sic est ipossibile idem p[ri]ncipiū vere ꝑductiuum habere duo vere ꝑducta: puta duas notitias vere ꝑductas simplr̄ sibi adeq̄tas respectu eiusdem obiecti. Sz nō est impossibile q̄ si hz vnum q̄si productā sibi adeq̄tam q̄ nō possit habere aliā vere ꝑductam sibi adeq̄tam: ⁊ iō argumētum est ad oppositū: q2 stante prima q̄si producta adhuc est p[ri]ncipiū vere ꝑductiuum alicuius notitie vere ꝑducte. ¶ Ad scd̄am rōnem rn̄det. Ibi. Cum arguit̄ vlterius de actiuo ⁊ factiuo. ¶ Et [i]sta hanc rn̄sionem: dicit. n. Doc. q̄ potētie vere prod[uctiue] accidit q̄ dicatur actiua vel q̄ dicat̄ factiua: q2 [hoc] nō est ex rōne formali potētie ꝑductiue sz accidit sibi ex aliquo posteriori: q2 si effectus productus nat⁹ sit tn̄ recipi in ipso ꝑducente dr̄ potentia ꝑductiua actiua. Si vero effectus ꝑductus tn̄ sit natus recipi in mā extrinseca dr̄ potentia productiua factiua. Nā potentia productiua hz nūc productum ꝑ termino ⁊ tn̄ respicit illum q̄ nō productū recipiat̄ in ipso producente vel in mā extrinseca hec nō est ex rōne formali producti ⁊ producti vel producentis vt producentis: sed ex rōne accidentali ⁊ vide doctorem in. q. 13. quolī. vbi diffuse declarat diffīam potentie actiue ⁊ factiue. Si vero potentia ꝑductiua habeat productū in se subsistens ita q̄ in nullo recipiat̄: tunc talis potentia tn̄ dr̄ productiua: ⁊ sic est in proposito: q2 memoria fecunda in diuinis est tn̄ productiua notitie genite: q2 talis notitia genita nō est nata recipi in aliquo tanq̄ in subiecto sz erit in se vere subsistens: ⁊ sic pz ista in filio quam bene nota. Stat ergo rō prima doctoris i robore suo ⁊ rōnes posite ꝯ fuerūt pro maiori declaratiōe minoris prime rōnis.

Secunda rō principalis q̄ Doc. ꝓbat productionē esse i diuinis ē ibi. Scd̄o principalr̄ ad rōnem principalem ⁊c. ¶ Et ꝓ intelligentia hui⁹ rōnis q̄ est satis difficilis aliqua sunt notāda. Primo declarabo terminos: postea declarabitur rō de verbo ad verbum. Dico ergo q̄ intelligentia aliqñ accipit̄ pro portiōe superiori intellectus q̄ tn̄ respicit eterna: ⁊ sic angeli dicūtur intelligentie vt viuēti eternis ꝑ actū intelligēdi. Aliqñ accipitur ꝓ intellectu informato cognitiōe obiecti. Aliquādo pro cognitiōe sola producta ⁊ hoc duplr̄. s. vel pro notitia siue cognitiōe producta nō in se subsistente sz tn̄ habente esse in intellectu producēte ⁊ re. lr̄ pficiente ips[um] cuiusmodi est in nobis: vel ꝓ notitia in se subsistente ⁊ ꝑ se stante: ⁊ talis intelligētia accipitur in proposito q̄ nihil aliud est nisi filius siue verbū diuinū. Scd̄o ē notādum q̄ notitia aliquādo accipitur pro potentia memoratiua q̄ est intellect⁹. vt pz a Doc. in. 4. d. 45. ⁊ hoc nō non accipitur hic. Aliquādo accipitur pro principio productiuo notitie actualis: ⁊ sic memoria includit nūc intellectū ⁊ obiectū pñte pſens vt duo principia partialia respectu notitie genite: ⁊ insimul sunt vnū totale ⁊ tale proprie dr̄ memoria. Tertio ē notā-

Hen. quo/li. 9. q. 15. Varro. li. 1. d. 3. q. 1.

Hec rō[nis] ... multū in... cata ifra

Accipitur intelligentia multipliciter

Varijs ... dis sunt co[gnitio] ... tur notici[a] ... possi... e cy... s ge.

dum q differentia est inter principium productiuum et quod et principium productiuum quo: et hoc loquendo in diuinis ad in tra. Nam principium productiuum quod semper distinguitur realiter a producto· vt patet in diuinis quod est principium quod distinguitur realiter a filio· principium vero quo (quod est ipsa memoria) tantum distinguitur vel ratione vel ex natura rei a filio: et idem principium quo vt in patre est ratio concipiendi est filio: et idem ergo memoria vt in patre dicitur principium concitatiuum sui: et vt in filio dicitur concitatum· et inter concitans et concitatum tantum est distinctio rationis· Quarto est notandum q in nobis obiectum aliquando tantum habet esse in intellectu et in notitia eiusdem obiecti secundum quod: quia quando est praesens intellectum tantum per speciem intelligibilem. tunc est praesens tantum secundum quod: et similiter quando intelligitur vt sic praesens habet esse secundum quod in tali cognitione abstractiua: et vltra hoc semper est differens vel ab vtroque quando obiectum non est ipsemet intellectus: vel saltem a notitia quia semper distinguitur realiter ab obiecto· Si vero obiectum sit in se praesens tam intellectui quam notitie producende tunc habebit esse simpliciter ibi: cum non sit ibi secundum similitudinem tantum sed secundum propriam existentiam: tamen habet esse differens realiter vel ab vtroque quando scilicet ipse intellectus non est obiectum saltem vel saltem a notitia intuitiua semper distinguitur realiter: in deo autem essentia diuina et est perfectissime praesens intellectui in patre et perfectissime existens in intelligentia ·i· in verbo diuino· et notitia realiter differens nec ab intellectu in patre nec ab intelligentia ·scilicet· a filio siue verbo in patre vt in verbo dat esse simpliciter illi· Dicitur ergo sic· Obiectum vt in memoria ·i· vt pars memorie (quod vt dixi) consistit ex intellectu et obiecto praesente: producit seipsum vt est in intelligentia ·i· quod concitat seipsum vt est in intelligentia ·i· vt est in verbo habet esse proprie concitatum et non in patre est ratio concitandi se: et hoc est quod dicit· vel est ratio producendi seipsum vt est in intelligentia referendo ·scilicet· quod vt est in patre est ratio concitandi et vt in filio habet esse concitatum· Sequitur· Quantum obiectum etc· Clarum est ex dictis si memoria esset perfecta quod tunc esset quando ·scilicet· obiectum et intellectus sunt simpliciter idem: et obiectum perfectissime praesens intellectui et intelligentia perfecta ·i· notitia genita siue verbum siue filius: quia notitia tunc est perfecta quando obiectum est simpliciter idem cum tali notitia genita· Ergo ablata omni imperfectione etc· obiectum simpliciter idem memorie ·i· quod intellectus et obiectum vt sunt simpliciter idem constituentia perfectissimam memoriam gignet ·i· concitabit vt partiale concitatiuum aliquid ·i· seipsum in intelligentia ·i· in filio siue verbo cum filio siue intelligentie est simpliciter idem· Et sic habeo propositum quod est ibi productio· quia essentia diuina non posset concitari filio nisi per productionem filii: sicut nec natura humana potest concitari puta Francisco nisi producendo suppositum cui concitetur: et sic patet euidentia argumenti·

Tertia ratio principalis est ibi· Preterea ·z· sic In qualibet conditione entis etc·

Pro intelligentia huius littere premitto aliqua· Primo quod conditiones entis de quibus Doctor nunc intendit sunt conuertibiles passiones disiuncte ipsius entis: quarum quedam includunt perfectionem sine imperfectione aliqua· quedam vero necessario includunt imperfectionem· Exemplum primi· Causatiuum: productiuum: independens· infinitum intensiue: et huiusmodi· patet quod ista non includunt necessario aliquam imperfectionem: alias non essent formaliter et perfectissime in primo ente· Exemplum secundi· Causabile: dependens: finitum positiue: necessario includunt imperfectionem: ideo ista non possunt formaliter esse in primo ente· Secundo premitto quod dicit Doctor quod quando ens diuiditur per opposita alterum diuidentium est perfectionis in ente alterum imperfectionis· Hoc dictum non debet absolute intelligi: quia non verificatur in multis diuidentibus ens per opposita· patet quia productiuum dicit perfectionem simpliciter et tamen producibile non necessario includit imperfectionem: patet de

filio dei qui est vere producibilis· Aliqui ergo exponentes Doctorem in isto passu dicunt quod hoc non debet intelligi de diuidentibus ens per oppositum relatiuum: sed de diuidentibus ens per opposita secundum contradictione et priuatiue: quia tunc communiter vnum diuidentium est perfectionis simpliciter aliud vero imperfectionis· Deinde addit Doctor quod in qualibet conditione entis que non est ex ratione sua imperfecta necessitas est simpliciter perfectionis: igitur in productiuo quia illud non dicit ex se imperfectionem: et patet quia sicut necessarium est conditio perfectionis in ente inquantum ens: ita et est perfectionis in quolibet diuidente ens quod non est ex se necessario imperfectum siue limitatum· Sicut ·n· quando ens diuiditur per opposita alterum diuidentium est perfectionis in ente alterum imperfectionis: ita in quolibet quod est imperfectionis cuiuslibet diuisionis illud membrum est possibile quod est perfectionis est necessarium· Producens autem inquantum tale non includit imperfectionem· ergo producens non est perfectum in ratione producentis nisi sit necessario producens· Producens autem primum non potest esse necessario producens aliud a se ad extra· ergo ad intra quod est propositum·

In ista littera sunt multa dubia· Primo in hoc quod dicit quod in diuidentibus ens immediate communiter vnum membrum est perfectionis et reliquum imperfectionis· Contra· primo quia ens prima sui diuisione diuiditur per quantum et non quantum· vt patet a Doctore in quolibet ·q·3· et tamen ens non quantum nullam imperfectionem dicit· vt patet de relationibus diuinis secundum ipsum· Secundo si ens quantum ex se nullam includit imperfectionem sed tamen perfectionem: ergo quodlibet ens quantum erit perfectionis simpliciter: et sic lapis erit perfectionis simpliciter· Respondeo ad primum quod Doctor tantum loquitur de diuidentibus ens quantum: vt patet· Dico ad secundum quod lapis potest considerari dupliciter· primo vt suppositum substantie limitate: et sic repugnat sibi perfectio· secundo vt suppositum entis quanti: et sic non repugnat sibi perfectio simpliciter quia nec enti quanto: hoc patet a Doctore· presenti ·d· parte ·2· q·1· et ·d·8· et in quolibet ·q·5· Secundo Dubitatur circa eandem propositionem: quia productiuum et producibile diuidunt immediate ens quantum: et tamen producibile non necessario includit imperfectionem: patet de filio dei· Secundo causatiuum vniuoce et causabile vniuoce diuidunt ens transcendenter: et tamen causabile vniuoce est tante perfectionis quante causatiuum cum sint eiusdem nature· Respondeo ad primum quod producibile vt producibile includit imperfectionem cum semper includat possibilitatem: Et cum dicis de filio dei· Dico quod vt est suppositum producibilis non repugnat sibi aliqua imperfectio· vt vero est suppositum in natura diuina nullam includit imperfectionem: accidit ·n· producibili vt producibile quod sit suppositum in natura diuina: sicut etiam homini quantum suppositum substantie generice non repugnat esse insensibile: vt suppositum tamen nec intellectuale repugnat sibi· Dico ergo quod productiuum aut comparatur ad producibile alterius nature aut ad producibile eiusdem nature singularis· Primo modo producibile est eiusdem perfectionis nec hoc modo sunt proprie diuidentia ens quantum· Secundo modo necessario includit imperfectionem· Ad aliud dico quod causabile posito quod sit eiusdem nature specifice cum causatiuo semper includit imperfectionem: quia possibilitatem et potentialitatem et dependentiam·

Secundo principaliter dubitatur in hoc scilicet quod in quolibet conditione entis que non est ex ratione sua imperfecta necessitas est simpliciter perfectionis· Ista littera potest habere duplicem sensum· Primum quod illud quod non includit imperfectionem aliquam sit formaliter necessarium in se· Secundum quod illud quod nullam imperfectionem in ratione sua addita entitati perfecte: sicut esse productiuum causatiuum quod nullam imperfectio-

Difficultates quedam circa litteram·

Responsio·

Alia dubitatio·

Solutio·

Dubitatio·

m... q... t... aliter in pře qđ est falsuz· ſʒ hic ꝓbat isto argumto q verbū sit formalr̄ in pře ⁊ ꝓbat sic· Intelligētia est formalr̄ in pře: ⁊ intelligētia est verbū: ergo verbū est formalr̄ in pře· ¶ Ad hanc rōnē rn̄det doc· ¶ Ibi· Ad primū dico· Sńia huius lr̄e est q pr̄ hʒ in se formalr̄ memoriā intelligētiā siue notitiā simplicē ⁊ volūtatē q oīa dicūt pfectionē ⁊ eadē sunt formalr̄ i filio ⁊ spū sancto· Nō ·n· pr̄ intelligit p filiū: nec diligit p spūm sctūm q̄si filius sit formalr̄ intellectio pr̄is: ⁊ spūs sanctus sit formalr̄ amor pr̄is: ſʒ intelligit p intelligētiaʒ formalr̄ sibi inexistētē q nō est notitia genita: ⁊ amat p amorē sibi formalr̄ inexistētē q amor nō est formalr̄ spūs sctūs: ⁊ ꝓbat p auctoritatē Aug· q̄ clara est· Ibi· Intelligit igr̄ q pr̄ formali est memoria sibi ·i· q ipa memoria est formalr̄ in pře: ⁊ sic intelligētia ⁊ volūtas siue volitio ⁊ hec oīa sunt formalr̄ in filio ⁊ in spū scto cū dicāt pfectionē simplr̄· Seqr̄ in lr̄a· Et in hoc est dissimilitudo inter psonas ⁊ ptes ymaginis in nobis sm ipm: qꝛ q ymago in nobis (vt patebit ·i· di·3·q· vlti·) hʒ tres ptes ·s· memoriā pfectā cōprehēdendo et volūtatē q attribuit pr̄i ⁊ hʒ intelligentiā pfectā q attribuit filio: ⁊ amorē pfectū q attribuit spūi scto: ſʒ nō sequit q oīs pfectio q est in vna pte ymaginis sit in alia formalr̄ sicut est in psonis diuinis: nec sic dicimus q scđa pars ymaginis sit formali memoria nec formalr̄ volūtas siue amor: nec sic dicimus q volūtas siue amor sit formalr̄ memoria ⁊ intelligētia: sicut dicimus in diuinis q filius est memoria sibi intelligentia sibi ⁊ volūtas sibi: hoc idē dicimus de pře ⁊ spū sancto· Seqr̄ in lr̄a· Cū igr̄ dr̄ ꝓprius actus intelligentie est verbū: nego cū de rōne vbi sit q sit notitia genita· ¶ Ibi· Cū dicis· sufficit q sit notitia declaratiua· Diceret isti q et quo verbū est declaratiuū obiecti vel memorie cuius est: vr̄ q notitia actualis cū sit vere declaratiua memorie siue obiecti itelligibilis cuius est sit verbum· ¶ Rn̄det Doc· negando ibi· Nego intelligēdo ⁊c· ¶ Sńia huiꝰ lr̄e est q notitiā eē declaratiuā memorie pr̄is siue eētie diuine vt pn̄tis intellectui pr̄is pt dupl̄r itelligi· Vno mō q declarat e dicat tm̄ relationē rōis q̄ relatiōe pr̄ mediāte tali notitia declarat eētiā: ⁊ sic intellectio simplex est pfecte declaratiua· Alio mō vt dicit relationē realē ad psonā dicentē: ita q talis notitia nō tm̄ includit relationem declarātis ad obiectū declaratū: sed etiā includit relationē realeʒ ad psonā dicentē siue exprimentē: ⁊ talis notitia ꝓprie dicit verbū diuinū· Alia vero notitia simplex etsi dicat relationem rōis ad obiectū declaratū: ⁊ quātū ad hoc posset dici verbū: qꝛ tm̄ nō dicit relationē realē ad aliquā psonaʒ dicentē siue exprimētez: iō nō dicit ꝓprie verbū de quo in pn̄ti loquimur: ⁊ de hac mā ꝓlixius declarat Doc· infra dist· xxvij· q· 2· ¶ Scđo principaliter arguit Doctor ꝫ aliud dictum superius· vʒ q notitia simplex ⁊ actualis nō pōt esse ratio formalis ꝓducendi notitiam genitam: ⁊ hic probat contrarium per dictum Augu· ¶ Ibi· Preterea Augu· xv· de trinitate· ¶ Dicit q verbum est visio de visione ergo visio siue actualis notitia est ratio formalis producendi visionem siue notitiam genitaʒ· ¶ Respondet Doctor ibi· Cum vero dicitur scđo q est notitia de notitia· Sensus littere est q visio potest capi dupliciter· Vno modo actualiter ·s· pro notitia actuali simplici· Alio modo habitualr̄ ⁊ hoc dupliciter ·s· vel pro habitu infuso siue acquisito ex pluribus actibus· vel pro ipsa memoria fecunda· Debet ergo sic intelligi in nobis visio obiecti siue actualis notitia illiꝰ est vere producta de visione habituali: accipiendo visionem habitualem pro memoria fecunda· Et q Augu· sic intelligat probat per aliud dictum Augu· ¶ Ibi· Tunc ·n· est verbum similimū rei note de qua gignitur supple in ratione obiecti intelligibilis· ⁊ ymago eius supple ipsius obiecti intelligibilis quando de visione scientie visio cogitationis exoritur: ⁊ dicit Doc· q iste constructiones sunt in transitiue· Nam visus scientie est ipsa scientia: ⁊ visio cogitatiōis est ipsa cogitatio: ⁊ accipit ibi sciētia habitualiter nō p habitu infuso vel acquisito ex pluribus actibus sciendi: sed pro memoria fecūda que dr̄ sciētia habitualis ex hoc q sic habēs habituz sciētie causatū ex frequētatis actibus faciliter pōt exire in actū sciendi: ita hn̄s memoriam fecūdā (qđ est habere obiectuz pfecte pn̄s intellectui ꝓpinque ⁊ expedite) pt ꝓducere verbū qđ erit ymago ⁊ silitudo obiecti pn̄tis i memoria: ⁊ sic pʒ q qn̄ Aug· dicit visio cogitationis exorit de visiōe sciētie: sensus est q cogitatio in nobis siue actualis notitia i nobis ꝓprie dr̄ verbū qn̄ exorit de visione scientie ·i· de sciētia habituali ·s· de ipsa memoria fecūda cuius memorie ipsa cogitatio siue verbū est silitudo ⁊ ymago: pariformiter est dicendū de verbo diuino qđ exprimit de scia pr̄is ·i· de memoria ipsius pr̄is· Sequētia clara sunt· ¶ Et qđ ibi dicit· Si pōt esse in aīa scia sempiterna ⁊c· ¶ Doc dʒ intelligi de scia hituali q̄ est in memoria ⁊ accipit ibi sciam hitualē p obiecto pfecte pn̄te intellectui qđ obiectū sibi pn̄s dr̄ esse in memoria: qꝛ vt sic ptinet ad memoriā fecūdā: ⁊ obiecto sic pfecte pn̄ti magis attribuit id memorie q̄ʒ intellectui q̄uis vtrūqʒ sit ps memorie: qꝛ notitia est ꝓprie declaratiua ⁊ manifestatiua ipsius obiecti: cū principalr̄ specificet ab ipsa vt ·s· expositū· Et q Aug· accipiat sciētiā sempiternā p memoria pʒ pa3 ·i· p expositionez doc· ¶ Tertio principalr̄ arguit doc· ꝫ idem· ¶ Ibi· Preterea nō vr̄ dr̄ia inter memoriā ⁊ intelligētiā in pře. Argumētū stat in hoc: ex quo memoria ⁊ intelligētia pr̄is sunt penitus eadē res: quomō est possibile q memoria sit rō ꝓducēdi ⁊ nō intelligentia? ¶ Rn̄det doc· ibi· Ad tertiam instātiā· Et rn̄sio clara est in lr̄a: ⁊ silr̄ quarta instantia cū sua rn̄sione· Nunc sunt soluenda argumenta principalia·

Ad primū argumētū principale· Anq̄z doc· soluat argumēta Auer· qbꝰ vr̄ ꝓbare q ē impossibile q eadē nā possit cōicari vniuoce ⁊ equiuoce· Prīo declarat q Auer· ·vi· log de nā pfecta ꝫ Aui· qꝛ Aui· vr̄ dicere q aīal pfectū cuiꝰ mōi ē hō equiuoce ⁊ silia pt vniuoce ⁊ equiuoce cāri: ita q vnꝰ hō pōt cāri vniuoce ·s· p ꝓpagatōez vt qn̄ causat ab alio hōie mediāte semine: ⁊ aliꝰ hō pt cāri equiuoce nō ab alio hōie ſʒ ab alia cā equiuoca puta a sole: ⁊ si Auer· sic itelligat verꝫ dicit ⁊ doc· in hoc sibi nō ꝫdicit· Si vo intelligat q ēt entia impfecta nō pn̄t gn̄ari vniuoce ⁊ equiuoce: ꝫtū ad hoc doc· sibi ꝫdicit: ⁊ ꝓbat q eadē nā pt cōicari equiuoce ⁊ vniuoce: ⁊ sic intelligēdo q vnā spālica in vno indiuiduo pt eē p ꝓpagatiōem ⁊ hoc qn̄ gn̄at ab alio indiuiduo eiusdē spēi· sicut vnꝰ mus gn̄at ab alio mure: ⁊ in alio idiuiduo pt eē equiuoce ⁊ nō p ꝓpagatiōez vt qn̄ cōicat alteri idiuiduo eiusdē spēi ab alio alteriꝰ spēi: ⁊ vt qn̄ vnus mus gn̄at vt a sole mediāte putrefactiōe alteriꝰ puta eq vel alteriꝰ alteriꝰ: ⁊ sic duo indiuidua eiusdē nāe specifice ⁊ imꝑfecta sic se hn̄t q vnū pt gn̄ari equiuoce: hoc ē nō ab aliquo eiusdē spēi: ⁊ aliud pt gn̄ari vniuoce: ⁊ ab aliquo eiusdē spēi· Non aūt sic debet intelligi q vnum ⁊ idem numero possit equiuoce ⁊ vniuoce generari quia hoc non ptinet ad intētionez ꝯclusiōis: lʒ nō haberem ꝓ inconuenienti q si mus

Dissimilitudo ymaginis in psonis diuinis ⁊ in nobis·

Idē· vbi supra·

Uisio dupliciter dici potest·

Habitualis scientia·

Idem corpus nō seruit posse vniuoce equiuoceqʒ generari·

PAVLI AEGINETAE TOTIVS REI MEDICAE LIBRI VII. AD PROFECTIONEM PARATI, ET BREVI SVMMA OMNEM ARTEM COMPLECTENTES. Per [redacted] medicũ Physicum Latina lingua cõscripti.


Cum Indice rerum & uerborum locupletißimo.



Cum Cæsareæ Maiest. Gratia & Priuilegio ad decennium.

BASILEAE PER IOANNES HERVAGIOS ANNO D. M. LVI.

Chaues



PAVLVS AEGINETA DE SEIPSO, AC OPERE SVO.

Pauli laborem me uides, qui plurimum
Emensus orbis, ortus est ex Aegina.

PRAEFATIO TOTIVS OPERIS.



NON sanè quod à ueteribus quid circa artis tractationem prætermissum sit, ad huius operis compositionem perueni, sed compendiariæ doctrinæ gratia. Vice uersa enim ab illis quidem recte ac citra defectum omnia elaborata sunt. Recentiores uero supra hoc quod neq; omnino ipsos attingere student, etiam garrulitatem ipsorum damnant. Qua de causa ad hoc opus adornandum progressus sum, quod his qui ipsum, uelut par est, habere uolent, commentarij ac monumenti usum exhibebit, mihi uero exercitationis loco fuerit. Absurdum enim est, rhetoras compendiarijs iudicialibus libellis ad profectionem paratis uti, in quibus uniuersarum legũ summæ continentur ad usum expositæ: nos uero tales negligere, & quidẽ quum illi non ad modicum solum, sed longum etiam tempus, consideratione differre possint, nos autem nunquam, aut ualde raro, eiusmodi facultatem habeamus. Nam necessitas in quibusdam morbis sœpenumero solicitudinẽ requirit neutiquam differendam. Quapropter recte Hippocrates temporis occasionem præcipitem pronunciauit. Illos equidem in solis ferè urbibus negotiorum usus urget, in quibus etiam librorum luculenta adest copia. At Medicis non solum in urbibus, aut agris, aut desertis quibusdam regionibus, sed etiam in mari sœpe, in ipsis nauibus, repentina morborum necessitas ingruit, in quibus dilatio mortem, aut omnino periculum extremum inducit. Cæterum omnem medendi methodum, aut omnem particularem materiam, memoria tenere difficilimum est, aut etiam omnino impossibile: quare hoc compendium ex ueteribus collectum confeci. Neque enim meas fœturas in ipso proposui, paucis quibusdam exceptis, quæ inter artis opera, & uidi, & experientia cognoui. Verum in pluribus præclaris uersatus, & maxime in Oribasio, (qui & ipse totũ librum, in quo omnẽ tuendæ sanitatis rationem tradidit, instar florum aliunde decerpsit. Nam post Galenum & adhuc iuniores fuit) optima ex his delegi, nullo quantum eius fieri potuit morbo prætermisso. Etenim Oribasij opus illud in septuaginta libros distinctum, omnem artis doctrinam in se continet. At non facile parabilis est tantæ molis opus, ad multos adeo uersus extentum. Epitome uero compendio omnia huius tractans, ad filium Eustathium scripta, multos morbos penitus non habet, & reliquorum tractationem imperfectam continet, ita ut iam causæ, iam cognitionis signa, quandoq; etiã sufficiens curatio desit, itemq; alia quæ mentionem sui fieri postulant. At uero præsens nostrum scriptum, & signa, & causas, & curationes omnium morborum, similarium, instrumentalium, & eorum qui in unionis solutione considerantur, compræhendit, nõ modo summatim, sed etiam diffuse, pro

Recentiores damnant ueteres

Dilationis periculum

Oribasius

ut res

ut res ipsa exigit. Et ante horum aggreßionem, totam tuendæ sanitatis ex uictu rationem exposuimus. Postremum uero librum, de medicamentis tum simplicibus, tum compositis conscripsimus.

QVAE IN VII. TOTIVS OPERIS. libris contineantur.

IN primo omnem tuendæ sanitatis comperies doctrinam: & affectionum ætatibus, temporibus, temperamentis, & quibusdam alijs peculiarium præseruationem ac correctionem: & alimentorum omnium uires ac usus per capita expositos.

In Secundo febrium omnium doctrina habetur, præmißis his quæ ad ipsam conferunt, nempe ex recrementis, & diebus iudicatorijs, & alijs signis, subiectis item symptomatis ad febres consequentibus.

In Tertio de affectionibus in locis consistentibus tractatur, initio à summo capite facto, ita ut ad summos pedes, usq; ad ipsos ungues deueniamus.

In Quarto de affectibus extrinsecus corpus impetentibus, & uelut in propatulo consistentibus agitur, nõ quidem in certis, sed in plurib. partibus. In quo etiam de lumbricis, & dracunculis dicitur.

In Quinto de uenenum iaculantium plagis ac morsibus tractatur. In quo etiam de morsis à cane rabido, & aquæ formidinis affectu agitur. Itẽ de morsis à cane non rabiente, & de morsis ab homine. Ibidem quoq; de uenenis, & auxiliaribus aduersus ea medicamentis habetur.

In Sexto omnia ad chirurgiam pertinentia recensentur, tum circa carnem, ubi & de telorum extractione agitur, tum circa ossa, In quibus etiam de fracturis, & luxatis sermo habetur.

In Septimo omnium medicamentorum uires continentur, primum quidem simplicium, deinde uero compositorum, & præsertim eorum quorum in aliorum sex librorum decursu mentionem fecimus, maxime maiorum & compositionis appellationem adeptorum. Neque enim placuit nobis in illis sparsim omnes compositiones collocare, quo & doctrina minus perturbata esset, & ut quis unam aliquã quærens, aut etiam plures ex nobilibus compositionibus, facile reperiat. Ad finem uero quædam ad componenda medicamenta conducentia, & succedaneæ inter se species referuntur, Ita ut totus liber in doctrinam de ponderibus ac mensuris absoluatur. Primum igitur librum iam exordiemur.

Liber pri,

Primus totius operis præsens liber existit, in quo omnem tuendæ sanitatis rationem percurrimus, uelut & iam in præfatione dictum est, & rursus per capita referetur, ubi hoc tantum antea protulerimus, quod in primo & secundo libro plurima ex Oribasio transcripsimus. Non enim nostram sententiam producere uolumus, sed ex omnibus utilitatem colligere. At in reliquis quinque libris paucissima ex illius scriptis relata sunt.

CAPITA PRIMI LIBRI.

IN PAVLVM ÆGINETAM INDEX,

A

Conchylia

N

O

Oculi

Præser-

Q

R

Sitis

Vene-

FINIS.

A PAVLI AEGINETAE REI MEDI-
CAE LIBER I. [redacted]

Medico Physico interprete.

De his quæ accidunt prægnantibus, & quo uictu uti debeant.

CAPVT PRIMVM.



VANDOQVIDEM ex his quę prægnantibus accidunt, hæc maximè ipsas diuexant, humorū crudorū redundantia, assiduus uomitus, sputatio, oris uentriculi morsus, & ciborū fastidium, commodum sanè fuerit ipsis consilia præscribere. Conueniunt itaq; deambulationes, cibi non ualde dulces, & uina fulua, odorata, quinquēnia, & potus moderatus. Hæc enim omnia, humorū crudorū redundantiæ, & uomitus, remedia sunt. At medicamēti loco, polygonum herbam aqua coctam bibant, & Anethum similiter, & ponticam radicem, quæ uernacula lingua Rha uocatur. *Rha pontica radix* Hæc & post & ante cibum sumant. Foris autem Oenanthen, & balaustium, & mali punici florem, & smyrni comam, & fœniculi semen, aut omnia hæc simul, aut prout miscere uolueris, cum palmulis & uino ueteri, præcordio cataplasmatis uice impones. Cæterùm oris uentriculi morsus alleuandi sunt, aquæ calidæ potu, & placida deambulatione, & præcordio molli lana intecto. Cibum uerò auersantes, ad uariorum edulio rum & ad uoluptatem paratorum, itemq; amyli sicci esum, inhortari oportet. B Hoc autem potius his obtuleris quæ terram edere cupiunt, uelut in pica appellata affectione contingere solet, *Pica affectio* quæ circa tertium maximè fit imprægnationis mensem: eo quòd fœtus tum non possit totum id quod pro alimenti ratione ad uterum affertur consumere, nimirum imbecillior, ita ut ex hoc ipso uariæ in stomacho superfluitates redundent. Vnde etiam uaria & absurda appetunt, uelut carbones extinctos, & cimoliam terram, & alia multa. Hac enim de causa, etiam appellationē hanc affectio ipsa adepta est, ob picæ animalis uarietatem, aut quòd etiam illa sæpe hac affectione corripitur. Commodāt autem & labores, & longiores peregrinationes. Verùm quæ delicate uitam degere consueuit, ea ubi prægnans est, repentinas motiones non bene tolerat. Quin & acria aliquando gustare, & maximè sinapi, commodum est cibum auersanti. At uerò ad pedum tumores præcipuū est, *Pedum tumor* Anthyllidem aceto maceratam alligare, & brassicæ folia in latum superponere: & terram cimoliam cum aceto illinere: & alumen similiter cum aceto. Bonum est etiam malorum Medicorum, quę & citria appellantur, *Mala medica, citria* decocto ex aqua pedes lauare.

De Nutrice. CAPVT II.

DEligenda est nutrix nullum morbum habens, neq; anicula ualde, neque iuuencula. Sit autem natu minima annorum uiginti quinq;: natu maxima triginta quinq;. Et habeat pectus magnum, & mammas magnas, & papillas neq; conniuentes, neq; auersas. Reliquum autem corpus neq; pingue sit ualde, neq; nimis tenue. Magnum uerò commodum fuerit infanti, si nutrix non ita multò ante pepererit, & præsertim masculum. Vitare porrò debet nutrix ualde siccantia, & salsa, & acria, & acerba, & acida, & amara, & uehementer calefacientia, & ualde graueolentia. Itemq; insigniter iucundos odores, & condimenta, & alia acria. Abstineat etiam nutrix à Venere. Et labores per manus & humeros, & molam uerset & texat. Et puerum ulnis gestans circumferat, qui tamen iam sit trimestris aut quadrimestris.

De lacte nutricis. CAP. III. A

LAc optimum est, quod moderatum est crassitudine, copia, colore, odore, sapor[illegible]quod pollicis ungui instillatũ, dum ad lucem consideratur, in flectendo unguem, neq; cito, neque tarde defluit.
Lactis boni notæ Præstat etiam sic lac probare. Infundatur lac in uas uitreum, & coaguli moderata copia immittatur, ac digitis conteratur, atq; ita donec coaguletur dimittatur, ac deinde consideretur, an casei minus in ipso sit quàm seri. Tale enim lac inutile est. Contrarium uero cõcoctu difficile. Optimum uerò est id quod utraq; habet moderata.

Quomodo uitiosum la[illegible] corrigatur. CAP. IIII.

LActis uitia hoc modo corrigere oportet. Si quidem crassius fuerit, uomitu pituita extrahenda est, optimus autẽ est ab aceto mulso. Sed & laboribus ante cibos attenuare oportet. Commoda sanè hic sunt, & origanum, & hyssopum, & satureia, & scandix, & thymus, & raphani modicũ, & salsamentum uetus, cum aceto mulso. Si uerò acrius fuerit ac tenuius lac, à multis laboribus nutricem leuare oportet, & sorbitionibus ac carnibus porcinis nutrire. Et sapam bibendam dare, ac uinum dulce. At si lac imminuatur, sorbitiones exhibendæ sunt ac largior uictus, & uinum dulce dandum, & pectus ac mammæ confricandæ. His uero etiam cucurbita medicinalis affixa commoda existit.
Lac generantia nociua Cæterùm quòd medicamenta ad lactis generationem efficacia sint noui, non tamen assiduum ipsorum usum probo. Violentius enim colliquant. Sunt autem fœniculi radix & semen, in ptisana cocta: & cytisi folia in uino nigro, aut ptisana: & melanthium in passo, & anethum, & pastinacæ radix ac semẽ. Oportet autem calida aqua prius rigata, ita exhibere. Omne uero uitiosum lac, siue crassum fuerit, siue acre, & graueolẽs, ubi nutrix prius id emulxerit, ita puerum admoueat: neq; unquam acre ieiuno exhibeat. Verum graueolentias & uinum odoratum, & cibus iucundus corrigere poterit. De lacte uero in caseum coagulato, in tractatione de mammis libro tertio dicetur. B

Eductio pueri. CAP. V.

Mel primum infantis cibus PRimum alimentum recens nato infanti mel exhibere oportet. Postea uerò lac præbere bis in die, aut ad summum ter. Quum autẽ & ipse promptus fuerit ad accipiendum, & spem exhibuerit concoctionis, tunc iam etiam cibus dandus est, qui non repleat. Si uero nobis non animaduertentibus repleti fuerint, somnolentiores statim & segniores fiunt, & tumor in uentre adest, & flatus, & urinæ sunt aquosiores. Ex quibus signis repletione depræhensa, nutrix nihil exhibere debet, donec fuerit consumpta. Sufficit autem biennium lacte nutrire. Deinde ad cibos transgredi.

De pustulis puero erumpentibus. CAP. VI.

QVæ circa cutem puero erumpunt, primũ quidem patienter ferre oportet. Vbi uero probè omnino eruperint, tũc iam curare, ita ut ad lauacra nutrix immittat myrtum, aut lentiscũ, aut rosas. Deinde rosaceo aut lentiscino utatur, & cerato cum cerusa. Sed & nitro mollius extergat. Nam fortiora non feret. Optimum est etiam nutricẽ dulciore uictus modo uti. Optimum item est & puerum ita nutriri, ut neq; ipsum nimis impleat, neq; rursus ualde famem ferre sinat.
Aluo pueri soluendæ Quòd si aluus puero supprimatur, mel ad cibũ affusum simul coquito. Si uero neq; sic obediat, terebinthinæ ciceris magnitudinẽ adijcito. At si liquidior fuerit aluus, miliũ maxime offerendũ est.

De tussi & grauedine pueri. CAP. VII.

SI quando tussis aut grauedo puerũ uexet, mellis illitiones adhibeantur. Oportet itaq; ipsam ubi multa calida aqua lauit, caput quoq; multo melle illinere. Deinde linguã leniter digito cõprimere. Multã enim pituitã uo(met.

De pruritu. CAP. VIII.

SI quis pruritus puerum infestarit, fomento utendum est, & unctione larga ex oleo cocto, modica cera in ipso eliquata.

A

De dentitione. CAP. IX.

DEntiunt quidem pueri circa septimum mensem. Contingunt autē tunc inflammationes gingiuarum, maxillarum, & tendinum: & aliquando cõuulsiones. Tunc igitur nihil puero exhibendum est, quod manū opus habeat. Digito uero gingiuæ assidue in lauacro contrectentur, ac mollantur adipe gallinaceo, aut cerebro leporino. Prominentibus autem iam dentibus, delicatatum mollium lanarum circumiectu utendum est, ad collum, caput, & maxillas, ita ut eadem ex oleo dulci calido irrigentur, & oleum quoq; auditorijs meatibus instilletur. Tunc uero etiam uictus luculentior puero dandus est, idemq; calida lauandus. Et si quidem alui profluuium habuerit, conandum est ut uenter epithematis impositis adstringatur, quę maximè sistunt, cumino lanæ inspersō, aut aniso, aut apio. Bonum est & rosarum semen ammiscere: & in summa, calidè resiccare. Si uero nihil deorsum subeat, melle in glandulam efformato, aluus leniter irritetur: aut calamintha trita cum melle illinatur. At uerò conuulsionibus puerorū maximè auxiliari uidetur heliotropiū, si in aqua coquatur, & puer in hac lauetur. Prodest etiam irino, aut cyprino, aut sicyonio oleo uti, & in summa, calefacere. Quando uero emergentibus dentibus, & digitos mordet, & uulnerat, bonum fuerit iridis radicem rasam, & non ualde siccam, ori e continere. Hoc etiam ulceribus auxiliatur. Prodest & butyrum cum melle illitum. Gingiuarum autem pruritus salsamenti ueteris caro sedat. *Alui profluuij in pueris curatio* *Conuulsiones puerorum* *Gingiuarum pruritus*

De Aphthis ulcere. CAP. X.

Fit & ulcus puero, quod aphtha appellatur, modo subalbidum, modo subrubrum, quandoq; nigrum, ueluti crusta, quod pessimum est, & maximè letale. Auxiliatur autem iris cum melle: & si siccam inflare uelis. Item rosarum folia rasa, & flos rosarum, & crocus, & myrrhæ parū, & galla; & thus, & thuris cortex, & simul singularimq; melle excepta. Posthæc, aqua mulsa, & mali punici dulcis succus. *Aphthæ puerorum*

B

Ad fœmorum intertrigines. CAP. XI.

FOemorum intertrigines myrto arida, & rosis, & cypero inspergito.

Ad aurium humiditates. CAP. XII.

AVrium humiditates siccat lana alumine imbuta indita: aut uinum mulsum aut uinum uetus instillarum: aut crocus cum uino tritus.

De Siriasi. CAP. XIII.

SIriasis est inflammatio partium circa cerebrū & membranas ipsius. Consequitur ad hanc sincipitis cauitas, itemq; oculorum, cum pallore ac siccitate corporis. Auxiliatur autem ipsis luteum oui cum rosaceo impositum sincipiti ad modum lanæ conuolutæ, ita ut frequenter alteretur. Aliud ad Siriases. Folia heliotropij scorpiuri appellati, sincipiti imponito. Item cucurbitæ ramenta, & cucumeris peponis pelliculam, quæ eius carnem ambit. Aut solani hortensis succum cum rosaceo. *Siriasis.*

Victus infantium, & reliquorum ætatum, usque ad inclinatam.

CAPVT XIIII.

INfantes & à lacte amotos, in remissione ac hilaritate sinere oportet. Exercitia uero & alimenta leuiter exhibere. A' sexto autem & septimo anno, & pueros, & puellas, literatoribus lenibus ac humanis tradere oportet. Hi enim cum remissione ac gaudio docent. At animi remissio ad bonam corporis nutritionem multum confert. Duodecimum annum egressos pueros, ad grammaticos iam ire ac geometras, & corpus exercere necesse est. Verùm à decimoquarto usq; ad tres annorum septenarios, conuenit exercitiū in disciplinis, & in philosophicis doctrinis instructio. Sed & exercitationes plures assumere conuenit, propter corporis robur: quo & anima & corpore laborantes, ab impetu in Venerem impediantur. In his etiam uinū contrahendum est. Cæterum in uigore ætatis, uictus perfectus & animæ, & corporis conuenit. Quapropter exercitijs omnibus utendum est, maximè his *Animi remissionis utilitas* *Aetatum uictus*

 quibus

quibus quisq; adsuetus est, & alimentis sufficientibus ac probe alentibus. A
At in declinante ætate, uictus & animæ, & corporis remissus cogruit. Nam & exercitia qualiacunque fuerint, pro horum ratione subtrahenda sunt, & alimenta sensim contrahenda, quum habitus ipsorum frigiditatis principium accipiat.

De frictione præparatoria. CAP. XV.

Ante exercitia corpus moderate calefacere oportet, frictione per lintea facta. Deinde per oleum fricandum est nudis manibus, donec probe caluerit, & mollitum fuerit corpus, & florido rubore rubuerit, & ad tumorem perductum fuerit.

De exercitijs. CAP. XVI.

Exercitium est motus uehemens. Vehementiæ terminus est, respirationis mutatio ad densitudinē. Exercitia uero præparant partes instrumentales, ut ne facile offendi possint, & robusta ad actiones efficiunt. Faciunt etiam alimenti attractionem fortiorem, & alterationem promptiorē, & nutritionem meliorem, propter exorientem caliditatem. Expurgant quoque meatus, & superfluitates euacuant, propter fortem spiritus motum. Quandoquidem igitur distributioni alimenti opitulantur, non oportet crudorū ac incoctorum neq; ciborum, neq; humorum copiam, aut in uentre, aut in uenis contineri. Periculum enim est ne ad omnes corporis partes attrahantur, prius quàm concocti commodi fiant. Clarum itaq; est etiam ante cibos exercitia assumi debere. Verùm notę oportuni exercitijs temporis, ex urinarum colore colliguntur. Nam quæ aquosa est, inconcoctū adhuc significat distributum ex uentre humorem. Fulua uero & biliosa, iam diu concoctum esse. Moderate autem pallida, recens factæ concoctionis signum est. Tunc igitur ad exercitia ducere oportet, & uesicæ & uentris recrementa prius deiectis.

Exercitia etiā ante cibos

De exercitiorum speciebus. CAP. XVII. B

Omnibus exercitijs commune hoc est, quòd caliditatis augmentum ex seipsis animantibus efficiunt. Proprium uero in singulis speciebus inest. Etenim ualidum exercitium, hoc est uiolentum, musculos ac neruos ad robur præparat. Talia autem sunt, fodere, & maximo onere sublato, aut in eodem loco manere, aut paulum progredi, ac uelut deambulare. Huius generis sunt, & per funem manibus ac pedibus nitendo ascendere, & pluri ma alia huiusmodi. At uero uelocia, sine robore ac uiolentia sunt. Talia sunt cursus, & umbratilis pugna, & summis manibus decertatio, & per follem, & per magnam ac paruam pilam exercitium. Compositum autem sit ex ualido ac ueloci. Nam quæ exercitia ualida sunt, bis uelut uehemētibus uti quis poterit, si ueloces motus addat. Præterea exercitia alia lumbos magis quàm manus aut crura exercent: alia spinam, aut thoracē solum, aut pulmonem. Exerceri autem oportet quàm diu ad tumorem corpus attollitur, & floridum existit: & quàm diu motus prompti, & æquales ac concinni fiunt. In hoc autem & sudorem calidum uidebis uapore amixto. Tunc uero primum desinere oportet, ubi unum ex relatis fuerit alteratū, ueluti uerbi causa, si corporis tumor contrahi uideatur, statim quiescendum est. Similiter si coloris floriditas marcescat, cessandum est. Quin & si motus omnino remittere uideantur, statim cessandum est: & si circa sudorē mutatio aliqua fiat, aut in copia, aut in qualitate. Si enim minor, aut frigidior fiat, cessare oportet, oleoq; circumfuso de cætero recurare. deinde recuratoria frictione uti, uelut pædotribæ facere solent.

Exercitia uaria

De frictionum speciebus. CAP. XVIII.

Frictio dura densare, mollis soluere potest. Quare corpora ultra modum exoluta, duriter fricanda sunt. adstricta uero, molliter. Si uero moderato corpore quis præditus sit, clarum est quòd neq; molliter, neq; dure, fricandus is sit, sed quantum eius fieri potest, excessibus utrisque uitatis. Etenim

Frictiones uariæ

multa

A multa & dura frictio, corporis tumorem deprimit. Modica autẽ & mollis, ulcerofa in tumorem eleuat. At uero tres differentiæ frictionũ fecundum quantitatem, tribus differentijs fecundum qualitatem complicatæ, coniugationes nouem efficiunt, uelut fubiectum eft. Nam una fecundum quantitatem, multa uidelicet, tribus fecundum qualitatem complicata, duræ dico, & molli, & moderatæ in duricia, tres differentias facit. Et rurfus modica, iifdem tribus complicata, alias tres. Moderata uero in quantitate, iifdem tribus complicata, alias tres, uelut fubiecta tabula oftendit.

Quantitas.		Qualitas
Multa		Dura
Multa		Mollis
Multa		Moderata
Modica		Dura
Modica	&	Mollis
Modica		Moderata
Moderata		Dura
Moderata		Mollis
Moderata		Moderata

De uocis exercitio. CAP. XIX.

INter uocis exercitia iucunda ac concinna modulatio nihil ad fanitatem conducit. Verum grauiorum uocũ fonus utilis eft. Quare in hoc fe exercere oportet. Sic enim plurimus aër in refpiratione in corpus tractus, & thoracem & uentrẽ diducit, & meatus totius corporis dilatat ac difparat. Quapropter in ipfis lectionibus redundantium humorum excretiones facit, his quidem qui maiore contentione legunt, magis, & per fudores: his uero qui leuius cõtendunt, per occultam de tota corporis mole contingente tranfpirationem. Contingit enim ut propter attenuationem, multarum fimul partium quæ fcreatu reijciuntur, & fputorum, & muci, & pituitæ excretio ac confumptio fiat. Proinde his qui caliditate opus habent, propter frigiditatem, quod nam aliud commodius auxilium contingere poffet, quàm actio illa in tranfpiratione? Quare fæpe legere oportet, toto corpore remiffo, & carne diffufa, ita ut de induftria arteriam ac reliquos fpiritus tranfitus, ad raritatem difparemus, & grauiores uoces fonemus. Vtendum eft autem uocis exercitijs, & actionibus, neq; temere, neq; inconfiderate. Imò neq; quum prauis ac corruptis pleni fimus humoribus, neq; in magnis & manifeftis ftomachi cruditatibus, ad uocis exercitium deueniendum eft, ut ne maior diftributio corruptorum humorum ac uaporum in corpus fiat. *Vocis grauis fonus utilis*

B

De laßitudinibus ex exercitijs. CAP. XX.

LAffitudo ulcerofa ex recrementorum tenuium fimulq; actium copia fit. Tenfiua uero, nullum quidem memorabile recrementũ corporibus incumbere indicat. Verùm circa mufculos & neruos affectio quædam contingit, in qua tendi fibi uidentur. Inflammatiua uero laffitudo, in qua uelut contufas aut inflammatas fentimus partes, tunc accidere folet, quum excalfacti mufculi aliquid de circumfufis fibi fuperfluis recrementis attraxerint. Eft & alia affectio quarta, cuius generatio ex eo eft, quòd mufculi ultra quàm conuenit ficcantur, adeò ut denudatũ corpus, appareat fqualidum ac contractum, & ad motus pigrum. Curationem porrò ulcerofa laffitudo habet, recrementorum difcuffionem, per multam ac mollem frictionem cum oleo multo, quod nullam aftrictionẽ habet. Altera laffitudo tenfiua fcopum curationis habet laxationem. Laxatur autem id quod diftentum eft, frictione modica fimulq; molli, cum oleo uelut ex fole calenti, requie itẽ ac omni quiete, & balneis temperatis, & diutiore in aqua calida mora. Quare fi etiam bis aut ter ipfum laueris, plus profeceris. Tertia laffitudo inflammatiua tres curationis fcopos habet, fuperflui euacuationem, diftenti laxationem, & inflammationis refrigerationem. Oleum itaq; multũ tepidum, & mol- *Laßitudinis fpecies quatuor*

& mollissimæ frictiones, & in temperatis aquis longissima mora, tales lassitudines sanant. Sic autem & quies multa, & unctiones assiduæ. Quarta affectio in prima quidem die nihil diuersum à prioribus postulat, præterquam calidiorem aquam, ut leniter cutem constringat. In secunda uero die exercitio recuratorio opus habet. Exiliant autem statim in balneis, in frigidæ aquæ solia. Omnes porrò lassati boni succi cibo opus habent. A

De cutis adstrictione. CAP. XXI.

ADstrictio fit aut ex obturatione, aut ex densatione meatuum. Et obturatio quidem fit ob copiā aut crassitudinē, crudorum & inconcoctorū humorum, densatio uero, aut per frigefacientia, aut adstringentia, aut siccantia. Statim autem cognoscitur ubi se exuerint, ex decoloratione alba, unà cum duricia ac densitate corporis. In ipsa uero exercitatione, ex eo quòd difficulter calefcunt. Curatio huius affectionis est calefactio. Itaq; assiduis exercitijs utendum est, & balneis calidioribus. Mora uero in frigido solio non sit diuturna, neq; ipsa aqua ualde frigida sit. Vbi autem se induere uolent, ex aliquo moderate calfaciente unguantur, ueluti oleo dulci ac renuissimo partium. At uero densitates cutis satis sanat oleum anethinum, præsertim si uiride fuerit anethum, itemq; oleum ex populo nigra.

De lassitudinibus spontaneis. CAP. XXII.

QVandoquidem ob acrium recrementorum uitium ulcerosa fit lassitudo, si quidem omnino modicus fuerit uitiatus humor, exercitium sufficiet recuratorium. Si uero maior & per profundum, talem nō amplius ad exercitium ducemus, neq; omnino ad ullum motum. Verùm quiescere ac dormire iussum, per totam diem in abstinentia cibi conseruabimus. Deinde ad uesperam pinguiter uncto, & temperata calida loto, cibum boni succi ac sorbilem modicum dabimus, & neq; à uino ipsos prohibebimus. Vinum enim semicrudos humores, si quid aliud, coquit. Si igitur ex relatis sedatum fuerit symptoma, ad consueta munia obeunda pro ratione homo reducatur. Si uero etiam postera die adhuc permanserit, de fortiore auxilio iam consyderandum est. Nam si uires fuerint robustæ, ex duobus alterum, aut uenam secare, aut purgare conuenit, discrimine facto utro magis auxilio opus habeat. Si uero uires debiles fuerint, uena quidem nequaquam secanda est, sed purgatio moderate facienda. Si uero crudi humores multi fuerint, neq; uena secetur, neq; purgetur, neq; exerceatur. Imò neq; omnino moueatur, neq; lauetur. Verùm in omni quiete seruetur. Et edulia & potiones ac pharmaca exhibeantur attenuantia, & secantia, citra manifestam calfactionem. Victus itaq; sit ex aceto mulso, ita ut aliquando etiam parū ptisanæ & aquæ mulsæ exhibeamus. Quando uero etiam præcordiū omnibus talibus eleuatum est, & inflatū, & facile inflantur, quicquid tandem ingesserint, præstiterit aliquid piperis cum alimento dare. Melius etiam fuerit diospoletico uti medicamento, & simplici illo ex tribus piperis generibus cōposito. Sed & acetum mulsum commodissimum ipsis est. Potu uero utantur fauorum cremore cocto, maximè ubi exacuerit, & uinis leniter acidis, & edulijs attenuantibus citra calefactionem: qualis est & capparis, si ex aceto mulso, aut ex aceto & oleo sumatur. At uero tensiua lassitudo, ubi citra exercitia oboritur, multitudinem indicat solidas animalis partes distendentem. Clarum autem est si sanguinis fuerit multitudo, optimū esse aut uenam secare, aut malleolos scarificare. Cæterùm inflammatiua spontanea lassitudo, neque paucarum horarum tarditatem sustinet, nedum duorū aut trium dierum. Statim enim febrem inducit uehementissimam, si non quis præoccuparit sanguinem detrahendo. Præstat autem si id fieri possit, bis detrahere, una die, priore uice ita euacuando, ut ne animi deliquium incidat homo. Secunda uero uice neq; animi deliquium uereri conuenit. At si uena his secta non fuerit, bona fortuna ita affecti opus habent ut seruentur. B

Spōtaneæ lassitudines — *Vini coctoriam uis* — *Fauorum cremoris potus*

Victus

A

Victus senum. CAP. XXIII.

SEnectus sicca est & frigida. Correctio uero eius fit per calefaciẽtia, ac humectantia unà cum calefacientibus. Oportet autem & fricare citra lassitudinem. Cibum autẽ dare debilioribus ter in die, circa horam tertiam parum panis cum melle Attico. Et postea hora septima, ubi defricti, & exercitijs conuenientibus senectuti exercitati, & loti fuerint, primũ exhibere quę aluum molliunt. deinde pisces aut auiculas postea in cœna ea quæ optimi succi sunt, & ægre corrumpuntur. Nec uero prohibeo uinis ex melle præparatis uti, & maximè in his senibus, in quibus suspicio aliqua est generationis calculorum in renibus, aut etiam podagræ. Tunc uero in ipsum injiciendum est petroselinum. Si uero quandoq; pituita in uentre generata, de necessitate deligamus aliqua illam secantia, statim ad humectantem uictũ transire oportet. Dandæ uero sunt ipsis etiã maturę ficus, ante reliquũ cibum. In hyeme autem caricæ, si nullum symptoma circa dextrum præcordium sentiatur. Quandoquidem uero serosa ac pituitosa recrementa, circa senum corpus coaceruantur, mictionem quotidie promouere oportet, & uentrem subducere, maxime per oleum absorptum ante cibos. Clarum aũt est quòd omnia oleracea ante cibos edere oportet, ex oleo & garo. Itemq; oliuas ex muria, & damascena. At aluo amplius suppressa, etiam mercurialis satis est efficax, & cnicus. facit & terebinthina. de hac autem quandoq; nucis ponticæ magnitudinem sumere oportet, quandoq; duarum aut trium. Est & oleum per clysterem infusum aluo suppressæ commodissimũ.

Senibus ter in die cibus dandus

Vina ex melle præparata

Terebinthina ad aluum suppressam

Ad rugosum corpus. CAP. XXIIII.

COrpus erugat erui farina, uiti albæ ammixta. Aliud smegma, quo frequenter corpus confricari debet. Ficus pingues unà cum bryonia tunduntur, & farina erui, & sepiæ testæ ustæ adijciuntur, atq; hæc modico melle instillato excipiuntur.

Rugas tollentia

B

Vt iucundum odorem spiret corpus. CAP. XXV.

QVo uero iucundum odorem spiret corpus, ad idem ungentum cupressi comam ammiscere oportet siccam tusam, aut pini corticem. Verùm eius meminisse conuenit, ut mane post indutas uestes parum casiæ aut sabinæ degustent.

Odorem corpori conciliantia

Vt recalescat habitus. CAP. XXVI.

QVandoquidem uero etiam habitui opitulari oportet, medicamẽto defricticorio inspersili feruefaciẽte in balneo dum lauatur utatur. Habeat autem id calamintham, sampsuchum, hyssopum, baccas lauri, rorem marinum, lapidem pyriten, salem, fecem uini ustam, nitrum, & pumicem, singula pro ratione, & parum sinapis, & staphidis syluestris, & grani cnidij. Verum à balneo acopo utatur calefaciente, & bibat uinum fuluum uetus, & propoma ex uino mulso, pipere, & ruta, ac similibus.

Propomatis potus

Ad colorem uitiatum. CAP. XXVII.

COrporis colorem uitiatum minuit uita hilaris, & cibus gratus. cui ammiscere oportet radiculas, & porrum, & uiride cicer. Bonum autem colorem facit mali punici dulcis succus absorptus. Bonum est etiam oleũ coctũ diutius in ipso bryoniæ radice. Hoc quoq; corpus erugat. Cæterùm in medicamẽta defrictoria ammiscere oportet pastillos factos ex farina aliqua detergente, & ex bulbo narcissi, & bryoniæ radice. Bonum colorem inducunt, si cui copia detur, amygdali amaræ & radix, & fructus, si in aqua coquantur, atq; hac quis pro balneo utatur.

Colorem bonũ inducentia

Ad liuores. CAP. XXVIII.

LIuores oboriti in senibus prohibere oportet, cutem ipsorum crassam faciendo, ita ut non facilè lædi possit, & habitum ualdè calidum reddendo. Quo uero citius decedant, sale utendum est in balneis ad denigratam partem. Sed & spongijs raphani aut absinthij decocto imbutis fouere prodest.

Liuoribus arcendis

Dentibus præseruandis. CAP. XXIX. A

Dentes conseruantia

DEntes non discedent si quis hæc faciat. Vitare oportet primum ciborũ corruptiones. Vitare etiam assiduum uomitum. Vitare quoque cibos qui dentibus non sunt commodi, ficus siccas, & mel coctum ualde durum, & palmulas quæ ægre teruntur, & omnia quæ glutinum habẽt, & quæ uix franguntur, adeò ut dentes commoueant; & quæ dentibus stuporem inducunt, & perfrigida ac putrida omnia. Oportet etiam post cœnam, dentes perpurgare.

Vt ne grauis sit auditus. CAP. XXX.

Auditus grauitati corrigendæ

VT ne grauis sit auditus, primũ sordes in meatu expurgare oportet. Per temporis autem interuallum linamẽtum dropace intinctum in ipsum demittere, & appressum extrahere. Nam simul & meatus expurgatio fit, & simul auditus prouocatio. Postea lana ad erui magnitudinẽ obuoluta, meatum ad diem obturato. Et deinde ea extracta, ad dies aliquot oleo amygdalino, aut nardino, aut chamæmelino, aut adipe anserino cum modico felle bubulo illinito. Rursus autem tempore interposito, sinapi & ficus terito, & factum ex his collyrium ad horas duas indito. Et postea hoc quidem eximito, infundito autem oleum in asphodeli radicis cauitate feruefactum.

Ad caliginem oculorum. CAP. XXXI.

Oculis conseruandis

VT ne caliginem habeant oculi, quum in aquam frigidam te immergis, diutius apertis suspice. hinc enim robur uisui accedit. Nec uero lectionibus talem offendere oportet. Caueant autem à uino crasso ac dulci, & cibis qui diutius supernè manent, & qui ægrè concoquũtur, & liquidam materiam generant lentam ac crassam, erucas item & porrum, & omnia quorum acrimonia sursum attollitur. Vitare etiam oportet decubitum supinũ diutiorem, & frigus, & uentos contrarios, & fumum, & puluerem. Ipsis autem oculis aquam hoc modo factam quotidie instillare conuenit. Ad mensis & diei unius spatium, fœniculũ uiride in uas fictile forinsecus pice oblitum mittito, & aquam pluuiatilem affundito, & postea exempto fœniculo, aquam repositam seruato ac utitor. B

Fœniculi cremor

De repletione. CAP. XXXII.

Vomitus ratio

IN cibis maximè delinquitur circa repletionem. Nam etiamsi uentriculus probè concoquat, uenæ tamen nimium impletæ affliguntur, distenduntur, rumpuntur, obturantur, & flatu plenæ fiunt, & ualdè grauantur. Pessimum autem est in morbis uenarum repletionem esse. At uentris repletio quandoq; sursum euacuat id quod redundat, quandoq; deorsum per secessum: & in summa, debilior est repletione uenarum. Et tamen neq; hæc admittenda est. Verùm si quis plura ingesserit, statim uomere oportet. Periculum enim est ne facta concoctione impleat uenas, & hoc magis si quis assiduè circa ciborum ingestionem intemperans, nullam euacuationem excogitet. Vomere igitur oportet priusquàm cibi corrumpãtur. Si uero aliqua impedimenta sint ad uomitum, si quidem fluat aluus, sæpe prodest: sin minus, diutius dormire, & aquam calidam frequẽter bibere. Facta autem sufficienti concoctione, & maximè facta etiam alui egestione, lauare oportet, & fomenta adhibere, & salsamentum modicum edere, & potionem aquosam bibere. Si uero neq; egeret quicquam, neque cito coquet: Insuperq; reliquum corpus graue, & ægrum ad motum, & somnolentum fuerit, & pigricies quædam præter rationem detinuerint quoque mentem. Hæc signa sunt repletionis uenarum. Qui uero ob hæc lassitudine premuntur, his quiescere conducit, donec ea quæ in uentriculo sunt concoxerint, & postea laboribus euacuare.

De ebrietate. CAP. XXXIII.

Ebrietatis medelæ

EBrietate detentis uomitus conuenit statim obortus. Oportet autem & largam aquam insuper bibere, itemq; aquam mulsam, & uomere donec quàmplurima reiecerint, & morsus obtuderint. Post uomitus autem solio

utendum

A utendum est, cum larga unctione. Reliquo uero tempore quiescendum, ita ut sub tegmine dormiant longissimo tempore, donec temulentia soluatur.

De his qui cibos corrumpunt. CAP. XXXIIII.

COrruptione ciborũ in uentre contingente, quibus quidem subeunt corrupta, hi magnum uiaticum ad sanitatem habent. Quibus aũt non subeunt, his irritatio facienda est, per ea quæ citra molestiã subducunt. Ceterùm ita affectis uomitus ante cibum conferunt, ex uini potu, & dulci uino ac passo inducti. Consulendum autẽ ipsis est, ut nullum nidorosum, aut graueolentem, aut omnino facile corruptioni obnoxium cibum ingerant, sed eos qui boni succi sunt eligant. His uero qui hoc modo habent, etiam per moderata temporis interualla uentris subductiones conferunt, per ea quæ moderatè purgant.

Vina ad uomitum

De Venere. CAP. XXXV.

EX Venere hæc commoda emergunt, repletionem euacuat, corpus leue exhibet, & ad incremẽtum promouet, & uirilius efficit. Circa animam uero, impeditam ratiocinationem soluit, & impotentẽ iram remittit. Quare etiam melancholico, si quod aliud, remedium commodissimum est coire. Redigit item ad moderatiorem mentem, eos qui etiam alio modo insanierunt. Et morbis pituitosis optimum est. Quidam etiam quũ cibos auersarentur, ad eos accipiendos promptiores inde facti sunt. Et quidam à seminis per somnum assidua profusione liberati sunt. Naturæ uero ad Venerem idoneæ sunt calidiores ac humidiores, atq; hæ magis quàm aliæ in Venerẽ procliues sunt. Minimè uero uictus siccans ac perfrigerans, & ætas senilis, & tempus autumni. Oportet itaq; uictum humidum ac calidum esse. Sit autem & laborum, & ciborum moderatio. Quemadmodum autem moderati labores conueniunt, sic etiam moderata Venus. Nam & ad opus excitat, & facilitatem quandam consuetudini exhibet. Requirit autem coitus, si quicquam
B aliud, etiam alimenti copiam. Quare edulia quę multũ nutriunt commoda fuerint. Ex piscibus autem polypi. Nam & aliàs ad Venerem irritare creduntur, & quæcunq; mollium generis existunt. Ex oleribus horminum, irio, eruca, & rapum. Et hæc uelut medicamenta. Ex leguminibus fabæ & cicer, ochri, dolichi, pisa, supra luculentum alimentum etiam flatu implent. Proinde ruta quia flatus concoquit ac dissipat, ideó etiam coitus hebetat. Magnopere autem laudo botros uuarum. Humectant enim, & sanguinem flatu implent, qui sanè ad Venerem impellit. Qui Venere usurus est, repletiones & cruditates uitet. Sed & lassitudines uitandæ sunt, & uomitus ac purgationes prægressæ. Similiter & alui profluuium repentinum. Nam inueteratum Venus resiccat. At uero uehementes Veneris appetentias non laudo, sed tunc magis reniti iubeo, & maximè eos qui morbum aliquẽ habent. Optimum igitur fuerit coitu uti post exercitia, & balnea, & moderatum cibum. Nam & ad robur conducit; & perfrigerationes ab eo urgentes minus fiunt. Tempus autem ad coitum oportunum est post cibum uelut dixi, ante somnũ. Obdormienti enim statim sedatur lassitudo. Et hoc tempus etiam commodum est ad liberos gignendos, tum ob alias causas, tum quòd mulier dormiens genituram magis continet.

Veneris utilitas

Venerem stimulantia

Ruta noxia

Liberis gignẽdis aptum tempus

Ad impotentes ad coitum. CAP. XXXVI.

PVdenda assiduè unguine illinere oportet, cui pars de radice narcissi modica addita sit, aut de cnidio grano, aut pyrethro, aut staphide syluestri, aut semine urticæ, aut anisi. præbibendum autẽ est piper, aut satyrium, aut eruca, aut cnicus, aut omnia simul. Edere uero oportet ante cibum, bulbos rubicundos paruos assatos, cum sale & oleo: aut scillæ marcidę parum. Sed & compositis descriptis auxilijs ad hæc utendum est. Quin & lasciua scripta sæpe legere prodest.

Coitum proritantia

De immodico coitu. CAP. XXXVII.

QVandoquidem ex frequentiore coitu, rarius & frigidius, & siccius, & debi-

debilius fit corpus, ea quæ densant nimirum, & calefaciunt, & humectant, ac corroborãt, adhibere oportet. His igitur qui immodicè Venere usi sunt, conuenit tegmen, tepor, quies, somnus multus, donec corporis concitatio remissionem accipiat, & seipsos ab imbecillitate recolligant. A

Venus immodica

De seminis redundantia. CAP. XXXVIII.

QVidam semen multum calidum coaceruantes, deinde ad Venerem accedentes, ipsumq; excernentes, & corpus debile habent, & stomachũ exolutum, & attenuantur ac resiccantur. Si uero rursus propter hæc à Venere abstineant, & capite grauantur, & anxij fiunt. Deinde statim per somnum semen profundentes, eadem perpetiuntur. Oportet itaq; nihil ex his quæ semen augent exhibere, sed & cibos, & medicamenta accipere, quæ ipsum corrumpunt. Et post balneum lumbos illinere oleo rosaceo, melino, & omphacino. Præstat autem hæc ipsa crassiora facta illinere, ammixta cera, & succo aliquo ex perfrigerantibus, semperuiui uidelicet, & solani, & cotyledonis, & psyllij. Et his quidem per æstatem, alijs autem temporibus, tum alijs, tum lactucæ succo, & lini semine in aqua cocto. Nam & hoc perfrigerantem succum facit. Sed & lamina plumbea lumbis subiecta, seminis per somnum profusionem prohibet. Et herbæ frigefacientes cum ruta, & summis teneris uiticis uirgultis substratæ idem faciunt. uiticis item semen, & rutæ si edantur. Vitare autem oportet ne lumbi uehementer perfrigerentur, ut ne rhenes lædantur.

Semen minuentia

De perfrigeratis. CAP. XXXIX.

PErfrictione multa facta, ita affectos in calidis locis reclinare oportet, illitos cyprino aut irino. Postea uero ubi paululum recalfacti fuerint, dandum est piper, & myrrha, cum uino dulci odorato ueteri: aut succus cyrenaicus cum uino aut aceto: aut pyrethrũ, aut castorium cum aceto. Alimentum autem exhibere oportet calidius.

Perfrigeratos recalefacientia

De adustis à sole. CAP. XL. B

ADustione in sole facta, decumbere in locis qui probè perflantur conuenit. proluere autem faciem, & manus, & crura aquis frigidis. Si uero siti uexentur, bibere aquam frigidam, quibus id facere in consuetudine existit. Atq; hæc paulatim facere oportet, & non aceruatim. Cibum autem accipere modicum, qui facile in corpus distribui possit, atq; eum humidũ magis quàm solidum aut frumentaceum.

Percalefactos refrigerantia

De pituita in superno uentre redundante. CAP. XLI.

SI unquam in aliquem incidisti, qui nutrientes cibos oblatos auersaretur, & à cibis abstineret, & si cogeretur accipere, nauseabundus fieret, solos autem acriores (si tamen & hoc faceret) admitteret, & neq; his delectaretur, sed uentre inflaretur & nausearet, & solis ructibus paululum alleuaretur, corrumperet autẽ quandoq; etiam ipsos acceptos cibos, ea corruptione quæ fit in acorem: omnino cognosce summam curationis in his auxilijs sitam esse, quæ uentris pituitam extergere possunt. Ego itaq; noui quendam ita affectum, à radiculis cum aceto mulso acceptis, crassissimæ pituitæ copiam fidem excedentem uomuisse, & e uestigiò penitus sanum euasisse.

Vomitus pituitæ à radiculis

Quomodo quis facile uomat. CAP. XLII.

QVandoquidem his qui assiduè uomũt multa absurda accidere solent, commodum fuerit modos referre, per quos facile uomere datur. Nam & pituitam euacuat, & caput allenat, & quandoq; etiam prohibet, ut is qui auidius cibum accepit, cruditate non laboret, & qui uinum uberius bibit, non lædatur. Sint igitur ea quæ ingeruntur, non acerba & sicca, sed partim dulcioris ac humidioris modi, partim acrioris. Inter hæc autẽ radicula laudatur, & eruca, & salsamentum uetus, & origanum uiride, & cepæ ac porri parum. Vomitus etiam promouent ex leguminibus, ptisana mel ammixtũ habens, & decoctum fresarum fabarum, & carnes pingues: uerùm ita ut nõ solum succos ipsorum accipias, sed etiam totam molem deuores. Ne itaque

Vomitus facilitas

circa

A circa manducationem multum tempus teras, si uomere uoles: sint q; omnia per cocturam mollia. Manifestũ uero est quòd etiam ex uinis eligenda sint dulciora. Hæc enim magis innatant. Sed & potu tepidiore utendum est. Oportet autem & amygdalas melle tinctas edere, & placentas tunc gustare, & peponis ac cucumeris semen madefactum ac tritum cum melle accipere. Facit etiam cucumeris radix trita cum melle. Qui uero fortioribus uti uolunt, narcissi bulbum in aqua coquunt, & cum hac uinum miscent. Vomitum mouet quoq; irinum ungentum, si quis illitis ex eo digitis prorìtet. Ad uomitionem etiam pertinet, non remittere, neque cessare inter uomendum: & os colluere, & faciẽ posca aut aqua abluere. Nam & dentibus confert, & caput alleuat.

De subducentibus aluum, & urinam mouentibus in sanis. CAP. XLIII.

Veteres quidam ad sanitatem satis esse putabant, quotidie eua cuari per uentrem, & urinas inculpatè ac sufficienter, per ciborum ac potuum ingestorũ copia. Etsi quidem euacuationes pro ratione fiebant, laudabant: Sin minus, opitulabantur mictioni quidem, per scandicem & apium, asparagum, petroselinum, anisum, calaminthum, origanum, absinthium, gramini sac cardui radicem, cytisum, adiantum, in aqua cocta, ita ut decoctũ cum uino biberetur. Hæc enim sanguinem per urinam purgant, & nõ exiguam utilitatem exhibent. Verùm uentri opitulabantur, tereb nthinã dantes oliuæ magnitudine deuorandam dormituris. Si uero magis subducere uolumus, de rheo parum ammiscemus. Commoda autem sunt ad uentris subductionem, oua sorbilia, & ex oleribus betæ, maluæ, & cochlearum iusculum. Et fortassis hæc suffecerint. Maiorem uero uim habet mercurialis in aqua cum sale cocta, & in cibo accepta, & decoctum ipsius in potu. Et sambuci folia eodem modo. Et polypodij radicis drachmas duas salsamentis inspergere, aut in ptisana sorbere. Sed & lactis serũ cum sale, aut melle, trium aut
B quatuor heminarũ mensura. Et galli ueteris iusculum, tum per se, tum cum cnici drachmis duabus. Quandoq; etiam aloës ciccrum trium magnitudinem post cœnam sumere prodest. Optimum est & epithymũ cum uino potum, post moderatam cœnam. Qui uero uehementiore euacuatione opus habet, ueris tempore mane epithymi drachmam ex aceto mulso bibat.

Vrinam mouentia

Terebinthinã ad aluum supprestam

Rheon aluum subducit

Aluum subducentia

De infusis per clysterem. CAP. XLIIII.

Caeterum in his qui aluum ægrè solubilem habent, & quorum stomachus debilis subducentia per os non admittit, infusis per clysterẽ utendum est, pituita in intestino incumbente, his quę fiunt ex decocto caricarũ, & betarum, & nitri, & radicis cucumeris syluestris, & melle, & oleo chamemelino aut anethino. Si uero siccitas magis inest, his quæ fiunt ex althæa, fœno greco, chamæmelo, & oleo ac modico melle. Et quandoq; oleum per se hemina dimidiæ mensura immissum, quod opus est præstat. Sed neque hoc assiduè faciendum est, ne natura his adsuescens, spontaneæ excretionis obliuiscatur.

Infusorum per clysterẽ ratio

Nimius medicamentorũ usus nociuus

De glandibus. CAP. XLV.

Vtimur & glandibus sæpe, stercorum excretionis gratia, & in his quibus id quod per clysterem immissum est nõ excernitur. Formantur autem glandes ex sale tosto, & melle ac nitro. Sed & thymus cocto melli miscetur. Formantur etiam ex resina terebinthina, & nitro, & quandoq; etiam grano cnidio moderato. Excitant autem morsus. Qua propter oleo partes inungendæ sunt. Quin & pyrethrum aut piper ammiscetur, & conueniunt resolutis, & inflationibus ex frigiditate. At centaurium miscetur pici & cerato, & est commodum resolutis pudendis. In infantibus autem & salis grana inditur. Efformatur quoq; ficus cum nitro.

Glandiũ subditiciarum usus

Quæ cõmansa, aut naribus indita ac illita, pituitam à capite ducant. CAP. XLVI.

Humores in capite per sputa uacuamus, si quidẽ modice hoc facere uoluerimus, piper mastichæ ammiscentes. Si uero amplius uacuare uolumus,

mus; pyrethrum, aut staphidem syluestrem mandere iubemus. Sed & ane- A mones omnis radix, si manducetur pituitam prouocat, & radicis capparis cortex. Serosum itaq; recrementũ per talia euacuatur. Crassum uero & pituitosum, sinapi cum aceto mulso gargarissatum euacuat: aut sapa origano aut hyssopo in ipsa cocto. Ego autem hanc ad sinapi cum aceto mulso ammisceo. Si uero cerebrũ à muco expurgari opus fuerit, acribus medicamentis irritantes, ipsum proliciemus, quorum aliqua etiam sternutationem mouent. Purgat itaq; per nares anagallidis utriusq; succus, & anemones cuiusuis, & betæ. Sed & cucumeris syluestris foliorum succus naribus infunditur, tum ipse per se, tum cum betarum decocto, aut succo. Verùm sternutatio in crudis humoribus circa thoracem & pulmonem, & caput contentis, non conducit. At oris illitio talis est. Saponem cum betæ succo illine circa palatum ac columellam, probè facit. Idem etiam naribus inditur. Sæpe uero usus sum parabili medicamento, melanthio naribus illito, quandoque pridie acri aceto id macerans, deinde postera die rursus cum aceto terens, & naribus infundens: quandoq; oleo ueteri idem melanthium tero, & similiter utor. Atq; sic ipso utitur & Archigenes in narium obturatione. Priore uero cum aceto, Crito utitur in morbo regio.

Pituitam à capite deducētia

Sternutatio quando sit nociua

Quæ menses ducant. CAP. XLVII.

Menses ducentia

OMnia quæ urinam cient, etiam menses ducunt. radicis brassicæ decoctum, perseæ radix, ruta, chrysanthemum, dictamnũ, erucæ semen. Mouent etiam subdititia ad os uteri apposita, uelut est ruta trita cum melle, aut porri succus, aut scordium tritum appositum, aut myrrha trita ex uino, aut leporis coagulum.

Sudorifica. CAP. XLVIII.

Sudorē cientia

EX sudorificis est chamæmelon siccum tritum oleo inspersum, ita ut cutis contentè ex eo defricetur, seseli, pyrethrum, roris marini semen, anisum, similiter oleo inspersa. Nitrum tostum & non ualdè tenue cum oleo. B Salis flos oleo permixtus. Succus cyrenaicus aqua dilutus, ad defrictionem corporis assumptus, & ciceris magnitudine in potu acceptus. Similiter & calamintha cum aqua mulsa pota, & forinsecus cum oleo affricta.

De aëre. CAP. XLIX.

Aër qui sit optimus, & uice uersa

OPtimus aër est exactè purus. Talis autem fuerit, qui neq; ex stagnorũ aut paludum exhalatione, neq; ex aliquo barathro uenenosam auram remittente turbatur. Sic autem & is qui ex aliqua cloaca magnam urbem expurgante turbatur, malus est. Quin & qui nebulosus est, bonus non est. Quemadmodum & qui in cauo loco undiquaq; montibus altis conclusus, nullam auram admittit. Qui igitur hoc modo prauus est, omnem ætatem, & omne temperamentum similiter lædit, quemadmodum bonus prodest. At uero circa qualitatem differentia, caliditatem dico & frigiditatē, & siccitatem & humiditatem, non similiter se ad omnes habet. Nam temperatis corporibus, temperatus aër commodus est. Intemperatis, is qui contrariam temperiem habet.

De aquis. CAP. L.

Aqua quæ optima sit, & contra

OPortet etiam aquarum uirtutis ac uitij peritũ esse. Multi enim usus sunt aquæ præ omnibus ferè rebus alijs, ad omnem uictus rationem. Nosse itaq; oportet optimam aquam omnis qualitatis exortem esse, tum in sapore, tum in odore. Statim autem hæc & iucundissima est bibentibus, & aspectu pura. Quum autem & de præcordijs cito secedit, ne quærere quidē meliorem oportet. Nam quæ in præcordijs morantur, & uentrē feriunt, & inflant, & grauant, prauæ censendæ sunt. Neq; enim calefiunt cito, neq; perfrigerantur tales aquæ. Sed & quæ in ipsis coquũtur, tardissimè ac peius coquuntur. Præstat itaq; experimento talem aquam iudicare. Qui uero etiam per notas cognoscere uolet, ex his quæ referentur iudicet. Etenim quæ ad septentrionem conuersæ sunt, & à sole auersæ, tardi transitus sunt & inconcōctiles:

A coctiles: & calefiunt & perfrigerantur tardè. Quæ uero ad orientem per meatum aliquem, aut terram puram excolantur, celerrimeq; calefiunt, & celerrime perfrigerantur, eas optimas esse sperandum est. Bonæ sunt & quæ æstate frigidiores, hyeme calidiores existunt. Quidam etiam pondere probant, leues meliores esse putantes. Verùm hoc si cum alijs relatis est, laudatur: solum autem non satis est, ut sit bonarum aquarum signum. Leuissimæ autem uelut Hippocrates ait, sunt pluuiales, dulcissimæ item ac limpidissimæ & tenuissimæ, eo quòd à sole id quod leuissimum ac tenuissimũ est abripitur. Educit autem sol non solùm ex alijs aquis, sed etiam ex mari, & ex corporibus. Quapropter etiam facillimè omnium putrescunt, ut quæ ex diuersis qualitatibus constent. Nemo uero suspicetur pessimam esse aquam quæ facilè putrescit. Alterationis enim facilitas uirtuti magis quàm uitio adscribitur. Quare si aqua optimarum aquarum notas habens, facile quoq; putrescat, optimam ipsam esse putandum est. Quum tamen in his qui biberũt mutari incipit, raucedinis & tussis, & grauis uocis causa existit. Ex ipsis uero pluuialibus aquis, æstiua & cũ tonitruo delapsa melior est quàm procellosa. Pessimæ autem sunt à glacie & niue. Nam circa aquæ congelationem, quicquid tenuiorũ partium est exprimitur. Bonum autẽ fuerit etiam palustres, & graueolentes, & eas quæ absurdas qualitates habent, per cocturam in melius mutare, atq; sic bibere, itemq; uino permiscere, adstringẽtes quidem dulciore, reliquas autem acerbiore. Quasdam etiam colare conducit, limosas, & salsas, & bituminosas. At ualde frigidas post cibum bibere oportet, & neq; aceruatim. Quidam uero cibos etiam ac potus inuenerunt aduersus aquarum uitia. Et aliqui quidem cicerũ decoctum præbibunt, aut etiam ipsum cicer edunt. Aliqui uero caucalidas similiter cum aliquo pisciculo coctas: & fœniculũ eodem modo. Alij uero betas & cucurbitas prius edunt cum sale & uino diluto. *Aqua facilè putrescens*

B

De balneis. CAP. LI.

LAudo quidem in frigida aqua lotionem, non dico autem ipsam conferre his qui uulgari uictu citra delectũ utuntur, sed solis his qui exactè uitam degunt, & laboribus ac cibis prout conuenit utuntur. Satis est aũt plerisq; quandoq; perfrigerari amplius opus habentibus, innatare aliquando per æstatem, si iuuenes fuerint & carnosi, & frictionibus prius excalefacti. Sint autem neq; ex Venere, neq; aliàs delassati, neq; cruditatem, aut uomitum, aut uentris euacuationem, aut uigilias perpessi. Periculosum enim est si quis ita simpliciter utatur. At calidum balneum optimũ est & tutissimũ, lassitudines soluens, & plenitudines discutiens, excalefaciens, leniens, molliens, flatus diffundens ubicunq; incubuerint, & somnum inducens, & carnositatem exhibens. Est autem & aptissimum ad usum, & uiro, & fœminæ, & puero, & seni, & magistratum gerenti, & priuato. *Frigidæ lauacrum*

De balneis naturalibus. CAP. LII.

EX balneis naturalibus aliqua sunt nitrosa, aliqua salsuginosa, aliqua aluminosa, aliqua sulphurulenta, alia bituminosa, alia ærosa, alia ferrosa. Quædam uero ex his composita. Omnium igitur naturalium aquarum uis est siccatoria ac calefactoria in totum, & maximè conueniunt humidis ac frigidis, priuatim uero nitrosa, & quę salem habent, capiti congrua sunt, & thoraci fluxione infestato, & stomacho humido, & hydropicis, & tumoribus ex morbis, & pituitosis. Aluminosa uero sanguinis reiectionibus, & stomacho uomenti, & mulieribus quæ inordinatè purgantur, & frequẽter abortiunt. At sulphurulenta neruos molliunt, ac calefaciũt, & dolores mitigant. uerũ stomachũ effœminant ac euertunt. Bituminosa autem caput implent, & sensuũ organa lædunt. Calefaciũt aũt perseuerãter, & tẽporis progressu molliũt. Aerosa uero ori, tonsillis, uuæ, & oculis insigniter cõmodãt. ferrosa autem stomacho & spleni utilia sunt. Oportet autẽ desessus in aquã citra tumultum facere, quò uis ipsius remisso corpori allapsa immergatur. *Balnea naturalia*

De uictu temporibus anni singulis conueniente. CAP. LIII.

Hyemis uictus Bonum est & ad anni tempora habito respectu uictus rationē cōstituere: et & hyeme quidē pluribus laborib. uti, & plura comedere, præsertim quū constitutio fuerit aquilonaris. Nam si austrina fuerit, laborandum quidem est similiter, sed pauciores cibi ac potus exhibendi sunt, & in summa, corpus siccum faciendum est penitus tempore humido: quemadmodum calidius in frigido. Edere autem oportet carnes calidas, & olera, & uinum bi-
Veris uictus bere copiosius. Verùm uere ingruente, alius per uomitus, alius per uentrē euacuetur & alius uenam secans sanguinem detrahat, prout quisq; consue-
Aestatis uictus tus & paratus fuerit. At æstate quies conducit, & laborum & alimentorum imminutio: & ut frigidioris modi sint cibi: & potu largo uti, & omnia face-
Autūni uictus re quæ ad refrigerationem & humiditatem conferunt. Circa autumnum uero, quandoquidem penitus est inæqualis, & inordinatus, & omnigenos inducit morbos, ualde cautè uictū constituere oportet, ita ut ne quis circa frigiditates delinquat, & a Venere ac frigida potione cōtinentissimus existat. Et mane quidem frigidum aërem, in meridie uero æstuosum declinet, & pomis nō nimis impleatur. Lædunt enim nō copia solū, sed etiam hu-
Pomorū usus ratio moris uitio, & quòd flatum inducant. Nam & optima ex ipsis, ficus & uuarum botri, flatus pariunt, si quis non ante alios cibos accipiat, & cibos corrumpunt. Si uero præsumantur, neq; inflant, neq; corrumpunt. Cæterùm frigidiore euadēte aëre, pro ratione calefacere corpus oportet, & omnia facere ueluti hyeme accedente. Quin & bonum fuerit post æquinoctium euacuatione aliqua ex prædictis uti, quo nihil superflui in corpore detentum, in hyeme fiat molestum.

Victus negociosam uitam degentium. CAP. LIIII.

Evm qui in negocijs uitam degit considerare oportet, an in priore uita exerceri consueuerit, aut iam se exercens, moderate talem consuetudinem ferat: ut ne ægrotet ex eo quòd assiduè probe transpirat. Talem enim corporis naturam, ad aliam consuetudinem penitus transferre nō oportet, in his qui ex multo temporis interposito interuallo ægrotant. Si uero assidue quis ægrotare uideatur, & hoc ob humorum copiam, scopus tibi sit per totam salubrem uictus rationem, quo moderatos humores habeat: Si uero
Consueti morbi nō sunt trās mutandi ob humores uitiatos, quo optimos. Ex his igitur qui humorū copiam coaceruāt, eos qui statim balneum ingressi sunt, postea frictione uti, & parum moueri exhortabimur. Qui uero iam talia fecerunt, paulatim etiam ipsos hæc augere consulemus, uerùm de cibis detrahere, & parū nutrientes ingerere. At eorum qui humores uitiatos coaceruant, non unus est scopus, quia neq; humorum uitiatorum una species. Quidam enim frigidiores ac pituitosiores coaceruant. Quidam calidiores ac biliosiores, quemadmodum alij atrabiliarios. Abstinendum itaq; unicuiq; est à cibis ac potibus, qui humorem eum qui in ipsis coaceruari solet, promptè generant. Verùm in omnibus his commune auxilium est uentris subductio.

Victus iter facientum. CAP. LV.

In profectionibus facillimè quis uersabitur, si unctus sit, & nō ita contentè ac pertinaciter iter faciat, insuperq; æstate fascia molli, latitudinis sex aut septem digitorum, longitudinis autem non minoris quàm quinq; cubi-
Proficiscentiū peregrè uictus torum, lumbos usq; ad laterum mollitudinem circundatus. Sed & baculus commodus est ad profectionem. Nam in decliuibus locis præmissus, corpus pronum, quasi conto quodam sustentat. In accliuibus autē, dum quis ipsi innititur, motū corporis ad accliuem locum faciliorem facit. Quiete igitur in profectionibus contingente, unctio, & modica cibi alicuius æstiui oblatio, & potus moderatus, hac hora conuenit: & post prandium ante itineris ingressum quies. Si uero quis proficisci cogatur, & sitiat, polentā teneram in aqua cum modico sale bibat. Cæterùm ardores & solem uereri oportet, & ut ne corpus nudum soli exponatur, sed contectum, ut ne in iti-

nere

A nete resiccatum induretur. Sic enim & lassitudo minus contingit, & relatarum affectionũ nulla similiter inciderit. At ubi hyems frigida est, ante profectionem uentre euacuato, & unctione facta, aliquem satis multum cibũ hybernum, & exiguum potum sumere conuenit, & circundare fasciâ longiore non solum lumbos, sed bene ac probe etiam spinam ac pectus. Vbi uero quiescit, si in tali recreatione frigus multum fiat, neq; ungi, neq; cibum, neque potum capere melius est, neq; aliam quampiam refectionem, si quis in eo loco permanere uelit. Post longas autem profectiones, & alios fortes labores, etiamsi quis lassitudinē non sentiat, curare ipsum oportet ueluti lassatos. Sic enim minus molestiarum acciderit.

Victus nauigantium. CAP. LVI.

VOmitibus qui primum nauigantibus contingunt, neq; facile, neq; utile est resistere, plerumq; enim omnibus prodesse solent. Oportet autē post uomitū non multa, neq; uulgaria edulia exhibere. Sed aut lente uti sic cacta, modicum pulegij habente, aut pane trito in uino aquoso ac odorato. potu uero utendum est modico, eoq; aut uillo penitus aquoso, aut ace tomulso. At lentem coquere oportet, & ubi mollis facta fuerit, probè tere re, deinde siccare, atq; sic in uase fictili componere. Si uero ad longius tempus uomitus fiant plures, uehementiore cibi subtractione utendum est, & ipso potu modico, aut aceto mulso cum aqua, thymo in ipso macerato, aut pulegio: aut aqua cum polentæ polline: aut uillo odorato aquoso similiter cum polline polentæ. Cæterū ad molestos in nauibus odores, aut mala cotonea olfacere oportet, aut thymum aut pulegium. Sed & quàm minimum in mare aspicere oportet, donec ad consuetudinem peruenias quis conuersationis in mari. Ad aquas item respiciendum est, ut neq; turbatæ, neque graueolentes, neq; salsæ sint. *Nauigantium uictus* *Vomitus primum nauigantium*

De carnium imminutione. CAP. LVII.

B QVum ad immodicam carnositatem egressum fuerit corpus, eliquare ipsum ac imminuere oportet. Ostensum autem est, quòd calidior ac siccior temperatura gracile efficit corpus. Talem igitur in crassis inducere conuenit, si ad moderationem reduci debent. Didicisti autem quòd exercitia uelocia & acuta, & diæta attenuans, & eiusmodi medicamēta, & animæ curæ, temperamētum calidius ac siccius reddunt, & per hoc, etiam corpus tenuius. Qui igitur sit uictus attenuans, manifestum est. Medicamenta uero uehementiora sunt, rutæ semen, maxime syluestris unà cum corymbis, aristolochia rotunda, centaurium tenue, gentiana, polium, & quæ ex urinā cientibus fortiora sunt, uelut petroselinum. Singula enim hæc tum per se, tū inter se mixta, humores attenuare ac euacuare possunt. Sed & sal ex ustis uiperis abunde attenuat, & theriace. discuunt autem & attenuat oleum illitum, cui syluestris cucumeris radix sit incocta. Itemq; althææ ac gentianæ, & panacis & aristolochiæ radix oleo incocta. Sed & polium & centauriū. Oportet autem cibum non statim à balneis dare, sed ut prius dormiant permittere. Præstat autem balnei aquam ex discussoriam uim habentibus esse, si quidem ex natura talem habeamus, qualis est aqua Mitylenes: sin minus, salis florem aquæ marinæ ammiscere oportet. Et uino utendum est tenui ac albo. Quin & frictio sicca per lintea exterforia crassiora, attenuare potest. At pro exercitiorū ratione, etiam pauciores cibos offerre oportet. prodest & Insolatio carnosis. Oportet autem neq; præpotationibus ipsos uti, & melius est semel tantum in die cibum capere quin & corpus fricandum est nitro ac sale aspersore. Nitrum itaq; multum in balneis attenuat. Verùm modicum irritamento est ad bonam corporis nutritionē. Attenuat & hæc mixtura, piperis & petroselini duplum, asari & anisi dimidium. Hęc & ad urinam & ad aluum mouendam, commoda est. *Carnem imminuentia* *Aqua Mitylenes*

Quomodo attenuatos renutrire oporteat. CAP. LVIII.

QVos renutrire uolumus attenuatos, his uinū dabimus crassum. Edulia

uero crassi succi sint, & exercitia tarda, & frictionē moderatam, & in summa, omnia relatis contraria adhibebimus. *Picationis utilitas* Commodū est ipsis etiam picari, per tres aut quatuor interpositos dies. Si uero ieiunus lauetur, ante balneū linteis corpus defricare oportet, donec rubefiat. Et postea frictione dura, non tamen multa, cutem spissare, quo densam ac duram efficiamus. *Ira inducenda* Oportet autem decoloribus & alimentū non sentientibus iracundiam inducere, & commotiones animales. A

Quomodo quis partes corporis attenuatas curare possit. CAP. LIX.

QVi in quibusdam partibus attenuantur, pleriq; ob diuturnam ipsarum quietem, aut fracturarum deligationis modum, ad hanc affectionem deueniunt. Oportet igitur facultatem in parte ipsa corroborare, & largum sanguinem attrahere, ex moderatarum frictionum usu, & motibus conuenientibus, & moderata calidæ aquæ affusione. *Calidæ affusionis modus* Hæc autē facere oportet donec pars rubicunda facta attollatur, & antea quàm considat desinere. Quin & picationem adhibere oportet, iuxta relatos scopos. Vbi uero frigiditatis sensus circa attenuatam partem fuerit, linteis, & aliquo calefactorio medicamento, ipsam confricare oportet. Vsus aūt sum aliquando thapsia, quandoq; cum melle illinens, quandoq; cum cerato.

Dignotio optimi temperamenti. CAP. LX.

TEmperatissimus est homo, ubi corpore apparuerit exactè medius inter omnes extremitates, gracilitatem uidelicet ac crassiciem, molliciem ac duriciam, caliditatem ac frigiditatem, humiditatem ac siccitatē. Et in summa, ubi & naturales & animales actiones inculpatas habuerit. *Temperatissimi hominis notæ* Et ubi item medius est inter glabrum ac hirsutum, & nigrum colore ac albū. & ubi pilos habuerit, dum puer est fuluos magis quàm nigros. In ætatis autem uigore, uice uersa.

Dignotio corporum distemperatorum. CAP. LXI.

B QVæcunq; corpora moderato calidiora sunt, & dentes citius producēt, & similiter augescent. Apparent autem tangentibus calidiora, & pinguitudinis minus habent. Verū colore sunt ualde rubicunda, & nigros pilos habent, & moderatè hirsuta sunt, & amplas uenas habent. Si uero quis simul sit pinguis ac crassus, & uenas amplas habeat, hic propter consuetudinem, non natura pinguis est. *Temperamentorum simplicium ac cōpositorum notæ* At frigidioris temperaturæ signa sunt: frigiditas ad contactum, glabritudo, pinguitudo. Color autē talibus unà cum capillis fuluior est. Si uero multa est frigiditas, liuidus quodammodo est, & plumbeus. Sed & angustas uenas habent. Gracilis autem si quis sit, talis nō ex necessitate, sed ob consuetudinem factus est. Sicca uero temperies, & durior est & gracilior quàm tēperata, & hirsuta. Duricies itaq; penitus inseparabilis est à sicca temperatura. Gracilitas autē non solùm sequitur ad naturales temperaturas, sed etiam ad acquisitas, ex longa cōsuetudine factas. Signum autem duriciei est æger motus, & quòd corpus ex siccantibus siccum ac squallidum redditur. Humida temperatura in cæteris quidem similis est tēperatæ, sed mollior ac carnosior. Et ab hac inseparabilis est mollicies: quemadmodum etiam crassitudo non ad naturalem solum temperaturā sequitur, sed etiam si ex longa quadam consuetudine conflata est. Proprium autem humiditatis signum, grauari corpus ab humidioribus. Cæterùm calida & sicca temperatura extremè hirsuta est, & capitis pilos multum augescentes, & nigros, & multos in iuuenili ætate habet. Progressu uero temporis etiam caluicies sequitur. Et uenæ amplæ sunt, quemadmodum & arteriæ magnæ sunt, simulq; uehementissimè pulsant. Quin & firmū, & articulatum, & musculosum, & pinguitudinis exors est totum corpus: & cutis dura ac nigrior. At si frigida & humida sit temperies, thorax angustus est, quemadmodum & totum corpus pilis nudum. Cutis uero tenera & alba, & pili subfului maxime in iuuentute, & senescentes non caluescūt. Statim autem & timidi sunt, & minime audaces, & segniores. Et obscuras

uenas

A uenas habent. Et craſſi ſunt ac pingues, & fœmoribus ac muſculis imbecilles, & inarticulati. Sed & blæſi fiunt. Verùm humiditate ac frigiditate amplius aucta, color unà cum pilis fuluus fit: ſi uero plurimum augeſcant, liuidus. Calida & humida temperies, mollior & carnoſior eſt quàm optima. Si uero plurimũ fuerit aucta, putredinoſis morbis prõptè corripitur. Si uero paulò humidior, multò uero calidior fuerit, tales moderatis paulò molliores ſunt ac carnoſiores, non paulo autem hirſutiores: ſed & ad cõtactum non paulò calidiores. Nigri aũt ſunt ipſis pili, & caro pinguitudinis exors.

Si uero frigiditas cum ſiccitate pariter fuerit aucta, natura durum, & gracile, ac album corpus habent, & non muſculoſum, ac inarticulatum, & pilis nudum: ad contactum autem frigidum. pinguitudo tamen ipſis, etiamſi graciles ſint, per carnem diſperſa eſt. At capillorum & corporis color, ad frigiditatis menſuram reſpondet. Mores animæ ſunt, puſillanimitas, timiditas & triſtitia. Vt autem in ſumma dicam, in coniugatis temperaturis ſemper qualitatis prædominantis notæ præualebunt.

De capitis formatione. CAP. LXII.

Capitis formatio

PAruum caput prauæ cerebri ſtructuræ proprium ſignum eſt. Magnũ uero non neceſſariò bonæ. Si enim propter inſitæ facultatis robur, quæ bonam & multam materiam formauit, factum eſt, bonum ſignum eſt. Si uero propter ſolius materiæ copiam, nõ bonum. Proinde diſtinguendum eſt iuxta figuram, & ea quæ ab ipſo oriuntur. Figuram quidem, ſi concinnũ eſt. ſemper enim hoc bonum ſignum eſt. Ex his quæ ab ipſo oriũtur, ſi ualidam ceruicem habet, reliquiſq; oſſibus optimè diſpoſitum eſt, & ſi neruoſum in ipſo genus uniuerſum habitius ac plenius eſt, & firmum: & ſi oculi acrem uiſum habeant. At acuminata capita, defectuoſam habẽt circa occiput aut frontem eminentiam, aut ulterius quàm conuenit auctam. Plerunq; igitur uelut magnum, ita etiam hæc capita repræhendenda comperiemus. Raro uero & ex his aliqua bona ſunt, formante facultate forti exiſtente.

Caput acuminatum

Cerebri temperamenti notæ. CAP. LXIII.

Cerebri temperati notæ

TEmperatum cerebrũ animales actiones moderatas habet, itemq; recremẽta: & minime ab omnibus externis lædetur. Talibus capilli capitis, dum infantes ſunt, ſuffului, pueris autem ſufflaui Perfectis autem flaui fiũt, medium modum inter exactè criſpos & ſimplices tenentes, non tamen facilè calueſcunt. Si uero calidius moderato fuerit, omnia etiam circa caput, & calidiora & rubicundiora erunt. Et uenæ oculorum ſenſui expoſitæ. Capilli uero his genitis ſtatim in capite fiunt, ſiquidem multò fuerunt calidiores, nigri & fortes, & criſpi: ſi uero non multò, ſubflaui primum, deinde nigreſcunt. progreſſu autem ætatis calueſcunt. Recremẽta uero his ſunt pauca, & inculpatè ſani ſunt. Replentur autem & grauantur capite, à calefacientibus edulijs ac potionibus, & odoribus, & forinſecus allabentibus. Tales temperaturæ breui ſomno contentæ ſunt, & hoc neq; admodum profundo. At frigidioris quàm conuenit cerebri notæ ſunt, recrementa, plura circa proprias effluxiones. capilli recti, fului, durabiles. & facile à frigidis cauſis læduntur, & defluxionibus ac grauedinibus aſſiduè corripiũtur. Et oculorum uenæ uiſum effugiunt, & ſomnolentiores quodammodo exiſtunt.

Cerebri temperamentorũ ſimplicium ac cõpoſitorũ notæ

Sicciorís autem cerebri notæ ſunt, recrementa in meatuum effluxionibus nulla, & ſenſuum ſinceritas, & uigilantiſſimi ſunt. Et capillos robuſtiſſimos, & citiſſime ubi geniti ſunt, producunt, criſpos magis quàm rectos. Breui autem calueſcunt. At humidioris cerebri capilli ſimplices ſunt, & omnino nõ calueſcunt. Et ſenſus turbulenti ſunt, & recrementorum copia adeſt, & ſomni multi ac profundi. Cæterùm calido & ſicco cerebro exiſtente, à recrementis liberi ſunt, & ſenſibus integri, ac uigilantiſſimi: & cito calueſcunt. Prima tamen pilorum generatio celerrima ipſis eſt ac pleniſſima. habentq; pilos nigros, & calidi ſunt ad contactum capitis, & rubicundi uſq; ad uigoris tempus. Si uero humiditas affuerit caliditati, & parum

quidem excesserint ambæ moderationem, bonus color adest, & calor: & A in oculis uenæ magnæ. Recrementa uero plura moderatè concocta: & capilli recti & subflaui, & non facilè caluescunt. Replentur autem & grauantur capite, è calefacientibus & humectantibus. Vbi uero ad ampliorem humiditatem ac caliditatem peruenerint, morbosum fit caput, & facilè à calefacientibus ac humectantibus læditur. Nec uero diutius uigilare possunt. Postquam autem obdormierunt, imaginationibus per somnia turbantur. Et uisus caliginosus est, & sensus non sinceri. At uero frigidę simulq; siccæ cerebri temperaturæ, frigidum ac decoloratum caput faciunt. Et oculorum uenæ in ipsis non extant, & à frigidis causis promptè læduntur. Quapropter etiam inæqualiter sani sunt. Sensus autē ipsis in iuuentute quidem sinceri sunt & inculpabiles, uerùm progressu temporis cito marcescunt. Et in summa, omnia circa caput cito senescūt. & capilli ipsis genitis uix emergunt, atq; hi macri ac fului. Porrò humidæ ac frigidæ temperaturæ cerebri, soporosos & somnolentos efficiūt, & sensibus deprauatos, & recrementis abundantes, & quibus caput facilè perfrigeratur ac repletur, & qui defluxionibus ac grauedinibus facilè corripiūtur. Non tamen caluescūt tales.

Ventriculi temperamenti notæ. CAP. LXIIII.

Ventriculi tēperamentorū notæ

VEntriculi natura siccioris notæ sunt, si cito siticulosi fiant, & modicus ipsis potus sufficiat, & grauentur uberiore, & fluctuationes habeant, si id quod redundat innatet, & edulijs siccioribus gaudeant. Humidioris autem, si non siticulosi fiant, & uberiorem humorem citra molestiam ferāt, & edulijs gaudeant humidioribus. At calidior natura uentriculus concoquit melius quàm appetit, & magis quæ dura sunt, & difficulter alterantur. Gaudet autem calidis edulijs ac potibus, neq; à frigidis quicquam læditur, si moderatus fiat ipsorum usus. Frigidior autem natura uenter, bene quidem appetit, non autem bene concoquit, & maximè edulia quæ ægrè B alterantur ac frigida sunt. Facilè itaq; in ipso acescunt. Et gaudet quidē frigidis, læditur autem facilè immodico eorum usu. Cæterùm ex morbo cōtractæ uentris intemperaturæ, in hoc differunt à naturalibus, contrariorum nimirum appetentia, non similium. Siquidem igitur probè concoquit uentriculus, temperatus est. Si uero non concoquit, intēperatus. Verùm si quidem nidorosos fecerit ructus, immodicus est ipsi ac feruidus calor: Si uero acidos, uiceuersa. Et qui ægrè concoctilia probè concoquunt, eorū immodicus est calor. Debilis autem in his est, qui hæc quidem non concoquunt, pisces autem coquunt Considerare autem oportet num ob aliquem humorem aliunde influentē, hoc symptoma fiat. Nam pituitosis ructus acidi fiūt. Biliosis autem nidorosi, uirosi, aut peregrinæ quædam qualitates. Communia uero symptomata accidunt, nauseę. Verùm si quidem praui humores in capacitate uentris innatarint, redundant ac uomitu reijciuntur. Si uero in corpore uentris, circa tunicas ipsius contineantur, inanibus ad uomitū nauseis frustra lancinant.

Naturales temperaturæ similia. Morbosæ contraria appetunt

Pulmonis dignotio. CAP. LXV.

Sitis ex uisceribus

NOn solū uenter siticulosos & non siticulosos efficit, & frigidi ac calidi potus appetentes, sed uiscera etiam in thorace, cor & pulmo, & hepar. Et sanè bibentes nō statim sitire cessant, & frigidus paucus potus sitim ipsorum magis sistit, quàm multus calidus. Refrigerat autē ipsos etiam multus aēr inspiratus, qui nihil alleuat ex uentre siticulosos. Sic autem & qui contrario modo affecti sunt, à frigida inspiratione sensibiliter læduntur. Et maximum indicium hoc est frigidi pulmonis, sed & pituitam exscreantes cum tussi expuunt. Verùm pulmonis siccitates superfluitatibus carent, & uocē puram habent, quemadmodum humiditates obscuram & raucā uocem efficiunt, & ubi amplius aut acutius loqui uolunt, superfluitates ipsis incurrūt.

Pulmonis temperamentorū notæ

Cordis notæ. CAP. LXVI.

COrdis rabidioris signa sunt, respirationis magnitudo, & pulsus uelocitas ag

tas ag

A tas ac densitas, quandoq; audacia, ac furiosa ferocia. Est etiam ipsis thorax hirsutus, maximè pectus, & quæ circa præcordia his propinqua sunt. Magna uero ex parte, & totum corpus calidum, nisi hepar magnopere reluctetur. Quin & thoracis amplitudo, caliditatis nota est, nisi & hic magnopere cerebrum renitatur. At frigidius cor pulsus habet moderatis minores Et tales timidi sunt natura, ac pusillanimes, & segnes, & glabrum ipsis pectus est. Siccius autem cor pulsus efficit duros, & animi concitationem nō facilem, sed feram & ægrè sedabilem, & plerunq; totum corpus siccius, si non hepar reluctetur. Humidioris autem signa sunt, pulsus molles, & mores ad iram procliues, ac facilè sedabiles, & totum corpus humidius, nisi hepar obstiterit. Calidi porrò ac sicci, pulsus duri sunt & magni, & ueloces ac densi. Et respirationes magnæ & ueloces ac densæ. Et hi omnium maximè hirsuti sunt pectore, & circa præcordia. Verū ad actiones impigri ac animosi; & audaces ac tyrannicis moribus præditi. Nam & ad iram celeres sunt, & in ipsa pertinaces. Si uero humiditas cum caliditate præualuerit, minus quidem hi hirsuti sunt prędictis. uerùm ad actiones expediti. Non tamē ferus est ipsorum animus, sed solum ad iram procliuis. sed & pulsus magni & & molles, & ueloces ac densi. Humidioris autē ac frigidioris cordis pulsus sunt molles. Mores pusillanimes, & timidi ac pigri. Sunt autē hi pectore pilis nudo, & minimè furiosi fiunt, quemadmodū etiam ad iram nō sunt procliues. At frigidum ac siccum cor, pulsus duriores ac paruos facit. Hi omnium maxime ab ira alieni sunt. Verum irati iram conseruant, Sunt autem pectore maxime omnium depiles.

Cordis temperamentorum nota.

Hepatis temperamenti notæ. CAP. LXVII.

HEpatis calidi notæ sunt, uenarū amplitudo, flaua bilis copiosior. Tempore autem uigoris etiam atra. Calidior est ipsis sanguis, & propterea etiam totum corpus, præterquam si cor reluctetur. Præcordia & uenter hir-
B suta sunt. Frigidioris autem notæ sunt, uenarum angustia, pituita copiosior, sanguis frigidior, totus corporis habitus frigidior, nisi à corde calefiat. præcordia & uenter pilis nuda. Siccioris uero, sanguis crassior est, & paucior. uenæ duræ, & uniuersus corporis habitus siccior. Humidioris autē notæ sunt, sanguis copiosior & humidior. uenæ molliores. sic & totum corpus, nisi cor reluctetur. At uero calidi simulq; sicci hepatis signa sunt, pręcordium hirsutissimum, sanguis crassior simulq; paucior, & amara bilis plurima, in uigore uero ætatis etiam atra. uenarum amplitudo & duricies. Sic & totum corpus calidum ac siccum. Nam caliditas ex corde proficiscens, frigiditatem ex hepate proficiscentem superare potest: quemadmodum etiam frigiditas caliditatem. At siccitatem hepatis cor humidius ad contrarium mutare non potest. Manifestum itaq; est quòd ubi amborum principiorum temperaturæ in idem concurrerint, totum corpus exactè iuxta illas afficitur. Calidum uero ac humidum hepar, minus quàm calidum ac siccum, præcordia hirsuta facit. Verum plurimum sanguinem, & uenas magnas, & habitū humidum ac calidum, si non cor reluctetur. Si uero amplius utrisq; qualitatibus naturalem modum excesserit, facile putredinosis ac mali succi morbis tales corripiuntur, & hoc adhuc magis, si plurimū aucta fuerit humiditas, paululum autē caliditas: Si uero uice uersa, modicè aucta fuerit humiditas, plurimum uero caliditas, uitiosi humores minimè in ipsis gignuntur. Frigidius autem ac humidius hepar, pręcordium depile habet, & sanguinem pituitosiorem efficit, unà cum uenarum angustia. Et totū corpus similiter frigidius ac humidius, si non à corde ad contrarium transferatur. Frigidum uero ac siccum hepar, corpus modici sanguinis, & angustarum uenarum facit, & frigidius quoq;. & præcordium pilis nudum, nisi & hic cor superarit.

Hepatis temperamentorum notæ

Hepar quandò à corde emendetur

Testium temperamenti dignotio. CAP. LXVIII.

TEstium temperamentū calidum, uenereum est, fœcundumq; ac mascu-

Testium tēperamentorum notæ

A lorum generationi aptum, & cito genitales partes hirsutas facit, contingit autem & uicinas partes. frigidū uero uice uersa. Et humidum quidem multi seminis est ac humidi. Siccum autem pauci ac crassi. At calida & sicca temperatura moderate, crassissimi seminis est ac fœcūdissima, & celerrime ad coitū stimulat animal statim ab initio. Tales itaq; celerrime hirsuti fiunt circa genitales partes, & omnes circumcirca sitas, sursum usq; ad umbilicū, deorsum usq; ad media fœmora. Multum igitur concitata est talis temperatura ad Venerem, & celerrime satiatur, & si cogatur, læditur. Si uero humiditas caliditati copuletur, hirsuti quidem minus tales sunt, sed magis semine abundant: non tamen plus quàm alij appetunt, sed multæ Veneri minore detrimento sufficiunt. Si uero ambo & humiditas, & caliditas, multū fuerint aucta, neque sine noxa à Venere abstinent. At si humidi ac frigidi temperamento testes fuerint, partes circumcirca pilis nudæ sunt, & tardè rem Veneream agere incipiunt, & neq; ad actionem procliues sunt. Aquosum autem & tenue est ipsis semen, & infœcundum, ac fœminarum generationi aptum. Siccum autem & frigidum temperamentū simile quidem est in reliquis superiori. uerum crassius est ipsis semen, & omnino modicum.

De omissis. CAPVT LXIX.

Singularū partium temperamenti notæ

SIngulæ in nobis partes propriam quandam temperiem ac uim habēt, & omnium notas nunc dicere non est necessariū, quū infinitę ferè sint, compendiaria doctrina hic instituta. Quum autem de his dixerimus, quæ maxime præ reliquis totum corpus sibi coafficiunt, etiam de alijs per eandē methodum ratiocinationem facere iubemus, ita ut ex his quæ excernuntur, & reliquis ipsarum actionibus ac symptomatibus, temperamenta ipsarum cognoscamus. Tempus itaque iam postulat ut ad intemperierum totius corporis correctionem, sermonem conuertamus.

Calidæ corporis intemperiei correctio. CAP. LXX.

Temperamenti calidi correctio

B QVandoquidem in calidis intemperaturis bilis superat, si quidem deorsum ipsa subierit, manifestū est quod nihil moliri oportet. Si uero ad supernum uentrem feratur, per uomitus ipsam euacuare, post exercitia, ante cibum, ab accepta aqua tepida. Melius autem ab ipsis exercetur, non uelox & concitatum exercitium, sed tardius ac mollius. Quidam uero uehementer calidi, neq; omnino opus habent, sed satis est ipsis deambulatio ac balneum. Hi autem & post cibum balneis gaudent. Qui uero cum siccitate calidi sunt, humectante diæta opus habent, ex humectantibus edulijs, & balneis, & abstinentia exercitiorum concitatorum ac multorū. Quare per æstatem & citius lauentur, & rursus secunda uice post cibum. Prodest his etiam frigidæ potus. maxime autem contraria est siccis temperamentis Venus. Abstinere etiam ipsos oportet maxime à lassitudinibus, & ardoribus, & curis ac uigilijs.

Temperamenti humidi correctio

At humidæ natura temperaturæ, in puerili ætate, morbis ex defluxione, & plenitudine, ac putredine corripiuntur. Opus itaque exercitijs pluribus, & exacta in uentriculo cōcoctione, & per urinas excretione. Quapropter si etiam ante cibum bis ac ter lauentur, & naturalibus aquis calidis utantur, maxime opem sentiunt. Sed & ea quæ defluunt à corpore procurare oportet, per balnea, & exercitia multa, & per excretiones ante cibum per urinas ac uentrem facias. Nihil autē uetat & apophlegmatismis, pituitā à capite detrahentibus, aliquando & purgationibus uti. Edulijs item boni succi, & uini urinam prouitantis potu.

Defluentia à corpore

Frigidæ intemperiei correctio. CAP. LXXI.

Temperamenti frigidi correctio

FRigidarum intemperierum tres sunt differentiæ, quarum pessima est sicca. Quod enim temporis progressu senescentibus cōtingit, hoc statim ab initio his adest. Itaq; humectare ipsos oportet ac calefacere. Contingent autem hoc exercitijs moderatis, & alimentis humidis ac calidis, & uini calidioris potu, somno uberiore, & prouidentibus nobis, quo recrementa quæ quotidie in corpore generantur, omnia excernantur. Venus autem omnes siccio-

A ficciores lædit, & maxime eos qui cum ficcitate frigidi sunt. Solis autem calidis & humidis innoxia est. Prauæ sunt etiam frigidæ intemperaturæ cum humiditate, & hæ maxime fluidis morbis corripiũtur. Prodest autem ipsis illuuies, & exercitia plura, & uictus attenuans, & unctiones moderate calidiores. Qui uero frigidiores quidem sunt natura, moderate autem habent temperamentum siccitatis ac humiditatis, eorum caliditatẽ excitare ac corroborare oportet, & in totius uictus ratione, quod ad humiditatem ac siccitatem attinet, id quod medium est eligere.

Siccæ intemperiei correctio in uentriculo, uelut exempli causa. Deinde etiam reliquarum intemperierum. CAP. LXXII.

Temperamenti sicci correctio

SIcca intemperies quædam est, ubi solidæ essentiæ similaria corpora sicciora fiunt, quæ etiam incurabilis est. Altera siccitas est essentiæ ex humore compactæ. Ad has tertia est, quum propria humiditas ex qua partes nutriuntur, penitus perditur. Continetur autem hæc in omnibus animalis partibus, instar roris in ipsis dispersa. Hanc autem ipsis partibus apponere impossibile est citra alimentum, & propterea difficilima talium affectionũ curatio est. Alia uero est iuxta paruas arterias ac uenas consistens. Has siccitates curare cõuenit, ita ut singulas similares partes, ex humectante alimento, propria humiditate impleamus. Balneum igitur commodum est temperatum, ægro diutius in aqua moram trahente. Post balneum uero statim lac dandum est asininum recẽs mulctum. Oportet & mellis tepidi parum lacti ammiscere, & postea quiescere permittere, usque ad secundum balneũ. Tunc autem fricare oportet moderate ac pinguiter, an exacte confectum sit datũ lac, ex ructibus ac uentris mole coniectura facta. Moderatũ autem est, tempus à primo balneo usque ad secundum, horarum æquinoctialiũ quatuor aut quinque, si tertiò ipsum lauare uelis. Sin minus, pluriũ. Et sanè illinere ipsum

Horæ æquinoctiales

B oportet oleo, antequàm induatur à singulis balneis. Si quidem igitur lacte delectetur, & à secundo balneo ipsum dabimus. Sin minus, ptisanam exacte coctam, aut alicam instar ptisanæ præparatam. deinde rursus quiescere iussum, ad tertium balneum ducemus, aut contrà ad cœnam. Panis autẽ sit probe præparatus, clibanites, purus. Obsonium autem ex piscibus petrosis aquis degentibus quispiam, aut asellus ex iure albo. Quo uero in summa de cibo dicã, sit concoctu facilis, & nutriens, minime uiscosus ac superfluitatibus abundans. Potus autem sit uinum aquosum album, purum, modicũ aquæ ammixtionem ferens, modice adstringens. Maximæ igitur siccitatis hæc curatio est. Verum moderatæ ita exquisito uictu, non habent opus, & pleniorem diætam sufficere licet. Ponatur autem similis priori siccitas, sed ammixta sit ipsi moderata frigiditas, In hac ad calefacientiũ materiam mutationem faciemus, & relatis apponemus, in lactis quidem usu plus mellis. Vinum uero minus priore aquosum dabimus. Sed & ipsa edulia calidiora danda sunt, non solum ex naturali temperatura, sed etiam à recenti qualitate. Et nardinum unguentũ aut mastichinum frequenter illinendum. Quod si frigiditas multa sit unà cum siccitate, primum quidem affectionẽ grauissimam esse scito, & quæ ægrè corrigi possit. Verùm iisdẽ utere, & per se melle cocto ac despumato. Vinum autem elige uetustius. Optimum aũt pharmacum in talibus est id quo assiduè picatores utuntur, & ex ipso uentrẽ illinere oportet, & dum adhuc calidum est auellere. prodest autem talibus etiam puer carnosus condormiens, ut semper supernum uentrem cõtingat.

Siccitas cum frigiditate

Picatorũ pharmacum est ipsa picatio

Misceatur autem consequenter ad siccitatem moderata caliditas. In hac primum uictus ductum seruabimus, ita ut mel prorsum non gustent. Vinũ autem accipiant minime uetustum. Edulia uero tepida, & lactosa hoc est lactei teporis exhibebimus, & uentrẽ omphacino aut melino oleo illinemus. Cæterum hos contentiosius perfrigerate, periculo non uacat, quum febrilis quodammodo hæc sit affectio, ubi caliditas redundarit. Ponatur porrò rursus præualere calidam intemperiem, ammixtam autem esse ipsi humiditatem

Siccitas cum caliditate

Lactosa edulia

Caliditas cum humiditate

ditatem. Talem intemperiem aquæ frigidæ potu curauerimus. Commodus A autem est adstringentium eduliorum usus. Sint & hæc citra caliditatem au
Humiditas sola itera. At humida intemperatura sola consistente, siccantia edulia, citra ca liditatem ac frigiditatem, opitulantur: & ad hæc inopia consuetorum po
Humiditas cū frigiditate tuum. Humidæ uero cum frigiditate intemperaturæ optimæ medelæ sunt, acria omnia: adijciantur autem his etiam adstringentia, absq; hoc ut manifeste frigefaciant. Optima uero medela & his est modicus potus, & hic ex uinis uehementer calefacientibus. Atq; intemperierum quidem ex qualitatibus obortarum, eiusmodi curationes existunt. Quando quidem uero humiditas in capacitate uentris contenta, aut in tunicis ipsius imbibita, intemperaturam efficit, commodum fuerit etiam de his dicere. prior itaq; affectio si quidem semel constiterit, per uomitus purgata facile sedatur. Si uero rursus ex alia quadam, aut alijs partibus influxerit, exacta cognitione opus habet. Curatio uero statim sequetur. Vniuersam enim curationem loco affecto adhibere oportet. prouidere autem in tantum solum his quæ suscipiunt, ut non facile influentia suscipiant. Id uero contigerit per adstringentia, & per ea quæ totum corpus ad bonum habitum perducunt. At uero uitiatos in tunicis uentris humores, per moderatè purgantia educemus:
Picra ex aloë quale est aloë, & medicamentum ex ipsa constans, picra confectio ab amaritudine appellata. Si uero uiscosa pituita uentri fuerit infarcta, prius ipsis danda sunt quę hanc secant. Deinde sic purgandum. Si tamen ad hoc aptus sit, à radiculis acceptis uomat. Quod si neq; uiscosus neq; crassus fuerit humor, sufficit etiam à ptisanæ succo uomitus, & ab aqua mulsa. Bibatur etiā absinthij succus in aqua mulsa. Porrò ad hanc proportionem etiam intemperies in alijs partibus factas curare oportet, ita ut humoribus idoneas effluxiones inuenias. Si uero neq; effluxionem habeat pars sensui exposita, per resolutionem in uaporem euacuare oportet abundantes in ipso serosos atque reliquos humores: quemadmodum etiam, si spiritus flatuosus fuerit B id quod continetur.

De alimentorum facultatibus. CAP. LXXIII.

QVum de alimentorum facultatibus doctrina, pars sit tractationis tuendæ sanitatis, iam, quoq; ad prædicta de illis subiungemus, paucis quibusdam ante particularem de ipsis doctrinam præmissis. Nam si quid aliud,
Attenuantia alimenta alimentorum facultates nosse oportet. Quę igitur attenuantem uim habēt, transitus meatuum ab obturatione liberant, & uiscosa impacta detergunt, & crassa secant ac attenuant. Verum his qui diutius in ipsorum esu perseuerant, serosas ac biliosas superfluitates congregant. Et si adhuc amplius quis immoretur, atrabilarius sanguis redditur. proinde ab assiduo ipsorum usu abstinere oportet, & præsertim eos qui biliosum habent temperamentum. Solis enim his competunt, qui pituitam, & crassum crudumq; ac uiscosum
Crassefacientia alimenta humorem coaceruarunt. Quę uero crassefacientem uim habent, abunde quidem alunt, & si in uentre ac hepate cōueni enter cocta fuerint, boni sicci sanguinem generant. Verum splenem & hepar obturant. Ex his autē aliqua sunt solum crassi succi, uelut lenticula: quædam uiscosa, uelut maluæ. Quibusdam ambo contigerunt, ut & crassi succi sint, & uiscosa, uelut testa intectis. Securior itaq; est attenuans uictus ad sanitatis præseruationem, quàm is qui magis crassefacit. At quum parum ille nutriat, firmitatē ac robur corporibus non addit. Et oportet aliquando etiam multū nutrientia moderate exhibere, ubi quis indigentiam deprehenderit. Maxime uero citra periculum hæc acceperint, qui exercitijs dediti sunt, & qui quantum uolunt dormiunt. Omnes uero qui ante cibos se exercere non possunt, crassi succi alimenta fugiant. sed neq; ociosi talia alimenta admittant. Maximum autem
Ocium nociuū malum ad sanitatis custodiam, ocium perpetuum existit: quemadmodū sanè moderatus motus maximum bonum. Quæ uero edulia medium, inter
Media edulia crassefacientia ac attenuantia habent, omnium optima sunt, & moderatum compa-

A compage sanguinem generant. Tale igitur alimentum corporibus nostris conueniens est. Nociuum autem id quod mali succi est, quod semper fuge-re oportet. Sed & uarietatẽ alimentorũ uitare melius est, & præsertim si ex contrarijs sunt facultatibus. Nam accepta nõ conuenienter cõcoquuntur. *Varietas edu-liorum noxia*

De oleribus, CAP. LXXIIII.

LActuca manifeste perfrigerat & humectat. Quapropter etiam somnifi-ca est. Quantum uero eius in oleribus existit, probe nutrit, & boni succi sanguinem gignit. *Lactuca* Sed & Intubus frigidi ac humidi temperamenti est, sed minus quàm lactuca. *Intubus* Malua frigefacit quidem, sed non manifestè. magis autem humectat. Vnde etiam uentrem subducit. Hoc autẽ etiam ob uisco-sitatem quam in se habet. *Malua* Beta extergendo aluum subducit. Quare etiam stomachum mordet, si amplior edatur. Obturat autem hepar & splenem. *Beta*

Brassica bis cocta si edatur, uentrem cohibet Semel autem non diu co-cta, & cum oleo, garo, aut sale accepta, magis subducit: quemadmodum suc-cus ipsius magis quàm lenticulę succus purgat. Adhuc autem magis mari-na brassica manifeste aluum mollit, ut quæ salsuginosa sit & amara. *Brassica* Sed & Alimum amplioris salsuginosæ qualitatis particeps uentrem subducit: uerum magis quàm brassica stomacho commodat, utpote moderatæ adstri-ctionis particeps. Lac autem & semen generat. *Alimum* Blitum & atriplex humi-da quidem sunt, & aluum subducunt, uerum parum nutriunt. *Blitum* *Atriplex* Spinosa o-mnia, uelut carduus, & atractylis, & huiusmodi, stomacho commoda sunt, excepta cinara. Hæc enim quum dura sit, malum succum generat. Quapro-pter optimum est coctam ipsam exhibere cum oleo, garo, & coriandro. *Carduus* *Atractylis* *Cinara* A-pium & hipposelinum, sion, & smyrnium, urinam omnia cient. Verũ smyr-nium magis aromaticum est, & acre, ac urinam ciens, & mulieribus menses mouet. Apium autem & hipposelinum iucundiora sunt, ideoq́ stomacho commodiora. *Apium* *Hipposelinum* *Sion* *Smyrnium* Eruca calida est, & semen gignit. Quapropter & Venerẽ,

B & capitis dolorem excitat. *Eruca* Nasturtium & Ocymũ, & sinapi, calida sunt & acria, & maxime nasturtium: ægrè uero concoquuntur, & stomacho in-commoda, ac mali succi sunt. *Nasturtium* *Ocymum* *Sinapi* Vrtica tenuium partium est, & aluum sub-ducit, ac parum nutrit. *Vrtica* Gingidium simile est scandici, adstringentis & a-maræ non paucæ particeps qualitatis. Est & stomacho commodum, ut etiã cibum auersantibus aptum sit, si cum aceto edatur. Verum modicũ alimen-tum corpori exhibet. *Gingidium* *Scandix* Cæterùm syluestria olera extremè uitiosos succos generant. Capparis autem appetentiam cibi excitat, & hepar ac splenem ab obturatione liberat, & pituitam subducit. Vtendum autem ea est cum a-ceto mulso, aut cum aceto & oleo, ante reliquum cibum. *Capparis*

De asparagis. CAP. LXXV.

BLiti, lactucæ, atriplicis, maluæ & betæ planta humida est, asparagus au-tem siccus Rapum autem & sinapi, radicula, nasturtium, pyrethrũ, bras-sica, & alia calida, plantam siccam, asparagum autem humidum habent. At uero fruticosarum plantarũ asparagi, & palustris & hortensis, & qui à bryo-nia est, stomacho quidem commodi sunt, & urinam cient, uerum parum nu-triũt. Si uero concoquantur, magis nutriunt quàm olerum asparagi. Simi-liter & chamædaphnes asparagus. *Asparagi om-nis generis*

De radicibus esui aptis. CAP. LXXVI.

BVnias, quod & rapum appellatur, bis coctum in cibo acceptum, non mi-nus quàm aliæ plantę nutrit. Verum si assiduè accipiatur, crassum succũ gignit. *Rapum* Bulbi adstringunt, extergunt, appetentiam cibi faciunt, stomachũ corroborant, & uiscosa in thorace probe educunt. Verũ bis cocti alunt ma-gis, sed minus probe educũt amaritudinem abijcientes. Generant & semẽ, & Venerem stimulant in uberiore usu, flatus quoq; faciũt ac tormina indu-cunt. Qui uero cum oleo & garo eduntur, iucundissimi sunt, & flatus nõ ge-nerant, & probe nutriunt, ac facile concoquuntur. *Bulbi* Pastinacę, dauci & ca-ri radices, minus quàm rapa nutriunt, calidæ autẽ & aromaticę palàm sunt, *Pastinaca* *Daucus* *Carum*

& uri-

A & urinam cient. Abutentibus autem & malos succos gignunt, & communi radicum ratione ægrè concoquuntur. Quidam pastinacam syluestrē daucum appellant, quæ magis urinam promouet. *Radicula* Radicula attenuatoriæ ac calidæ est facultatis. Verum ante cibum edere ipsam oportet, cum aceto aut garo, uentris subducendi gratia: nequaquam post cibum. *Cepa* *Allium* *Porrum* Cepa, alliū & porrum, acrem uim habentia, calefaciunt corpus & attenuant, & crassos in ipso humores secant. Et bis cocta quidem parum nutriunt, non cocta autem, omnino non alunt. Alliū tamen magis obturationes aperit, ac discussorium est. *Ampeloprason* Ampeloprason siccius est quàm porrum, utpote syluestre. In summa, ex oleribus quæ cruda eduntur, magis uitiosum succum gignunt quàm cocta, & ampliore superflua humiditate participant. Quę uero ad repositionem, muria aut acida muria asseruantur, stomacho commoda sunt, & appetentiam excitant, & crudos humores secant. Verū ægrè concoquūtur, & abutentibus prauos succos gignunt.

De tuberibus & fungis. CAP. LXXVII.

Tuber TVber siccum qui ex ipso redditur, qualitatis exortem habet, frigidiorē autem & crassum. *Fungi* At fungi frigidi sunt, & pituitosi, ac mali succi. *Boleti* Ex his autem boleti innocentiores sunt, & qualitatis exortes, probe cocti. *Ammanitæ* Secundi ordinis sunt Ammanitæ. Cæterùm à reliquis fungis abstinendum est. Multi enim ex ipsis letales sunt. Sed & ipsi boleti, si crudiores edantur, sæpe periculi causa existunt.

De frumentaceis. CAP. LXXVIII.

Chondrus EX frumentaceis appellatis chondrus probe nutrit, & uiscosum succū generat. Verum lotus prauus est, quoniam prompte crassescens inconcoctus manet. Melior autem est succus ipsius totius probe cocti, instar ptisanæ. *Alica* Alica in reliquis condro similis est, magis aūt aluum cohibet. *Triticum* Triticum coctum in cibo acceptum ægrè concoquitur, & flatuosum est: si uero concoquatur, alimentum fortissimum exhibet. B At si in panem cogatur, flatuositatem & difficultatem concoctionis deponit, ob fermentū & salis participationem. *Panis genera* Verum ex panibus magis alit siligineus, deinde simslaceus. Tertio loco ex toto collatus, cui nihil furfurum decessit. Sordidus autē panis minus quidem nutrit, sed magis per uentrem subit. *Amylum* Amylum parū nutrit, uelut etiam panis lotus. *Hordeum* Hordeum frigidam & extersoriam uim habet, & coctum quidem uelut ptisana humectat. Tostum autem uelut in polenta siccat. *Polenta* At polenta in æstate ante balneum pota ex aqua, sitim sedat.

Panis hordeaceus friabilior est, & parum nutrit. *Maza* Maza ægrius concoquitur, & flatuosior est quàm hordeacei panes. Verum si mel addatur, aluū subit. *Auena* Auena calida est & parum nutrit. *Milium* *Panicum* Milium & panicum, frigida sunt & sicca, & parum alunt, & uentrem sistunt. Per omnia tamen milium panico melius est. *Oryza* Oryza ægrè concoquitur, & parū nutrit, & aluū sistit. *Ptisanæ coctura* Ptisana sic coquitur. Vna pars ipsius ad quindecim aquæ partes iniicitur, oleumq; moderatum ammiscetur, & postquàm intumuit, etiam acetum additur. Vbi uero exactè cocta est, etiam sal tenuis inditur. In quibusdam porrum quoq; ac anethum ipsi ammiscent. Similiter autem uelut ptisana, etiam Auena, & chondrus coquitur.

De leguminibus. CAP. LXXIX.

Lenticula EX leguminibus lenticula mali succi est, & atrā bilem parit. Verum ipsa quidem, & maxime bis cocta uentrem sistit. Decoctū autem ipsius, cum oleo & garo potum, uentrem promouet. Ammiscere aūt oportet ipsi thymbram, aut pulegium, propter flatuositatem. *Fabæ* Fabæ leues sunt, flatuosæ aut extersoriæ. *Faba Aegyptia* Faba Aegyptia nostrate faba humidior est, & superfluitates gignit. *Pisum* Pisum laxum quidem est, non tamen ita flatuosum. *Cicer* Cicer flatuosum est & extersorium, & semen gignit, & Venerem stimulat, ac calculos atterit. Tostum uero flatuositatem deponit, sed ægrè concoquitur. *Lupini* Lupini ægrè concoquuntur, & difficulter aluum subeunt, & crudum humorem gignunt.

A gignunt. Fœnum græcum calefacit, & uentrem promouet, si ante cibum accipiatur. Ochri & phaseli præmaceratur radices producant, alui sub ducunt, ante cibum cum garo accepti. Et nutriunt magis quàm fœnum græcum. At phasioli, qui etiam dolichi appellantur, si integri cum siliquis urides edantur, magis recrementitiam superfluitatem generant. Fœnū græcum Phaseli Ochri Phasioli Dolichi

De fructibus fugacibus. CAPVT LXXX.

CVcurbita frigefacit & humectat, & aluum subducit. Modice autem nutrit. Pepon totus quidem mali succi est, & frigidus, & humidus, & uomitorius. Si uero non concoquatur, etiam choleram efficit. Semen autem ipsius urinam ciet, & calculos in renibus atterit, & in totum abunde exterget. Melopepon minus quàm pepon omnia hæc possidet. Cucumis autem minus pepone frigidus ac humidus est, uerum magis urinam ciet, & ægre concoquitur, ac mali succi est, etiamsi concoquatur. In summa uero omnes fugaces fructus frigefaciunt, & humectant, parum nutriunt, & mali succi sunt. Cucurbita Pepon Melopepon Cucumis

De fructibus arborum. CAP. LXXXI.

FIcus & uuæ uelut principatum inter omnes pomorum ac autumnales fructus obtinent. Nam & minus mali succi sunt, & magis nutriunt. Ex his autem ficus meliorem succum habent, & magis alunt, & aluū subducunt, urinamque cient, & renes expurgant, præsertim ualde maturæ, ac ipsæ caricæ. Flatuosæ autem sunt, & sanguinem non bonum gignunt. Quapropter etiā pediculos generant, si quis frequentius ipsis utatur. At uuæ si non secedāt, neque concoquuntur, sed & crudum humorē generant. Si uero secedant, moderatiores sunt. Vuæ passæ calidiores uuis sunt, & stomacho commodiores, & magis nutriunt, minus autem aluum subducunt. Mora quæ & sycamina, ualde humectant, perfrigerant moderate, & aluum subducunt prima accepta, & non ualde stomacho incommodant, sed parum alunt. Cerasa quæ dulciora sunt, aluum subducunt, sed stomacho incommoda sunt. Quæ uero adstrictione participant, minus stomacho nocent, aluum autem subeunt. Eadem ratio etiam in uuis, moris, ac pluribus aliis habetur. Et in summa, quæ adstringunt, prima si sumuntur in cibo aut potu, ante alium cibum, uentrem sistunt. Quibus uero ob debilitatem uenter cohibetur, his si accepeint ea quæ mollire solent, uelut olea, aut pisces, aut huiusmodi quędam, & postea ingesserint adstringentia, per hoc quòd corroborant hæc ipsum, deorsum propellunt, & ad excretionem excitant. Pini fructus, strobilus appellatus, boni ac crassi succi est, & probe nutrit, non tamen facile concoquitur. Persica mali succi sunt, & acescunt ac facile corrumpūtur. Quapropter prima danda sunt, eo quòd prompte subeant, & non corrumpantur per moram in uentre. Præcocia & Rhodacena & Armenia, meliora sunt Persicis. Neque enim acescunt, neque similiter corrumpuntur. Sunt autem & iucunda. Mala dulcia aliis sunt calidiora, & facile in corpus distribuuntur, & præsertim si assentur, aut coquantur. Acida uero frigidiora sunt, sed humores in uentre magis secant. Austera stomachum roborant, & uentrem sistunt. Et his adhuc magis cydonia. Pira magna ac matura, ad hæc etiam magis alunt. Mala punica frigefaciunt, ac parū nutriunt. Mespila & sorba magis adstringunt, & fluenti aluo commoda sunt. Palmulæ stomacho commodant, si non ualde fuerint pingues, uerum aluum sistunt, & crassos ac uiscosos humores generant, & capitis dolorē inducunt. Oliuæ druppæ stomacho nocent, pinguem succum generant. Colymbades autem muriæ conditæ, si ante cibum sumantur, appetentiam excitant, & aluum subducunt: & amplius quæ cum aceto & aceto mulso præparantur. Vuæ Caricæ Vuæ passæ Mora Cerasa Pini fructus Persica Præcocia Rhodacena Armenia Mala Pira Mala punica Mespila Sorba Palmulæ Oliuæ

B

Nuces regiæ minus alunt quàm auellanæ, & magis stomacho commodant. Virides nuces humidiores sunt, & aluum subducunt. At siccas si quis aqua maceratas interna membrana denudet, consimiles ipsas uiridibus efficiet. Amygdala incidendi ac attenuandi uim habent. Quapropter uiscera & tho- Nuces regiæ Auellanæ Amygdala

c

Pistacia & thoracem expurgant, & adhuc magis ea quæ amara sunt. Similiter e- A
Damascena tiam pistacia, & amplius hepar obturatione liberant. Damascena uentrē
Serica subducunt, si ante cibum edantur cruda, & in aqua mulsa cocta. Serica
Siliquæ ægrè concoquuntur, stomacho incommodant, & parum alunt. Siliquæ
Sycomora ægrè concoquuntur, & aluum sistunt, & malum succum gignunt. Syco-
Citrea mala mora perfrigerant & humectant manifestè. Citrei mali externa pars acris
est, & difficulter concoquitur. Quæ uero uelut caro ipsius est, nutrit quidē,
sed & ipsa ægrè concoquitur. At interna pars siue acida, siue aquea fuerit,
Glandes multum frigefacit. Glandes alunt non minus quàm frumentacea, uerum
Castaneæ difficulter concoquuntur, & crassi succi sunt, ac tardi transitus. Castaneę
per omnia his meliora sunt.

De animalibus, & primum uolatilibus. CAP. LXXXII.

ANimalia uolatilia alimentum minus quàm quadrupeda, & præsertim
aues, exhibent. Facilius autem concoquitur ipsorum caro, & magis à
perdice, & attagena, & pullo columbino, & gallina ac phasiano. At turdo-
Volatilium rum caro, & merularum, & auicularum paruularum, inter quas sunt etiam
caro pyrgitæ à turribus appellati, durior est. Et his adhuc magis turturis, & pa-
Pyrgitæ lumbi, & anatis caro. Multò autem difficilius concoquitur, & durior ac fi-
brosior caro pauonis est. Verum anserum & struthocameli caro, omnibus
relatis difficilius cōcoquitur, & superfluitatibus abundat, exceptis alis. Hæ
enim non minus quàm aliarum auium boni succi sunt. Gruum autem caro
fibrosa est & dura. In summa, iuniora uolatilia uetustis humidiora sunt, fa-
cilius concoquuntur, & magis alunt, ac per aluum subeunt. Cocta uero as-
sis ac in sartagine frictis similiter præstant. Et quæ ex siccis ac montanis lo-
cis sunt, facilius concoquuntur, & superfluitatibus carent, magis quàm ea
quæ in palustribus nutriuntur.

De ouis. CAP. LXXXIII.

GAllinarum ac phasianarum oua omnium optima sunt, Anserum autem B
Ouorum fa- & struthocamelorum non bona. Ex omnibus autem recentia uetustis
cultas meliora sunt. Et tremula quidem magis nutriunt. Sorbilia uero magis sub-
eunt, & faucium asperitates leniunt. Reliqua omnia ægrè concoquūtur, &
Oua suffocata tardè transeunt, & crassum succum gignunt, exceptis suffocatis appellatis.
Hæc autem fiunt cruda cum garo & uino ac oleo subacta, & in duplo uase
moderatè cōpacta. Talia enim facile concoquuntur, boniq; succi sunt. Pes-
sima autem sunt in sartagine fricta.

De pedestribus animalibus. CAP. LXXXIIII.

EX pedestribus animantibus suillæ carnes reliquis edulijs magis alūt, eo
quod & sapore, & odore, familiaritatem quandam ad humana corpora
habent: uelut quidam qui per ignorantiam humanas carnes gustarunt, co-
gnouerunt. Alimentum autem quod ex illis contingit uiscosum est, & non
Carnes ani- facile discutitur ac transpirat. Ouilla caro superfluitatibus abundat, & ma
malium li succi est. Caprina acris est & mali succi. Pessima autem est hircorū,
& ad concoctionem, & ad succi bonitatē. Bubula atrabiliaria est. Le-
porina crassi succi, sed minus quàm ouilla ac bubula. Ceruina dura est,
& difficulter concoquitur. In summa, recentia animantia ac iuniora, hu-
midiora sunt, & molliora, & facilius concoquuntur quàm uetusta. Ita & ca
strata non castratis, & saginata gracilibus præstant.

De partibus animalium. CAP. LXXXV.

EXtremæ partes neruosæ sunt, & pinguitudinis exortes, & excarnes. Et
propterea uiscosę sunt, & parum alunt, & uentrem subducunt: exceptis
Partes ani- uolatilium extremis partibus, propter multam siccitatem. Rostra & aures
malium cartilaginosa sunt, & ægrè concoquuntur. Lingua laxa est, exanguis, ac
pauci alimenti. Glandulæ iucundę sunt & friabiles. Verum iucundiores
sunt quæ in mammis existunt, & maxime suum, ubi plenæ fuerint lacte. Hę
etiam nutriunt non minus quàm carnes. Rhenes & testes uirosi odoris ac
saporis

A saporis sunt, & ægrè concoquuntur. Verum saginatorum gallorum testes iucundi sunt, & bonum alimentum corpori præbent: quemadmodum taurorum, & hircorũ, & arietum, ægrè concoquuntur, & mali succi sunt. Cerebrum pituitosum est, & crassi ac mali succi, tardè transit, ægrè concoquitur, stomacho incommodat, & nauseam parit. Si uero probe concoquatur, satis nutrit. Medulla pinguis & iucundior cerebro est, sed in reliquis similis. Pinguedo & adeps parum nutriunt, & stomacho nocent. Cor & hepar crassi succi sunt, ægrè concoquuntur, & tardè transeunt. Sed suillum hepar reliquis melius est. Splen praui succi & atrabiliarius est. Pulmo facilius concoquitur uelut laxus, minus aũt nutrit, & pituitosus est. Ventriculus, uterus, & intestina, dura sunt, & ægrè concoquuntur, & pituitam generant. In summa, syluestrium animalium alimẽtum siccius est, & minus superfluitatibus abundans quàm domesticorum. Sanguis omnis difficulter concoquitur, & præsertim crassus ac atrabiliarius, qualis est bubulus: Leporinus autem uelut iucundissimus in pretio est, & multis hic mos est, ut ipsum coquant cum hepare. Quidam etiam cum alijs uisceribus coquũt. *Sanguinis esus*

Aliqui & iuuenis porcelli sanguinem edunt. At caprarum sanguinem ab aliquibus edi, etiam Homerus nouit.

De lacte. CAP. LXXXVI.

LAc si concoquatur, nutrit quidem, sed gingiuas & dentes lædit. Quare post ipsum acceptum, primum aqua mulsa, deinde uino adstringente, os colluere oportet. Capitis etiam dolorem inducit, & præcordia ac uentrẽ inflat, & in rhenibus calculos generat. Et quod quidem liquidius est, minus nutrit, sed magis aluum subducit. Crassius autem uice uersa, magis nutrit, & minus subit. Moderatum autem compage caprinum est: quemadmodũ sanè ouillum crassius. Et statim quidem post partum, tenuius est. Progressu *Lactis uires*
B autem temporis crassius ac deterius fit.

De lactis potu. CAP. LXXXVII.

LAc bibens ab alijs cibis abstinere debet, donec concoctum fuerit, & deorsum secesserit. Præstat igitur mane bibere recens mulctum, & ab ipso accepto, cibis abstinere, & tunc quoq; laboribus nimijs aliquid detrahere. Nam in laborantibus necesse est ipsum acescere. Quare leniter deambulare melius est, & interim uigilantes quiescere. Sic enim facienti primum secedit, eo autem excreto, aliud bibat. Et si hoc secesserit, rursus aliud. Ab initio igitur probe purgat, non quidem ita multũ de reliqua mole, sed quæ intus sunt in uentre. Postea uero iam ingreditur in uenas, & optime nutrit, & non amplius per aluum secedit. At uero in biliosis fluxionibus, & in colliquationibus ad uentrem nutantibus, lac coctum dare oportet. Coquere autem oportet primum leniter ac paulatim, ut ne pars quædam diffundatur; pars uero consumatur. Postea uero magis atq; magis coquere, cauendo ut neq; amburas, neq; caseum ex ipso facias. Optime uero cauebis hoc, si & molliter coques, & quod motu disparatur undiq; derades. Mouere autẽ oportet ferula leui ac tenui: & si quid ad ollæ labia ebulliat, etiam hoc spongia repurgare. Sæpe enim hinc etiam reliquum corruptum est. Hoc igitur modo uelut dictũ est, lac coquere oportet, donec æqualiter crassius ac dulcius crudo euadat. Quin & per ignitos silices in lac immissos exhauritur ac consumitur id quod in ipso est tenue ac serosum. Sed & hoc alui fluxionibus, & maxime biliosis conuenit. *Lactis potus ad purgationẽ* *Lactis cocturæ modus* *Silices igniti*

De lacte scisso. CAP. LXXXVIII.

SErosa lactis pars à caseosa, uehementiore ad ignem luculentiorem ac nõ fumosum coctura separatur. Deinde per colum, aut panniculum exactè excolatur. Et ad serum quidem mel moderatum, aut acetum mulsum moderatum, aut sal ammiscetur, & ad uentrẽ subducendum exhibetur, in uigore ætatis consistentibus, usq; ad sextariorum duorum mensuram. Iunioribus autem, non minus sextario. Cæterum lac per ignitos silices immissos, aut *Lac scissum*

per ferri immissionem crassefactum, & ad dysenterias, & uentris fluxiones recte dari potest.

De caseo. CAP. LXXXIX.

Casei uires OMnis caseus acris est, & sitim excitat, & ægre cōcoquitur, & mali succi est, & calculos generat. Melior autem est recens, & laxus, & mollis, & iucundus, & moderati salis particeps. Contrarius uero pessimus.

De piscibus. CAP. XC.

Piscium in cibis uires QVod omnis piscis frigidioris ac humidioris sit temperamenti, manifestum est. Verum omnibus alijs præstant petrosi appellati, ut qui facile concoquantur, & boni succi sint, & moderatè humectent, ubi non habuerint carnem duram. *Petrosi pisces* Verum ex non petrosis, *Pelagij pisces* pelagij multū præstant his qui in limo nutriuntur, aut isthic ubi flumina in mare incurrunt. Deteriores autem his sunt, qui in stagnis, & mari stagnante aluntur. At particulatim *Capito* Capito ubi pelagius fuerit, moderatè iucundus est, & minus ægrè concoquitur, & bonum succum gignit. Verum sanguinem tenuiorem ac debiliorem generat. Similiter etiam *Lupus* Lupus. Sed & *Mullus* Mullus ipse si pelagius est, durior alijs piscibus ac friabilior est, & facile concoquitur, & alit, & iucundus est, & non pinguis.

De testaceis. CAP. XCI.

Pisces testa intecti PIsces qui testa integuntur, salsum & crudum humorem generant. Ex his autem ostrea mollissimam carnem habent, & magis subeunt. Chamę uero, & purpuræ, ungulæ, spondyli, buccina, cochleæ, & quæcunque talia dura: & quæ molli testa integuntur, uelut gammari, paguri, cancri, locustæ, & squillæ, ægre concoquuntur, & nutriunt, & uentrem sistunt, si sæpe in aqua dulci coquantur. Omnibus autem testaceis succus inest qui uentrē subducit. Quare etiam cochleis terrestribus. At quum hæc duram carnem habeant, quæ ægrè cōcoquitur, & nutrit, ac malum succum generat, quidam iusculum per oleum ac garum condientes, ad alui subductionem ipso utuntur. *Erinacei* Cæterùm Echini siue erinacei moderatè perfrigerant, & modicè alunt, & urinam cient.

De mollibus. CAP. XCII.

Molles pisces MOllia piscium genera, uelut sunt, polypi, sepiæ, loligines, dura sunt, & ægrè concoquuntur, & magis polypi. Salsum autem succum modicū habent. Si uero concoquantur, modicum alimentum corpori præbent.

De cartilagineis. CAP. XCIII.

Cartilaginei pisces EX cartilagineo genere torpedines, & pastinacæ, mollem ac iucundam carnem habent, & cito subeuntem, facilemque cōcoctu, aut nutrientem. Raiæ uero & leuiraiæ, & squatinæ, ac huiusmodi alia, duriora sunt, & ægrè concoquuntur, & magis nutriunt. Nam in uniuersum animalia quæ duram carnem habent, & ægrè concoquuntur, & magis alunt. Vbi uero concoquuntur, multum ac solidum alimentum exhibent.

De cetaceis. CAP. XCIIII.

Cetacei pisces CEtacea uelut balænæ, lituli marini, libellæ, delphines, & magni thunni, duram & ægrè concoctilem ac crassi succi carnem habent. Si uero sale asseruātur talia, moderatiora fiunt. Sed & ex alijs piscibus qui humidiores sunt, & superfluitatibus abundant, etiam ad inueterationem magis idonei sunt. Verū in salsamentis talis est differētia, qualis est pisciū ex quibus fiūt.

De uini facultate. CAP. XCV.

Vini facultates QVi sanitati studet, eum etiam uini facultatem cognoscere oportet. Etenim in summa, omne uinum nutrit. Verum rubrū & crassum magis quidem nutrit, non autem boni succi est. Dulce uero & ipsum quidem nutrit, non autem stomacho cōmodat. Adstringens autem stomacho quidem commodat, ægrè uero distribuitur, & minus alit. Adhuc uero minus, albū. Optimum autem uinum est colore fuluum. uetustius autem calidius est ac siccius, quàm nouum. Hæc uini facultas est in summa. At uero uinum calorem

A rem qui in nobis est suscitat, & propterea concoctiones meliores fiunt, & sanguis bonus. Alimentū autem deducit, ut quod quoquo uersus penetrat. Quapropter & ex morbis attenuatos, habitiores efficit. Nam & cibotū appetentes facit, & pituitam attenuat, & bilem per urinas expurgat, & bonū colorem inducit: sed & animi hilaritatem ac iucunditatem conciliat, & robur exhibet. Atque horum quidem bonorum causa est uinum moderate potum. contrariorum uero, immodicum. Et propterea ebrij mutantur, & delyrant, & in grauem somnum delabuntur. Quare fugere immodicū adeo uini potum oportet: quanquàm longiore temporis interuallo interposito, liberaliter bibere cooducat. purgationem enim per urinas largam mouet, & sudores profundit. Melius aūt est ad hæc etiam uomere, aqua mulsa præsumpta, ut ne minimum quidem ab ipso lædamur. Qui uero uini potationi indulget, reliquo cibo non ualde se expleat. Dum uero potat, interim brassicam edat, & bellaria gustet, præsertim amygdalas. Hæ autem etiam capitis dolores leuant, & uomentibus nequaquam molestæ sunt. Præstat quoque absinthij cremorem ante potationes sumere. præ omnibus enim crapulam maxime arcet. Si uero aliqui ex uino morsum percipiant, frigida aqua bibenda est. Et postridie rursus absinthij cremor sumendus. Deambulationibus item ac frictionibus, & balneo, & pauciore cibo reficiantur. *Ebrietatis malæ*

De melle & aqua mulsa. CAP. XCVI.

MEl coctum magis nutrit quàm aluum subducat. Non coctum, uice uersa. Et frigidis quidem ac humidis temperaturis confert, calidis autē in bilem transit. Sed & aqua mulsa non ualde commoda est amara bile abundantibus, utpote in bilem transiens ipsis. Conducit itaque in talibus naturis aquosiorem dare aquam mulsam. Incommoda est & his quibus uiscera facile læduntur. Præparare autem aquam mulsam oportet, uel octupla portione aquæ ad mel ammixta, atque sic coquere donec spumare desinat. Assiduè uero spumam ab ipsa auferre oportet, statim simulque ubi oborta apparet. *Mellis uires* *Aqua mulsa*

De somno. CAP. XCVII.

COnsequens est ut post omnia de uictus ratione relata, etiam de somno quiddicamus, eo quòd etiam postremus omnium plerunque admittitur. Somnus itaque, ut breuiter dicam, animalium facultatum quies est, bona humiditate cerebrum rigante contingens. Quòd si rectè admittatur, multa bona facere potest. Nam & cibos concoquit, & humores excoquit, & dolorē mitigat, lassitudinesque lenit, & distentorum laxitatem efficit. Sed & animalium affectionum obliuionem inducere potest, & emotam mentis rationē corrigere. Tempus somni optimum est post cibum. Sed diurnus non omnibus commodus est. Non enim sufficit ad perfectam ciborum concoctionem id tempus in quo dormiunt. Interrupta autem ante tempus concoctione, ex meridie surgentes sæpe ructum acidum habent, sæpe etiam flatibus implentur. Quidam etiam fluctuationes habent, nisi aut ob cōsuetudinem, aut quòd sufficienter dormierūt, hæc ipsis non fiant. Optimi uero sunt somni nocturni. Ex natura enim noctis humiditas, & quies, ad somnum procliuis, concoctionem perfectam efficit. Nam post nocturnos somnos, maxime ad excretionē festinamus. Terminus igitur temporis somni sit, cibotū perfecta cōcoctio, quæ tū ex ructibus, tū uentris cōtractione cognoscitur. post quā neque uigiliæ inutiles sunt, recremētorū ex cōcoctione secessū efficiētes. *Somnus est quies facultatum animaliū*

De uigilia. CAP. XCVIII.

VIgiliæ quæ in ægrotantibus iam, aut ob dolorem, aut ob febrem, aut symptoma aliquod acutius fiunt, curationē in tractatione febrium habebunt. Verum nunc de sanorum uigilia dicendum est. Si igitur aut ob tristitiam, aut curam, aut aliquam animalem affectionem uigilant, primū quidem tristitiam, & id quod molestum est, quantum eius fieri potest, recidemus, postea etiam iucundorum sonorum auditu, cogitationē ab illis abducemus. Et quidam sanè sonum aquæ placidum ad hoc machinantur, quo *Vigiliæ ob affectiones animales*

delimiti ad somnum deducuntur. Sed & balneis maxime uespertinis, ubi probe cõcoxerint, utantur. & uictu humectante, uelut lactucis & similibus. Et papaueris nigri quandoque folia uiridia obsonijs ammisceant. Et pisces concoctu faciles edant, uinoq; uberiore, tenui, non uetusto utantur. Vbi uero reclinari uolunt, rosaceo caput ungant, aut oleo in quo papaueris capita aut mandragoras incocta sint. Quin & anethinum oleum non uetustum ex somnificis est. Noui & post prægressam lassitudinem, quietem derepente succedentem somnum induxisse. Sed & coitus moderatus idem hoc efficit. Alij si aut caput aut pedes perfrigerentur, facile in somnum delabuntur. Si uero ob multitudinem, aut maliciam cibi, stomacho grauati uigilarint, nam & hoc factum esse nouimus: quemadmodum rursus alij præter consuetudinem à cibo abstinentes, aut modicum cibum capientes uigilarunt: considerare hoc, & causam recidere oportet.

Somnum inducentia

De sopore graui. CAP. XCIX.

Sopor profundus

AT si uice uersa in profundum ac altum somnum delabuntur, à frequentibus balneis ipsos arcebimus, & à perfrigerante inunctione. Apophlegmatismis autem pituitam per os detrahentibus utemur. Et in summa, ad calidiorem ac sicciorem & modicam uictus rationem ipsos transferemus, quum hæc affectio à frigidiore magna ex parte, & humidiore materia cerebrum perrigante, oboriatur.

Dioclis epistola præseruatiua. CAP. C.

DIOCLES ANTIGONO REGI SALVTEM.

Antigoni regis præstantia

QVandoquidem cõtigit tibi, ut omnium regum maximus Musicus sis, & plurimo tempore uixeris, omnisq; philosophię peritus sis, & in mathematicis disciplinis primas teneas: arbitratus sum eam philosophiæ partem, quæ de sanitate tuenda tractat, regiam esse, & ad te priuatim pertinere. Itaq; præscripsi tibi, unde morbi hominibus oriuntur, & quibus præcedentibus signis, & quomodo quis ipsis opitulari possit. Nam neque tempestas unquã in cœlo conflari poterit, non præcedentibus signis quibusdam, quæ nautæ, ac reliqui multi experimenti homines sequuntur: neq; affectio in hominis natura unquam conflari poterit, non signo aliquo præcedente. Tu uero his quæ à nobis dicuntur persuasus, certitudinem ipsorum assequeris. Hominis corpus in quatuor partes diuidimus, caput, thoracem, uentrẽ, uesicam. Quum igitur affectio circa caput diutius futura est, uertigo præsignificare solet, & capitis dolor, & in supercilijs grauitas, auriũ sonitus, temporum pulsationes, oculi mane tument, cum uisus hebetatione, nihil olfaciunt, & dentium gingiuæ attolluntur. Quum itaq; huiusmodi quippiam præsignatit, caput purgare oportet, nullo quidem medicamento, sed hyssopi aut origani capitibus acceptis, tritis, ac in ollula cum passi aut sapę hemina dimidia feruefactis. Hoc ieiunus sorbens os eo collue, & gargarissando humores detrahe. Hac curatione nõ est alia leuior in affectionibus circa caput. Optimum est & sinapi aqua mulsa calida dilutum. Hoc ieiunus sorbẽs gargarissa, & humores detrahe. Cæterum caput contectum pręcalefacere oportet, quo liquata pituita facile fluxioni obediat. Qui uero talia signa negligunt, his hi morbi succedere solent, lippitudines, glaucomata oculorum, aures rumpuntur, strumæ in collo fiunt, cerebri corruptio, grauedo, angina, capitis ulcuscula manantia achores appellati, teredines, uua, capillorum defluxio, capitis ulceratio, dentium dolor. At ubi circa thoracem quid futurum est, ex his aliquid præsignificare solet. Sudor contingit per totum corpus ac thoracem, linguam crassam habent, salsa aut amara, aut biliosa spuunt, sub costis aut scapulis dolores fiunt citra occasionem, hiatus oris assidui, uigiliæ, suffocationes, sitis, ex somno animus tristis, perfrigerationes pectoris & brachiorum, manuum tremor. His aũt hoc modo prudenter auxiliari oportet. Vomitus fiat quàm optime à cœna absque repletione

Similé · *Humani corporis partes IIII* · *Capitis affectionũ præsagia* · *Thoracis morborũ præsagia*

A tione, sine medicamento. Commodi sunt & ieiuni uomitus, quos aliqui uocant syrmaismos. *Syrmaismus* Oportet autẽ eum qui ita uomere uolet, radiculas tenues præsumere, nasturtium, erucam, sinapi, portulacam, atq; deinde accepta aqua tepida, sic uomere. Qui uero talia signa contemnunt, eis hi morbi succedere solent. pleuritis, peripneumonia, melancholia, febres acutæ, phrenitis, lethargus, febris ardens singultuosa. Postquàm uero circa uentrẽ affectio aliqua diutius cõsistere parat, ex his aliquid præsignat. *Ventris affectionum prænotiones* Aluus prius cõtorquetur, & ipsa in seipsa turbatur. Cibi ac potus amari apparent, genua grauantur, lumbos flectere non possunt, dolores sunt totius corporis, citra occasionem, torpor crurum, febriculæ paruæ. Quum horum quid præsignificant, aluum mollem præparare oportet cum uictu, absque medicamento. Sunt autem plura & secura, ex quorum usu falli non possis. Betæ aqua mulsa coctæ, allium coctum, malua, rumices, mercurialis, placentæ ac dulciaria ex melle. Omnia enim aluum subducunt. Si uero aliquod signum augescat, cnici succum ad omnia decocta ammisceto. Iucundiora enim fiunt, & periculo uacant. Commoda est & brassica leuis aqua multa cocta. Huius succus bibitur cum melle & sale, ad quatuor heminarum mensuram. Cicerũ quoq; arietini cocti aqua, pota ieiuno, eodem modo facit. Qui uero talia signa negligunt, has affectiones incurrere solent, alui profluuium, dysenteriam, lienteriam, uoluulum, coxendicem, febrem tertianã, podagram, syderationem, hæmorrhoidas, articularem morbum. Porrò ubi circa uesicam aliqua affectio diutius consistere uolet, hæc præsignant. *Vesicæ morborum prænotiones* À paucis cibis repleri sibi uidetur, flatus sunt, ructus, decoloratio totius corporis, somni graues, urinæ liuidæ, & uix prodeuntes, tumores circa pudenda fiunt. Quũ igitur tale quid præsignificarit, urinã cietibus odoratis securissime auxiliari oportet. Licet aũt fœniculi & apij radices macerare in uino albo odorato, & hoc bibere quotidie ieiunũ mane duorũ cyathorũ mensura, cũ aqua in qua cõ-
B maduit daucus, smyrnium, heleniũ, quicquid talium habueris. omnia enim prosunt. Item cicerũ maceratorũ aqua pota cum uino, eodẽ modo. At negligentibus talia signa, hæc succedere solẽt. Aqua intercus, splen magnus, hepatis dolor, calculus, renũ affectio, urinæ stillicidium, uentris repletio. Cæterũ in omnibus talibus signis, infantib. lenes curationes adhibere oportet, maioribus efficaciores. Scripsi aũt tibi etiã de mutationibus temporum per annũ, in quibus singula fiũt, & quæ in corpus assumere te oporteat, & à quibus abstinere. *Temporũ mutationibus corpora affici* Incipiã aũt à solstitio hyberno. Solstitiũ hybernũ auget in hominibus defluxionẽ, ac humiditatẽ, usq; ad æquinoctiũ uernũ. Oportet igitur cibos calidiores assumere, & parcius bibere, & uinũ meracius bibere, & ab origano macerato potare, & Venere uti. sunt aũt ad æquinoctiũ, dies nonaginta. Aequinoctiũ uernũ auget in hominibus pituitã, & dulces serosos sanguinis humores, usq; ad pleiadũ ortũ, utere igitur odoratissimis & acribus cibis, & labori deditus sis, & Venere utere. Sunt aũt usq; ad pleiadum ortũ, dies quadraginta sex. Pleiadũ ortus auget in hominibus bilem fuluã, & amaros serosos humores, usq; ad solstitium æstiuũ. Vtendũ itaq; est dulcibus aluũ soluentibus, & q̃ minimũ coeũdũ. Sunt aũt ad solstitiũ æstiuum, dies quadraginta quinq;. Solstitiũ æstiuũ auget in hominibus bilem atram, usq; ad æquinoctiũ autũnale. Vtere igitur aqua frigida, & odoratis omnibus, & q̃ minimũ Venere utere, aut minore q̃ de Venere scriptum est, admitte. Sunt aũt ad æquinoctiũ autumnale, dies nonaginta tres.

Aequinoctiũ autũnale auget in hominibus pituitã, ac tenues fluxiones, usq; ad Pleiadũ occasum. Oportet igitur fluxiões detrahere, & acerrima ac odoratissima exhibere, & q̃ minime uomitũ facere, labori deditũ esse, & à coitu abstinere. sunt aũt ad Pleiadũ occasum, dies XLVI. Pleiadũ occasus auget in hominibus pituitã, usq; ad solstitiũ hybernũ. Proinde acerbissima exhibere oportet, & uinũ bibere q̃ iucundissimũ, & pinguibus uti, ac labori deditũ esse. Sunt aũt ad solstitiũ hybernũ, dies quadraginta quinq;.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

In hoc libro totius tractationis secundo, de febribus totus sermo habetur: primum quidem de his quæ conferunt ad signorum cognitionem, & totam ipsarum curationem. Deinde de uniuscuiusq; speciei febris generatione ac curatione. Et tertio loco de consequentibus ad febres symptomatis.

PAVLI AEGINETAE REI MEDICAE LIBER II. [redacted]

Medico Physico interprete.

De febribus, ex Galeno & alijs pluribus. CAPVT I.



POST sanitatis tuendæ doctrinam, ad ægrotantium iam correctionem progredientes, à morbis similarium partium, uelut simplicioribus, initium sumemus. Tales autem sunt maxime qui febriles appellantur. Rursus igitur Oribasij ex Galeno compendiaria tractatione quàm maxime, imò etiam aliorum plurimorum utentes, nos quoque paucissima quædam relicta apponemus.

Morbi similarium partium, simpliciores; febriles

Quot & quæ capita in febrilibus maxime morbis inquirere oportet. CAP. II.

PRimum quidem inquirere oportet, an salutaris sit morbus, aut perniciosus. Et si salutaris, utrum acutus aut diuturnus. Atq; hæc quidem etiam in alijs magnis morbis inquirenda sunt. Et tertio, utrum acervatim iudicabitur, quod maxime febrium proprium est, aut particulatim soluetur.

Principium morbi quod dicatur. Ex Galeno. CAP. III.

NOn idem est capitis dolor, & febris: quemadmodum neq; uigilia, & ciborum inappetentia, et totius corporis grauitas, aut lassitudinis sensus. Verum singula hæc aliud quiddam à febre sunt, & febrem annunciant. Febris irruens, & præsertim acuta, neq; nos, neq; idiotam aliquem latere potest. Detur autem, si ita uoles, etiam ipsam latere, at mirum fuerit, si ultra horam ægrum lateat. Quapropter illud tempus principium morbi esse dicemus, quando manifeste febrire auspicati debuerunt.

Febris irruens

Principium morbi

B

Vnde cognoscendum salutaris'ne sit morbus aut perniciosus.

CAPVT IIII.

PErniciosa signa sunt, facies cadauerosa, nasus acutus, oculi caui, & reliqua ab Hippocrate relata; si hæc non ex uigilia, aut uacuatione, aut inedia acciderunt. Et lucis splendorem fugere, aut lachrymari, non ex aliqua externa causa, neq; oculis propriam affectionem habentibus: & alterũ oculum minorem apparere: aut etiam albas ipsorum partes rubicundas, aut liuidas, aut nigras, aut etiam sordes in ipsis: & in somnis albas oculorum partes apparere, palpebris totis non commissis, nisi multa euacuatio facta fuerit, aut hoc symptoma ipsis ex cõsuetudine sit: & dentibus frendere, aut delirare, aut floccos legere, aut festucas decerpere. Attendendũ est & ad decubitum. Nam supinum decumbere, & uelut resolutum, aut etiam de lecto defluere ad pedes, extremę debilitatis signum est. Et adhuc peius, frigidum respirare ex naribus & ore: & pulsuum obscuritas, ac densitas, & deficere ipsos. Et sudare ad animi deliquium, perniciosum signum est. Si igitur omnia relata signa, aut plura ex his apparuerint, aut etiam pauciora, uerum ualida: nullo præsente salutis signo, mors euitari non potest. At spiratio bona, & pulsus bonus, & mente ualere, & bene se habere ad ea quæ offeruntur: & facies & decubitus similis sanorum, bona & euasuri signa sunt. Et in summa, quæ maxime sunt contraria naturalibus, perniciosa sunt. Quæ uero similia, salutaria. Cæterùm de prænotione ex urinis, alui egestionibus, & sputis, paulò post dicetur.

Signa perniciosa

Signa salutaria

Vnde cognoscimus acutum, aut diuturnum morbum. CAP. V.

MOrbi tempus ex quatuor notis cognoscitur, ex morbi ipsius motu, ex ægrotantis habitu, ex pulsibus, ex febrium specie. Ex morbi motu hoc modo. Si quidem quatuor particularis exacerbationis tempora, citius & in minimo tempore præterierint, peracutus fuerit morbus, cuius extremus termi-

Morbi motus

Morbus peracutus

terminus est septimus dies, plerunque uero quarto die iudicatur. Si uero in am pliori quàm hoc est tempore, sed ut non excedat duodecim horarum spati/

Morbus acutus um, acutus [redacted] mumquartum diem iudicatur. At si ad plures horas se extendat, ut principium solum & augmentum, in maiore diei ac noctis tempore perficiat, talis morbus diuturnus est. Quòd si non

Morbus diuturnus habeat morbus particulares exacerbationes, sed ab initio ad finem usque, uelut una sit exacerbatio, quemadmodum in febribus cotinentibus, etiam hunc ex acutis esse dixeris. Cæterùm ex ægrotantis habitu hoc cognoscetur, si facies, aut etiam reliquum corpus, moderatam iam habeat contractionem, acutum morbum indicat. Si uero penitus contractum nō est, neque considit, diuturnus erit. Copia enim materiæ indicatur longiore tempore concoquendæ. At uero ab arteriarum motu sic. Magnus & uehemēs, & celer, & densus pulsus, acutum morbum indicat, contrarius diuturnū. Verum ex febrium specie cognoscitur, quatenus calidæ & ardentes, acutum morbum indicant. Molliores & uelut desitescentes intus, diuturnum.

Quomodo prænoscamus an iudicabitur morbus, aut soluetur. CAP. VI.

EXiam relatis etiam hoc prænoscimus, nimirū ex febrium specie ac tem pore, & fortassis in totum ex febrium specie. Calidæ enim & ardentes, & breuis temporis sunt, & per excretiones iudicari tales solent. Molliores

Iudicatio per excretiones, per abscessus autē, & diutius durant, & in abscessus plerunque erumpunt. Et ex relatis manifestum fit, quòd non solum quando morbus iudicatur, prænoscimus, sed etiam quomodo iudicabitur. Nam acutis magis per excretiones contingūt iudicationes, quemadmodum diuturnioribus per abscessum.

De indicatorijs diebus. CAP. VII.

IVdicatorij dies partim frequenter, & fideliter, ac bene soluunt, perfectè item, & manifestè, & cum certis notis, partim contrario modo. Verū de

Dies decimus tertius cimus tertius medium quodam modo locum habere comperitur. Et sunt B quidem ex ipsis qui iudicare solent, si uel modicum naturæ impetum nanciscantur, uelut est septimus & decimus quartus. Multi uero, in uehementibus quidem morbis iudicant, alias autem non possunt. Quin neque omnes boni, similiter boni sunt: neque omnes mali, similiter mali. Neque iuxta ordinē, utilitatem aut malignitatem habent. Primi igitur ordinis de numero bono

Dies iudicatorij rum sunt hoc modo. Optimus omnium est septimus & decimus quartus. His proxime accedit nonus, & undecimus, & uigesimus. Et huic prope accedit decimus septimus, & quintus. Et post hos quartus. Et post hunc tertius, & decimus octauus. Verum his contrarij secundi ordinis sunt hi. Pessimus, & cum periculo & obscurè iudicans, uelut ex diametro septimo oppositus, sextus est. Huic autem similiter octauus & decimus post quos duodecimus, & decimus sextus, & decimus nonus. Inter hos autem mediū locum habet decimus tertius, ut qui non similiter reijci possit, uelut hi qui in secundo ordine sunt, neque similiter his qui primi ordinis soluere sunt solent. Atque hoc quidem ordine dignitatis Galenus usus est. Verū iuxta numeror ordinem boni sunt, tertius, quartus, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus quartus, decimus septimus, decimus octauus, uigesimus. Mali uero, sextus, octauus, decimus, duodecimus, decimus sextus, decimus nonus. Medium autem locum habet decimus tertius. Ex his iudicatorijs quidam etiam aliorum indicatorij sunt, quos Hippocrates etiam contemplari iussit, & contemplandos nominauit, eo quòd iudicationes in alio iudicatorio die futuras, præindicent, & contemplandas exhibeant. Velut est quartus, qui futuram in septimo die iudicationem præindicat, si sudores aliquos, aut humiditates, aut eiusmodi quasdam particulares euacuationes, aut significa

Quartus dies sexti index tiones prius non factas efficiat, aut etiam concoctionis signa ostendat. At Galenus etiam sexti indicatorium esse dicit diem quartum, etiamsi ille non sit bonus. Verum undecimus decimiquarti indicatorius est, & decimus septimus uigesimi. Itaque usque ad decimumquartum diem contentiosissimæ iudica-

A dicationes fiunt, proximè uero ipsis accedunt, quæ usq; ad uigesimum fiūt. Quæ uero post uigesimum, usq; ad quadragesimum, paulatim contentionē remittunt. Sunt aūt primæ dignitatis, uigesimus septimus, trigesimus quartus, & quadragesimus. Post hos uerò uigesimus quartus, trigesimus primus, & trigesimus septimus. Sed reliqua intermedia multitudo, à uigesimo usq; ad quadragesimum, in totum nō iudicat. Quemadmodum omnes post quadragesimum diem, penitus exoluti sunt, concoctionibus magis ac abscessibus, non iudicationibus, soluentes morbos. Proinde reliquos post quadragesimum diem, penitus contemnere uidetur Hippocrates. Sexagesimi tamen ac octoagesimi, & centesimi uigesimi ratione habet. Post hos aūt, alios morbos in septem mensibus, alios in septem annis iudicari dicit, alios ut uerisimile est, in duobus aut tribus annorum septenarijs.

Quòd iudicatoria signa in principio apparentia, mala sint. CAP. VIII.

Concoctionis signa nunquàm male apparent. Omnis enim cōcoctio nātura præualente contingit, & propterea semper bona existit. At iudicatoria signa quandoq; male apparent, co quòd iudicatio ambigua est, & modo bona, modo mala contingit: quemadmodū antea de iudicatorijs diebus dictum est. Neq; igitur in principijs, neq; in augmētis, ipsa apparere oportet, sed in uigoris tempore, in quo natura morbo superior euadit.

Signa cōcoctionis semper bona

Signa iudicatoria quando bona sint

Quomodo futuram iudicationem præcognoscere oporteat. CAP. IX.

Si augeantur, & anticipent exacerbationes, & multò uehementiores fiant, & per tertium diem significationem de se præbeant, & signa concoctionis in urinis, aut alui egestionibus, aut etiam sputis comperiantur, omnium maxime breui morbus iudicabitur. Si uero lente moueantur, & eadem hora irruant, quotidie contingentes exacerbationes, post longius tempus futuram iudicationem expecta. Sed & eorum qui à rigoribus uehementer febricitant, ut solutio fiat, fieri non potest, antequàm rigor mitigetur. Nam

Iudicationis breui futuræ notæ

B hoc nihil remittente, contingere nequit, ut iam uigorem morbus acceperit, quapropter multò minus declinationem sperare oportet.

Quomodo instantem iudicationem cognoscamus. CAP. X.

Molestia morbi tolerantia omnem iudicationem præcedit. Etsi quidem in die iudicabitur, noctu præcedit. Sin noctu, in die. Et symptomata accedunt, uelut est capitis dolor, qui prius non fuit, & collum condolet, & præcordium reuellitur, & spirandi difficultas repentina, & alia multa difficilia symptomata prius non facta apparent. Et si his contingentibus, pulsus non conciderint, sed magis in altum tollantur, & uehementiores fiant, confirmet, & etiam insuper iudicatorius dies, & hic maxime ex bene iudicantibus, non solum futuram iudicationem, sed etiam bonā ipsam expecta. Nec uero consterneris inter hæc, si delirantem hominem aut exiliētem uideris. Nam & hæc lationis humorum sursum uersus signa sunt, quemadmodum rursus deorsum aliā, & imi uentris morsus, & tormen circa umbilicum, & lumborum dolor, & murmuratio. Quandoq; etiam alia eiusdem generis signa apparēt. Et ad hæc si per hæmorrhoidas æger uacuati consueuit, etiam huius circuitus tempus concurrit. Similiter & de mensibus, si mulier fuerit quæ ægrotat, nihil absurdi est per talem rursus euacuationem, fieri iudicationē. Sed & sudores, ex prægressis uelut uerisimile est madoribus, & præsertim in die indicatorio factis, & ex meatuū apertione prænoscendi sunt.

Iudicationis instantis notæ

Cæterum euacuationem per superiores partes, & his maxime cognoueris. Inspicere enim iam ad prædicta oportet, etiam ægrotantis faciem, & si qua in ipsa pars palpitet, aut uenæ in temporibus pulsent, aut gena, aut nasus, aut oculus rubicundior fiat, magis sperandum est. Si uero etiam inuiti lachrymentur: aut etiam splendores oculis obuersari imaginentur, & manus ad nares adhibeant, uelut scalpturi, tunc quidem non amplius fluxurū, sed iam fluentem sanguinem uidebis. Vbi enim semel atq; iterum scalpserint, erumpit. Morsus autem stomachi, & inferni labij tremor, iudicatio-

nem

nem per uomitū sæpe nobis indicauerunt. Et hæc quidem sufficiunt. Accedit autem ad hæc, & ægroti ætas, & natura, spem confirmans, & insuper anni tempus, & præsens constitutio. Si enim adolescens fuerit ægrotus, aut aliàs natura calidus, aut multi sanguinis, adhuc magis sperabis. Si uero etiam antea ipsi sanguinis euacuatio, aut ægrotanti, aut sano contigit, uelut antea diximus: hoc uel solum sufficiēs est, ad sanguinis eruptionis spem exhibendam. Quòd si etiam tempus anni uideris æstatem, aut nō quidem æstatem, sed aliàs calidam præsentem aëris constitutionem: & sæpe illo rempore per sanguinis eruptiones fuerint iudicati: & plenum sanguine corpus fuerit, & consuetarum excretionum suppressio: & hæc spem tuam augere poterint. Similiter autem & de reliquis euacuationibus ratiocinari oportet. Si uero horum quidem nihil uisum fuerit, uerum molesta morbi tolerantia, in quodam iudicatorio post uigesimum die fiat, & hoc morbo in uigore consistente: & dolores in quibusdam articulis, aut circa aures, aut etiā in alijs partibus fiant, aut non quidem dolores, sed sudores particulares iuxta aliquam partem assiduè oboriantur: per abscessum iudicationem expectare oportet, & circa illam maxime partem abscessum futurum, ubi sudores aut dolores, aut tumores facti fuerint.

Indicationis per abscessū notæ

Quomodo factam optimam iudicationem cognoscamus. CAP. XI.

SI quidem euacuatio conueniens post concoctionem fiat, & febris soluatur in eo qui iudicatur, & idem ab alijs symptomatis liberetur, & pro ratione euacuationis coloratior fiat, & pulsum meliorem habeat, & ad exurgendum robustior euadat, & quod omnium securissimū est, bona tolerantia cōsequatur: hæc optima est iudicatio. Si uero quid ex his defecerit, tantum ab optima abest, quanta fuerit uis eius quod deficit.

Iudicationis bonæ factæ notæ

De pulsibus, ex Galeno. CAP. XII.

PVlsus est motus cordis & arteriarum, per distentionem ac contractionē contingens. usus eius duplex est. Per distentionē enim, qua uelut expanditur ac aperitur arteria, frigidus aër ingreditur, uentilans & suscitans uitalem firmitatem. Vnde etiam animalis spiritus generatur. per contractionē autem, qua arteriarum extremitates ad medium cōuiunt ac considunt, excretio fuliginosarum superfluitatum contingit. Hæ uero arteriæ oblongæ sunt uasa caua, uelut uenæ, & duas tunicas habent, tum propter relatum motum, tum quòd sanguinem & spiritum continent: & enascuntur quidē ex corde, disperguntur autem per omnes corporis partes. Omnes igitur arteriæ eodem modo pulsant, & inter se, & cum corde, ut ex una de omnibus rationem inire possis: non tamen fieri potest, ut omnium motum quis similiter sentiat, sed earum quæ sunt in excarnibus corporis partibus promptius, obscurius autem earum quæ sunt in carnosis. Neque autem decentiorem, neque usui commodiorem aliam attigeris, si eas quæ ad manuū iuncturas sunt omiseris. Est igitur primum genus pulsuum, quod circa motus tēpus, & in distentione, & in contractione consideratur. Differentiæ ipsius sunt, uelox, tardus, & moderatus. Nam quicquid mouetur, aut uelociter, aut tarde, aut medio modo, in tempore mouetur. Velox itaque est, qui in modico tempore, per multum spatium mouetur. Tardus, qui in multo tempore, per modicum spacium mouetur. Moderatus, qui medio modo circa motum se habet. Alterum genus est, circa distentionis quantitatē. Quandoquidem enim omne corpus tres habet dimensiones, longitudinē, latitudinem, & profunditatem: corpus autem est etiam ipsa arteria: tres habere & hanc dimensiones necesse est. Verum dum secundū naturam se habet animal, moderatè ipsam undequaque distendi comperies. Vbi uero præter naturam se habet, aliquando deficit, aliquando excedit aliquid, iuxta quamcunque tandem dimensionem. In hoc autem meminisse oportet, qualis erat pulsus naturalis. Et si quidem latitudine maior comperiatur, latum uocare. Si uero longitudine, longum. Si profunditate, altum. Clarum uero est quod

Pulsus quid sit

Spiritus animalis generatio

Arteriarū pulsus contactius ubi sit commodus

Pulsuum genera X

A quòd etiam contrarios ipsis, & naturali minores, iuxta eandem rationẽ nominare oportet, angustum, breuem, & humilem. Ex his uero qui in omnibus dimensionibus similiter ad statum præter naturam mutantur, is qui penitus imminutus est, paruus: qui auctus, magnus appellatur. Tertium genus pulsuum est circa facultatis firmitatem. Differentiæ ipsius tres sunt, uehemens, languidus, & moderatus. Vehemens est qui tactum medici robuste ferit. Languidus qui ægre & debiliter. Moderatus qui medio inter hos modo, quem quidam naturalem esse putauerunt. Nam ex ira & exercitijs, uehementiorem fieri pulsum dicunt, qui non sit naturalis. Verum his Galenus se opposuit, non durabilem, sed qui prompte transmutetur, esse dicens eum pulsum, qui ob non naturales causas uehementior efficitur. Qui igitur uehementior est, & non prompte mutatur, hic naturalis & moderatus fuerit. Quartum genus est circa instrumenti, corporis arteriæ dico, compagem. Differentiæ huius item tres sunt. Aut enim durius est naturali instrumentum, & uocatur pulsus durus: aut mollius, & mollis dicitur: aut medio modo se habet, & iuxta hoc moderatus appellatur. Quintum genus pulsuum est iuxta quantitatem humoris arteriæ. differetiæ ipsius sunt, plenus, uacuus, & moderatus. Nam & omne uas, aut plenum est, aut uacuum, aut moderatum humore habet. Plenus igitur pulsus est, uelut Archigenes definit, qui solidiorem exhibet arteriam, & occursum ipsius humore refertum. Vacuus autem qui bullosam arteriæ excitationem facit, ut ad digitorũ impressionem, progressus per uacuũ occurrat. Hæc quinque pulsuum genera iuxta unum arteriæ motum consistunt. Quandoquidem uero qualitas caloris cordis, magis quodam modo manifeste circa arteriam apparere uidetur, uoluerunt & hoc genus pulsuum sextum ad prædicta annumerare. Ex reliquis generibus, tum quæ iuxta unum, tum quæ iuxta plures pulsus sumuntur, est & quod circa quietis tempus cõsistit, & quod circa rythmum,
B & quod circa æqualitatem ac inæqualitatem, & quod circa ordinem ac ordinis turbationem. Quod igitur circa quietis tempus consistit, & septimum est à primo, diuiditur in densum, rarum, & moderatum. Quum enim arteria duplici motu moueatur ex cõtrarijs motibus composito, necesse est ipsi etiam duplices quietes coincidere, alteram post distentionem ante contractionem, alteram post contractionem, ante distentionẽ. quam etiam sensu percipi posse quidam negauerunt. Quare inter duos motus, una quies media intercedit. Cui igitur multũ est quietis tempus, hic rarus est. cui breue, densus. cum medium, moderatus. Octauum genus pulsuum circa rythmum consistit. Est autem rythmus in summa, habitus aut proportio temporis ad tempus. In pulsu uero, uelut aliqui uolunt, temporis motus ad tempus quietis, uelut distentionis & contractionis, ad aliquam intercedentem quietem. Verum iuxta aliorum sententiam, temporis motus ad motum, uelut distentionis ad contractionem: aut quietis ad quietem, uelut internæ ad externam. Differentiæ rythmi primæ duæ, pulsus boni rythmi, & sine rythmo. Quum autem dico sine rythmo, non nullum habentem rythmum dico: hoc enim fieri nõ potest: sed eum qui malum rythmũ habet: quemadmodum sine uoce, & sine collo esse dicimus, eum qui malam uocem, & malum collum habet. Pulsus autem sine rythmo triplex differẽtia est. Alius enim præter rythmum est, moderatam habens boni rythmi peruersionem. Alius alterius rythmi, amplius peruersus. Alius extra rythmum, qui bonum rythmum penitus corrumpit. Velut exempli gratia, si in puero notas colligere uelis, proprius ætati puerili pulsus iuxta rythmum cõtingens, boni rythmi pulsus appellatur. Qui uero rythmum corrumpit, sine rythmo. Et corrumpens qui quidem propinquæ ætatis rythmum assumit, pulsus præter rythmũ appellatur. Qui uero ætatis uigoris, alterius rythmi dicitur. At qui nequehuius ætatis rythmum conseruat, extra rhythmum nominatur. Nonum genus pulsuum est quod in omnibus relatis generibus repentur, circa

Pulsus naturalis putatus

Rythmus quid sit

Voces nõ priuationem, sed corruptionẽ significantes

æqualitatem ac inæqualitatem consistens. Hoc aut in uno pulsu, aut in plu- A
Systematicum pulsuũ genus ribus consideratur. Et hoc à plurium congregatione systematicum appella-
tur, de quo uelut manifestiore primũ dicendum. Aequalis igitur pulsus est,
qui consequenter æqualis est, aut magnitudine, aut firmitate, aut uelocita-
te, aut aliquibus alijs generibus, aut etiam omnibus. Inæqualis uero est, qui
consequenter inæqualis est. Si enim uerbi gratia, omnes consequenter ma-
gnitudine æquales fuerint, æqualis magnitudine talis pulsus uocatur. Si ue-
ro primus & secundus & tertius æquales apparuerint, quartus autem inæ-
qualis, clarum est quòd talis pulsus magnitudine inæqualis appellatur. Hu-
Intermittens pulsus ius generis sunt, & Intermittens & Intercidens. Non enim solum circa
unum aut plures magnos, unus apparet minor: sed aliquando etiam to-
Intercidens pulsus tus motus penitus perit, & intermittens pulsus dicitur: Quemadmodum
alter intercidens huic contrarius, quum expectata quiete intermedia, ue-
lut superfluus quidam incidit. si uero secundus paulò minor fiat primo,
& tertius secundo, & quartus tertio, in æqualitate, & hoc ulterius con-
Miurus pulsus tingat, tales pulsus Miurizontas & Miuros, hoc est decurtatos appel-
lant, à figuris in acutum desinentibus nomen transferentes. Et qui qui-
dem ex ipsis perpetuò minuuntur, & nunquam à tali affectione cessant, in
Decurtati deficientes pulsus absolutam motus interceptionẽ desinunt: & uocamus ipsos decurtatos de-
ficientes. Qui uero cessant, duplicem differentiam habẽt. Quidam enim ex
ipsis, paruitatem eam in qua primum cessarunt, seruant semper. Quidam ue-
ro rursus augentur, aut ad æqualem ei quæ ab initio fuit magnitudinem re-
deuntes, aut ad minorem, aut ad maiorem: atq; hi decurtati recurrentes ap-
Decurtati recurrentes pulsus pellantur. Fiũt etiam in unius pulsus inæqualitate decurtati pulsus, de qui-
bus paulò post suo loco dicetur. Ac huiusmodi sanè est congregatoria ap-
pellata pulsuũ inæqualitas. Quæ uero in uno pulsu consistit, aut circa unã
arteriæ partem, aut circa diuersas contingit. uelut in tempore motus, circa
unam quidem arteriȩ partem inæqualitas dicitur, quum aliter inceperit, & B
aliter desierit moueri arteria, circa unum digitum. incipiens quidem uelo-
cior, desinens autem tardior, aut uice uersa. Hoc autem trifariam contingit.
aut cõtinuo manente motu, aut interciso, aut recurrente & ueluti bis ferien
te. Siquidem igitur continuus manens, & non intercisus, à uelocitate ad tar
ditatem, aut uice uersa mutatus fuerit, inæqualiter uelox talis pulsus est, &
dicitur. Si uero intercisus quieuerit, & de cætero uelocior appareat, dorca-
Dorcadissans pulsus dissans appellatur, metaphora à dorcade animante accepta, quæ saltando
sublimis in aëre consistit, & improuisum quendam secundum motũ priore
uelociorem facit. At si post distentionem recurrerit, & prius quàm contra-
hatur penitus, iterum tactum ferierit, talis pulsus bis feriens appellatur. Hu-
Bis feriens pulsus iusmodi uero quippiam & in incudibus fieri uidere datur, quũ mallei qui-
dem semel per manum incussi ipsos ferierint, uerum incudis renixu relisi,
Simile rursus aut etiam tertio feriant. Non solum autem circa motus tempus, in-
æqualitatem circa unam plagam, in una arteriæ parte fieri contingit, sed e-
tiam circa facultatis firmitatem: non autem circa dimensionum quantita-
tem: nõ enim fieri potest ut idem pulsus in eadem parte, magnus ac paruus
fiat: neq; circa aliud pulsuum genus, sed in partibus diuersis. Cæterũ cir-
ca diuersas arteriæ partes, in uno pulsu inæqualitas duplex fit. Quandoque
continuo manente motu, & circa aliquos digitos arteria uelocius mota, iu
xta aliquos tardius quandoq; uero etiam interciso, ut aliqui digiti motum
Nutantes pulsus depræhendant, aliqui non. Sed & circa distentionis quantitatem, inæqua-
litas in pluribus partibus manifesta est. Cuius generis sunt decurtati circa
unam plagam, & nutantes ac circumnutantes. Si enim circa interiorẽ di-
gitum, magnus & qui in gibbum eleuetur pulsus occurrens, hinc iuxta ra-
Myuron dictũ etiã miuron pulsum tionem minuatur, ita ut circa exteriorem arteriæ partem, ad ægroti pollicẽ
minimus appareat, Myurus id est decurtatus appellatur, ad similitudinem
caudæ animalis muris: aut Miurus, quod instar caudæ decurtetur ac immi
nuatur.

A nuatur. Si uero circa medios digitos, magnus & qui in gibbū eleuetur occurrens, utrinq; minuatur minor apparens: hunc Archigenes nutantem & circumnutantem appellauit, clare declarare uolens circa distentionem breuitatem, cum utriusq; extremitatis uelut nutatione. Non enim uelut acernaum rectis, sed uelut inflexis utrinq; partibus, ad breuitatem contractus est, quum sit magnitudine decurtatus circa utrasq; partes. At ubi inæqualitas circa magnitudinem, ut aut maturius aut tardius contingat assumpserit, & undosi, & uermiculantes pulsus fiunt. Si uero etiam positus differentiam assumpserit, & conuulsorij, & agitatorij appellati constituuntur. Incipiendum igitur est ab undosis, in quibus non simul apparet circa talem inæqualitatē, tota arteria distendi, sed aliqua ipsius pars primo, aliqua secundo, aliqua tertio, alia quarto, motu continuo manente, ad eleuationis unda rum similitudinem. Et quidam in directum tendentem undam habent. Quidam ad obliquum declinantem. Et quidam in breui secundum longitudinem dimensione, altitudinem magnam habēt. quidam uice uersa. Et aliqui latitudinem, aliqui angustiam. Similiter autem & circa uelocitatem & firmitatem inæqualiter se habent. Si uero undosus totus ad paruitatem imminuitur, uermiculans appellatur, uermiculi gressui similis. Quemadmodum autem undosum pulsum minorem factum uermiculans excipit, sic uermiculantem formicans, quum pereuntibus motibus multis, in unum & eundem penitus paruum desierit. Appellatus & hic est à similitudine ad animal formicam, tum propter paruitatem, tum propter motus speciem. Est enim ualde paruus formicans, quo minor alius non existit. Similiter autē & languidissimus omnium ac densissimus, non tamen uelox, uelut Archigenes putabat. Huic propinquus est pulsus Hecticus appellatus. Quemadmodum enim febris hectica, ita etiam pulsus hecticus est, qui nullam magnam mutationem facit, sed semper similiter manens, connectensq; uelut ab initio incœpit, & nunquam desinens, toto habitu morbose mutato. At uero conuulsorij pulsus, dum utrinq; ab extremitatibus retrahuntur, & tenduntur ac conuelluntur, uelut chordæ cuiusdam intentæ sensum exhibere uidentur. Verum in agitatorijs nihil tale est, sed maior in his distentio est, ut quędam arteriæ partes uno & eodem tempore sursum ferantur. Et sane motum ipsorum iaculis quis maxime assimilare possit, quę uehementer emissa, dum uibrantur ac agitantur, celeriter feruntur. Porrò pulsus secans is quippiam modo se habens, tunc est quum pars aliqua arteriæ distenta esse appaeet, aliqua uero non, duriore nimirum ipsa apparente. Habet etiam quid agitatorij hic pulsus, & uelox quidem est ac densus, non autem semper magnus. Decimum supra relata pulsuū genus est, quod ex inæqualitate generatur, & circa ordinem ac ordinis turbationem consistit. Nam ordinatus ac inordinatus, secto inæquali, in æqualem iuxta circuitus, & in penitus inæqualem, ex utroq; segmento generationem habent. Ordinatus quidem circa æqualitatem circuitus. Inordinatus autem rursus circa absolutam inæqualitatē. Etenim æqualis pulsus penitus est etiam ordinatus, si quidem consequenter æqualem ipsum esse diximus. Inæqualis autem non penitus inordinatus. Si enim æqualitatem corrumpat, circuitum autem aliquem seruet, ueluti uerbi causa, in quantitate distentionis, si duos contingat fieri magnos, & unum paruum: deinde rursus duos magnos, & unum paruum, & sic consequenter: uocabitur talis inæqualis quidem, uerum ordinatus. Si uero ad hoc quòd æqualitatem corrumpit, neq; ordinem aliquē inæqualitatis conseruet, supra inæqualitatem etiam inordinatus est. Similiter etiam in alijs generibus. Cæterum ex inordinatis quidam per totum inordinati sunt, neq; minimum quendam circuitum conseruantes: quidam uero iuxta circuitus ordinati. Nam in quantum continuum ordinem non seruant, uocabuntur inordinati: in quantum uero per longum, circuitum quendam seruant, iuxta circuitus ordinati. Velut si cōtingat duos fieri magnos, & duos

Vndosi pulsus

Vermiculans pulsus

Formicans pulsus

Hecticus pulsus

B

Conuulsorij pulsus

Agitatorij pulsus

Secans pulsus

A

paruos. deinde tres magnos, & tres paruos. & quatuor magnos, & totidem paruos. Et rursus uelut reflectẽtes, duos magnos, & duos paruos. & tres magnos ac totidem paruos. Et consequenter eodem modo. Illud porrò sciendũ est, uniuscuiusq; aliorum contrariorum medium quendam esse. Verum æqualis & inæqualis medius nullus est: neq; ordinati & inordinati. præterq̃ si iuxta circuitus ordinatum, medium dicere uelis, inter ordinatum & inordinatum. Et aliorum omnium medij, secundum naturam se habẽt, excepto eo qui inter uehementem & languidum medius est. Inter hos uero æqualis solum secundum naturam est. Alij autem præter naturam, & inæqualis, & ordinatus, & inordinatus. Hæc sunt genera pulsuum omnia, & differentiæ ipsorum secundũ genera. Quidam uero etiam alia duo ad hæc annumerãt, alterum circa positionem arteriæ, iuxta quod sursum ac deorsum, & ad dextra, & ad sinistra, traducta esse uidetur: alterum quod circa hoc ut aut maturius, aut tardius contingat, consistit. Ex quibus undosos & agitatorios pulsus esse diximus. Et nos quidem breuis cõpendij ergò, simplices tantũ differentias tradidimus. Verum ex relatis facile has componentes, etiam cõpositas inueniemus.

Medij pulsus quorum sint, & quorum nõ

Cæterùm consequens fuerit etiam causas pulsus mutantes referre, ad quas sequitur etiam prænotio quæ ex ipsis contingit. Initium autem à magnitudine sumemus, quoniam hæc alijs manifestior existit. Magnus itaq; fit pulsus, aut ob urgentem necessitatem, quæ est caliditas in corde redundans, externam appetens refrigerationem, & uelũt uentilationem: aut ob corporis gracilitatem, uelut paulò post ostendemus. Augescit autem caliditas, aut propter naturales causas, uelut ætatem uigoris, aut puerilem, aut simpliciter calidum tempus, item & regionem, & temperaturam calidiorem. Aut ob causas non naturales, uelut aërem nos ambientem calidiorem, balnea calida, exercitia, cibos, uinùm, medicamenta calidiora. Aut propter causas præter naturam, uelut intemperiem calidam, aut humorum putrefactionem, aut iram, aut similes. Discernes autem singularum causarum pulsum, ex eo quòd causæ naturales, durabilem & quę ægrè transmutetur magnitudinem faciũt. Reliquæ uero facile mutabilem, adeò ut etiam adhuc tangente te sæpe, aut omnino paulò post, penitus discedat. Et magnis quidem pulsibus propter balnea calida, etiã mollitudo accedit: quemadmodum rursus his qui ob calidam, & maxime cum siccitate cõiunctam intemperiem, tales sunt, duricia. Qui uero moderate se exercuerunt, aut defricti sunt, medio modo se habent circa duriciem ac molliciem. Verum partes circa pectus calidiores magis habent, quod sanè etiã iratis contingit. At magnis pulsibus ob uinum, aut cibum, aut iram, ad magnitudinẽ etiam uehementia accedit. Quicũq; uero occultare student iram, aut aliud quid factum ab ipsis, citra medici permissionem: quemadmodũ ille qui calidum accepit medicamentum, & cælare id uoluit medicum simul cum tactu manus interrogantem: his ad magnitudinem etiam manifesta inæqualitas adest. Ad hoc uero etiam ægroti mores ac consuetudo, nõ parum conferunt ad dignotionem. Consuetudo quidem medicamentis dedita. Mores autem improbi, & ad suspicionẽ eximendam callidi. Qui uero ob humorum putrefactionem magnus est, is ad magnitudinem etiam contractionẽ magis festinantem habet.

Pulsuum causæ

B

Cæterùm ad hoc ut magnus fiat pulsus, non solum necessitas sufficit, sed opus est etiam facultate inseruiente, & moderato instrumento, iuxta duriciem ac mollicien. Aucta itaque in corde caliditate, ob quamcunq; tandem ex relatis causis, primũ quidem fit magnus pulsus. Vbi uero non suffecerit necessitati magnitudo, statim ipsi etiam uelocitas accedit. Si uero neq; sic suffecerit, etiam densitatem assumit. Parui autẽ & tardi ac rari pulsus, à contrarijs fiunt. At uero ubi à magno & ueloci ac denso, ad contrarios mutatio contingit, necessitate nimirum deficiente, nõ amplius id quod primum in pulsu factum est, etiam primum cessat. Sed id quòd posterius acquisiuit, primum abijcit, statim quidem euadens rarus.

Magnus pulsus quas causas requirat

deinde

A deinde tardus. postea etiam paruus. Si uero amplius deuenerit ad tarditatē ac paruitatem, rursus raritas in densitatem transit, quo per ipsam necessitas perficiatur. Atq; hę quidem sunt magnitudinis, & uelocitatis ac densitatis, & contrariorum ipsis, pulsuum causæ. Coniungenda uero his est, & mutatio pulsus circa unam solum dimensionem. Latitudo igitur solum augetur, propter humiditatem maxime redundantem, aut secundum naturam, aut etiam ab externis causis. Quemadmodū altitudo propter instrumenti mollicien, facultate ad hoc coadiuuante. Longitudo uero ob siccitatem, & circumstantium carnium eliquationem, manifestō fit, alijs dimensionibus collapsis. Non enim longiorem quàm secundum naturam, fieri arteriam contingit: & talem sanè pulsum magis proprie gracilem quis appellarit, quemadmodum contrarium ipsi, secundum latitudinem ac profunditatem solum auctum, amplum. Contrarijs autem harū affectionibus pulsus quandoq; incidit, & iuxta aliquam, aut aliquas dimensiones impeditur, humilis aut angustus, aut breuis apparens, quum talis non fit, sed ob pinguedinis alicuius crassitudinem, aut carnibus aut membranis impedientibus. Quandoq; etiam totus paruus apparet, quum reuera non sit paruus. Et languidus similiter. Et quid dico? Sæpe enim absoluta pulsus interceptio quibusdam esse uisa est per omnes arterias, quum reuera non esset, & præsertim negligentius tangentibus, sed propter carniū copiam latente motu, qui uere languidus exstitit: Non enim fieri potest, ut perfecta pulsus interceptio contingat, uiuente adhuc homine: quemadmodum rursus in excarnibus etiam pulsus parui, uidentur esse magni. Eliquato igitur uehementer corpore, & que circa spinam est arteria, sæpe contingentibus summum uentrem, motum significat: & quędam aliæ in artubus, quæ prius inconspicuę erant. Quapropter omnes causas diligenter animaduertere oportet, ne qua nos lateat dignotio. At uero pulsus uehemens prę robore facultatis fit, si nulla ex reliquis

Gracilis pulsus

Amplus pulsus

Pulsum nō intercipi penitus, uiuente homine

B causis reluctetur, uelut necessitas exoluta, aut instrumenti duricia. Languidus autem pulsus debilis facultatis uel solius soboles est, etiamsi nulla alia causa adsit. Nam uehemens pulsus omnibus causis opus habet ad sui generationem. Verum languidum uel sola debilitas efficit. Qui igitur ab initio uehemens est, ad ætates, & tempora, & regiones, & temperaturas temperatas consequitur. Languidus autem ad intemperatas. Qui uero ex languiditate ad uehementiam transit, facultate ex pręgressā debilitate corroborata contingit. Corroboratur autē uel per ea quæ in ipso sunt corpore, uelut humorum cōcoctionem, aut excretionem, aut iram: uel per externa, uelut uina, cibos, exercitia, & quæ intemperiem corrigunt. Exoluunt autem facultatem, inediæ, uigiliæ, euacuationes immodicæ, tristitiæ, curæ, dolores maxime animi deliquia inducentes, & quæ intemperię efficiunt. Quidam uero inexercitati durum pulsum putauerunt esse uehementem. Verum qui ratiocinatione, & tactu exercitatus est, eum non fefellerit. Nam uehemēs plerunq; cum magnitudine in altum tollitur, robustē tactum feriens. Durus autem magnitudinem non suscipit, propterea quòd arteria ægrē cedit. Durus itaq; fit pulsus, propter instrumenti duriciam. Hanc autem frigiditas immodica, aut siccitas, aut tensio ab inflammatione, aut conuulsio efficit. Statim autē ad duriciam, & paruitas, & uelocitas, quandoq; etiam densitas pro magnitudine, ob necessitatem consequitur. At mollis pulsus ad mollitiem arteriæ sequitur. Hanc autem humidiorem efficiunt, ex his quæ præter naturam non sunt, cibi humidiores, & balnea plura, & somni multi, & uictus delicatior, & animi iucunditas. Ex his uero quæ præter naturam sunt, sopores, lethargi, hydropes, & reliqui morbi pituitosi. Porrò plenus pulsus, aut humorum copiam, aut ciborū, aut uini potus redundantiam indicat: quemadmodum uacuus contraria, aut enim inediam, aut uacuationem. Quòd si calidius occurrat arteriæ corpus, multam in corde caliditatē, reliquo corpore perfrigescente: aut conuulsiorum aliquam arteriarum affectionē signi-

Durus pulsus

Mollis pulsus

ficat, per uiolentum motum calescentium. Verum Archigenes dicit arte- A
Catochorum pulsus riæ locum proprie in stupore correptis, catochis appellatis, calidiorem reperiri, uelut quibus conuulsio imminet cum graui in somnum delatione.

At uero rythmi ratio si æqualis est in motu ac quiete, totius corporis temperiem indicat, quantum in seipso: aut non magnam mutationem, uelut in puerili ætate, & corporibus alioqui temperatis. Si uero longius fuerit quietis quàm motus tempus, caliditatem prædominari indicat. Velut in ætate uigoris, & his uicinis: quemadmodum sanè in senilibus corporibus æqualiter frigidis, longius est motus tempus quàm quietis. Id autem sciendum est, inæqualitatem circa rythmum mensuram esse eius quæ circa uelocitatē ac densitatem consistit. Hanc autem uelut materiæ rationem ad rythmū obtinere. Intermittentes & intercidentes pulsus fiunt, dum premitur & uelut grauatur facultas. Verum intercidentes, minorem læsionem: deficientes maiorem indicant. Et in summa, facultas quæ premitur ac grauatur, ad inæqualitatem ac ordinis turbationem, pulsus mutat, tum aliam omnem, tum ad eam quæ circa uehementiam & magnitudinem contingit. Quum autem decurtati pulsus duplices genere demonstrati sint: aut enim in congregatoria inæqualitate, aut in ea quæ fit circa unum ictum reperiuntur: deficientes quidem extremam facultatis collapsionem indicant. Redeuntes autem & recurrentes, etiam ipsi imbecillem quidem, sed adhuc repugnantem, & resistentem, ac renuentem declarant. Qui uero circa unum ictum decurtati sunt, & nutantes ac circumnutantes appellantur, in his qui paulatim emarcuerunt maxime sunt, & in inflammationibus nō solutis: imò & in plu-
*— rimis quomodocunque marcescentibus existunt, dum corpora circa arterias consumuntur. Inæqualiter ueloces & dorca dissantes pulsus, ad febriles maxime caliditates consequuntur. Verum siquidem principia distentionis exoluat pulsus, & finem ipsius, ac contractionis principium acceleret, pu-
tredinem præualentem indicat, natura ad fuliginosarum superfluitatum ex- B
cretionem festinante. Si uero uice uersa, cōtractionis principium exoluat, ad distentionem autem magis festinet, caliditatem magis prædominari scito refrigerationem appetentem. Consequitur ad hos in febre etiam densitas plerunque, quandoque etiam magnitudo, si nō facultas, aut instrumenti duricia impediat. Augescente uero arteriæ duricia, & facultate nō debili existente, bis feriens fit pulsus. At undosus ad humidiores affectiones maxime sequitur, & ex his magis ad hydropes subtercutaneos, & lethargos, & peripneumonias. Vbi uero solui incæperit facultas, adhuc tamen interim modice resistit, undosus in uermiculantem transit. Extremè uero ipsa collapsa, & hunc formicans excipit. Hecticus pulsus proprie tabescentibus, & alioqui marcescentibus adest. Conuulsorius pulsus fit, neruorum principio inflammatoriam quandam affectionem habente, uelut in phreniticis
Comitialis morbi acuti affectio & comitiali acuto correptis, quando etiam moriuntur ita affecti, dum adhuc calidi sunt, contrario planè modo his qui syncope corripiūtur. Illi enim dum multum frigidi sunt, adhuc uiuunt. Agitatorius autē fit pulsus, quū
Syncopes affectio necessitas quidem opus habet magna distentione, & robur uitale operari potest, solum aūt arteriæ corpus contradicit, quod præ duricia ad magnam distentionem eleuari non potest: quemadmodum in inflammationibus magnis, & diuturnis obturationibus. Porrò pulsus secantis quippiam modo se habens, in totum inflammationem significat, & maxime alicuius neruosæ partis. Non minus autem & pleuritidis proprius est, si remissus est, mollis & facile concoquendæ: si intentus, difficilis & ægrè cōcoctilis, quæ cum debili quidem uirium facultate, acutè periculosa est: cum forti uero, diuturno tempore concoquetur. Aut enim in suppurationem sæpe transit, aut tabidus marcor ipsam excipit. Illud autem nosse oportet, quod ad inæqualitates, ordinis turbatio sequitur. Raro uero inuenire datur inæqualem pulsum ordinatum. Et sanè minores læsiones, inæquales & ordinatos; maio-

res,

A res, inæquales & inordinatos pulsus efficiunt. Atque hæ quidem sunt simplices pulsuum causæ ac prænotiones. Ex his autem & compositæ non difficulter inueniuntur, uelut etiam in sermone de differentijs ipsorũ diximus.

De alui egestionibus. CAP. XIII.

ALui egestio optima est mollis & compacta, & quæ tempore consueto, quo in sanitate prodibat, egeritur. Talis autem est subfulua, cum conuenienti compage, & non ualde graueolens. Quæ uero præter hæc est, bona non est. Quę igitur similis colore est his quę in cibo accepta sunt, & tenuis, & sine humorum exsuccatione, & cito progressa, incocta est. Quæ uero fulua, & meraca, in principio quidem biliosiorem indicat morbũ. Si uero circa declinationẽ talis excernatur, corpus cõmodè expurgari indicat. Cum uirore pallida, æruginosæ bilis nota est. Nigra, aut atræ bilis, aut sanguinis isthic adusti. Liuida, frigiditatem quandam, & internarum partium non leuem mortificationem indicat. Pinguis, colliquationis pinguitudinis quæ est in corpore nota est. Quemadmodũ rursus uiscosa deterior pingui est, & animalis partium colliquationem indicat. Quę uero ualdè graue olens est, non exiguam significat putrefactionem. In omnibus autem his, si nõ iuxta acceptum cibum qualitas fuerit eorum quæ egeruntur, hoc modo affectionem considerare oportet. Omnium uero pessima, & perniciosa est alui egestio, quæ nigra est, & liuida, & pinguis, & cito progressa. Egestionum alui ratio

De urinarum significatione. CAP. XIIII.

QVemadmodum in alui egestionibus, sic etiam in urinis, regula sanorũ usi, de ægrotis significationes sumemus. Vrina itaq; optima est, quæ sanorum urinis simillima est. Talis autẽ est subfulua & subflaua. Statim uero & crassitudinem moderatam hæc habet. Quum autem triplex urinarum turbatarum differentia sit, aut enim mictæ tales paulò post subsidunt, aut perpetuò similiter manent, aut puræ excernuntur, & postea turbantur: tertia ex relatis mala est, prima moderata, in medio autem ambarum secunda. Quæ uero extremè cruda est, hoc est quæ exactè aquosa est, uelut desperatæ concoctionis symptoma uenosi generis est. Vbi uero etiam cito exit, urinæ profluuium, quod diabetes uocatur, oboritur. Atq; hæc ex crudis urinis pessima est. consequẽs est tenuis adeò ac alba, uelut aqua. His proxima est alia urina, quæ in multis morbis apparet, prope admodum accedens ad uinum tenue ac album. Ab hac consequitur subpallida. Pallida uero fuerit etiam subfulua, & concoquitur iam pro coloris ratione. Verum & crassitudine in tantum ab aqua secedere ipsam oportet, si probe concoqui debeat, quantum colore. Si uero colorem secundum naturam exactè seruans, subsidentiam albam ac leuem, & æqualem ac multam habet, concoctionis quidem exactæ nota est, uerum copiosum crudum humorem expurgari indicat. Sed & si moderate crassior fuerit, & subsidentiam aliquam habuerit, nõ penitus iam cruda est. Si enim aut farinæ crassiori, aut laminis, aut furfuri similes, aut liuidas, aut nigras, aut pallicantis uiroris, aut graueolentes subsidentias habuerit, præter hoc quod omnis huiusmodi cruda est, etiam alias perniciosa existit. At uero urinæ boni coloris, simulq; aut subsidentias albas, & leues, & æquales: aut nubeculas quasdam consimiles: aut quædam in medio innatantia facientes, omnium urinarum optimæ sunt, & maxime quarum subsidentia talis fuerit: secundo loco sunt, quarum innatantia talia sunt. Tertio, quarum nubeculæ. Et in summa, quæ in urinis utiliter feruntur, quanto magis deorsum subsiderint, tanto meliora existunt. Vrina quæ optima

B Diabetes

De sputorum notis. CAP. XV.

QVæcunq; sputa subflaua sunt, & subfulua, & subspumosa ac tenuia, solius cruditatis notæ sunt, & nullum grauius malũ indicant. Quæ uero meraco modo flaua sunt, & fulua, & spumosa, & cum uirore pallida, uiscosaq; ac rotunda, & his magis adhuc nigra, mala sunt. Nam sanguine forsum excepto, quisquis aliorum humorum meracus fuerit, malam affectio- Sputorũ ratio

nem indicat, quæ ex flammea caliditate ortum habet. Cruenta igitur sputa moderata sunt. flauæ uero aut atræ bilis, horrenda. Verũ inspicere insuper oportet etiam eductionis ipsorum modum. Si enim facile exspuantur, manifestum est talia esse bona, contraria uero mala. Perfectę itaq; cõcoctionis nota est, sputum leue, album, & æquale, & compage neq; liquidum, neq; nimis crassum. Absolutę uero cruditatis nota est, id quod omnino nõ exspuitur. Si uero exspuatur quidem, sed tenue, concoctionis languidæ signũ est. Sin autem meracum fuerit, fuluum aut flauum, non bonum est. Si uero liuidum, aut æruginosum, aut nigrum, perniciosissimum. A

Diariarum febrium cognitio ac curatio. CAP. XVI.

FEbrium diariarum proprium & inseparabile signum est urinarum concoctio in prima die. Sed & caliditatis iucunditas, proprium ac inseparabile talium febrium signum est. Verum post primam febris solutionem, certiorem cognitionem habebis. Nam & arteriarum motus tunc per omnia assimilatur sanorum motui, quum nulla alia febris ad naturalem statum reuerratur: & ægri bona tolerantia, magnum etiam ipsa signum est. Facile uero his febribus corripiuntur hi, quibus defluxiones corporis non sunt uaporosæ, sed acre quiddam, & uelut fumosum habent. Hi autem sunt calidi ac sicci temperamento, & omnino ex amara bile biliosi. Eos igitur qui ex lassitudine febrierũt, pinguiter simulq; molliter fricare oportet, ac lauare. Qui uero ob siccitatem, minus quidem illis fricare, sed plus lauare. Ex curis autem, & mœroribus, & uigilijs, & ira illapsos, lauare non sæpe, sed oleo multo tepido minimum adstrictionis participanti parum fricare, & ut mos est lauare. Ex ardore uero febri correptos, statim ab initio frigefacientibus curare oportet, & balneis pluribus. Minime autem oleo largo, ac frictione. Frigefacientia sint rosaceum, & oleum omphacinum, absq; sale præparatũ. Verum hæc ipsa uehementer frigefacta sincipiti affundere oportet, & declinante febre lauare. Si uero quis perfrigeratus febrierit, & hunc lauare oportet in declinationibus. At si una cum grauedine ac defluxione febriant, prius quàm concoquantur illæ, lauare non oportet. Verum eos qui ex ardore febriunt, etiam illo præsente lauare cõuenit. Qui uero ex frigiditate, his caput rigandum est moderatè calefacientibus, uelut est irinum ac nardinũ. In quibus autem meatuum cutis coarctatio febrem efficit, his conueniunt balnea dulcium aquarum temperatarum, & frictio rarefactoria, & exercitia, & uictus succi dulcis. Si uero ob inediam fiat febris, prima exacerbatione inclinata ad balneum inducantur, & oleum plurimum tepidum affundatur, lenissimeq; defricentur, & plurimum temporis in solio calido immorentur. Vbi uero egressi sunt, & uires refecerint, ad balneum rursus inducantur. Et postea calidam aquam bibant, & ptisanæ succum, quandoq; etiã lactucæ. & teneræ carnis pisces sumant ex albo iure. Communis autem uictus species in omnibus sit, boni succi, facilis cõcoctu, nusquam circa meatus hærens. Vinum dandum est aquosum, & aspectu, & facultate. Oportet autem circa primũ primæ exacerbationis febrilis insultum, aliquando horum aliquos nutrire, in quibus corporis intemperies ad caliditatem ac siccitatem emota, febres accendit. Qui uero ex glandularũ inflammationibus febriunt, ne interrogant quidem medicum quid facere oporteat. Verũ ulceris ex quo inflammatio oborta est, prouidentia habita, circa exacerbationis declinationem lauantur. Conuenit autem ipsos prohibere à uino, donec inflammatio fuerit soluta, & tenuiore uictu uti.

Febrib. diarijs qui facile corripiantur

B

Putredinosarum febrium cognitio. CAP. XVII.

PVtredinosarum febrium cognitio contingit ex eo quòd nulla externa lacessens causa præcessit. Sed & quòd à rigore incœpit, neq; ardore, neque frigore uehementi prægresso, proprium & hoc ipsum est febrium putridarum: quemadmodum etiam pulsus compressio. Sic autem nominãt, quum incipiente exacerbatione satis paruos, ac ipsos inequales habent pulsus.

Febris putridæ notæ

Pulsus compressio

Hoc

A Hoc enim præcipuè talium febrium proprium est. Quin & maxima putridarum febrium nota est caliditatis qualitas. Fumosa enim est, ut tactũ perrodat. Proprium item maxime harum febrium est, urinarũ cruditas, & languida concoctio. Magna uero & memorabilis nota cõcoctionis, in primis urinis, nunquam in talibus febribus apparet.

Putredinosarum febrium c atio. CAP. XVIII.

Si uires robustæ fuerint, febricitanti ex putrida febre statim uena secanda est, si absit cruditas uentris. Verum uiribus debilibus, aut ætate impediente, uenam non secabis. Post sanguinis autem euacuationem, putrefacta expurgare oportet, per urinas, uentrem, & sudores. Si uero sua sponte aliquã do impetum ad os uentris fecerint, etiam per uomitus: alioqui præter naturam irritare non oportet. Eligendæ uero sunt materiæ, quæ citra hoc ut calfaciant ac siccent, relatas euacuationes efficere possunt, uelut est ptisanæ succus, aqua mulsa, acetum mulsum, fauorum cremor coctus, & apij radix. Quum autem aluus non subit, aquam mulsam cum oleo per clysterem infunde. At totum corpus rarefacere non conuenit, ante euacuationem. facta autem euacuatione, rarefacere licet aliquo tepidam habente caliditatem, quale est chamæmelinum In hoc tempore etiam uinum aquosum potũ omnes excretiones mouet. Et balneum temperatum ex aqua dulci. Cæterũ ubi magnitudo febris resistit, neq; uino, neq; balneo utendum est, neq; unctionibus rarefacientibus: sed frigida aqua in his febribus commode bibitur, si non quid impediat etiam hanc. Si igitur facultates uirium robustæ fuerint omnes, & febris ardentissima, & concoctionis signa manifesta, frigida confidenter danda est. Si uero etiam carnosus fuerit, & constitutio aëris calida ac sicca, & in solium aquæ frigidæ ipsum immiseris, non lædetur. Moderata uero si est febris, & uires robustæ, unà cum concoctionis signis, talibus balnea prosunt, & uini potus, & rarefacientia ungenta.

Febris putridæ curatio

Frigida quando danda

B

Tertianarum cognitio. CAP. XIX.

Febris tertiana quę ex flaua bile mota generatur, statim ab initio rigorem non exiguum inducit, quì à quartanario rigore differt, eo quod pungi ac uulnerari corpus uideatur. In quartanis autem insultus uehementem perfrigerationem habet. Verum quotidianas febres neq; præcedit rigor, sed perfrigerantur solum. Est autem & in tertianis ordo pulsuum exactus. Infert autem sitim, circa uigorem, uehementem, & hominem perurit, & paulò post in uigore consistit. & calor undiquaq; æqualiter extentus est. Si uero manũ adhibeas, iuxta primum occursum caliditas multa & acris occurrit, quæ uelut cum uapore quodam effertur. Vincitur tamẽ paulò post sub manu eius qui perseuerat. Vbi uero bibit, statim sanè copia calidi uaporis per cutem exurgit nuncians sudores. Vomitus autem bilis comparet, aut uenter deorsum erumpit, & biliosa mingunt. Post hæc ad febris quietem desinit, ubi exacerbationis tempus non plurium quàm duodecim horarum fecit. Eam igitur quę intra duodecim horarum tempus quiescit, tertianam exquisitam nominamus. Quæ uero diuturniorem exacerbationem habet, eam simpliciter tertianã uocamus. Quæ autem longissimè extentam exacerbationem habet, exiguum uero interuallum, eam rursus uocamus tertianam extentã.

Rigoris tertianæ ac quartanæ differentia

Tertiana exquisita

Tertiana extenta

Tertianarum curatio. CAP. XX.

Tertianam exquisitam uelut à flaua bile orientem, humectare ac frigefacere oportet, & quod in uentre confluit, per uomitus, ac deorsum euacuare, sed & per urinas ac sudores uia aperta deducere. Venter itaq; mollibus infusis moueatur. Vrinæ uero, apio & anetho in potionibus maceratis promoueantur. Et si concoctionis signa appareant, confidenter iam etiã absinthium dato. Balnea ex aqua calida potabili conueniunt, & neq; nitrũ, neq; sal, neq; sinapi, in balneis aspergatur: sed oleo quàm maxime calido affuso circumcirca, in solium immittito. Eos autem qui balnea amant etiamsi bis lauetis, nihil deliqueris. Si uero etiam concoctionis morbi signa appareant,

Absinthij potus

A

reant, non peccaris si sæpe laueris. Vinum prius quàm concoquatur morbus penitus prohibendum est. Vbi uero concoqui incœpit, tenue & aquosum ac modicum prima die dato: & cibi qui humectant ac frigefaciunt commodi sunt. Abstinendum est à melle, sinapi, salsamento, & natura calidis. Atq; hæc quidem ueterum curatio erat, & nihil miri est, quum illius temporis homines in exercitijs, & alimenti inopia degerent. Nunc uero ordine peruerso, bilis ut plurimum pituitæ ammixta reperitur. Proinde plurimæ tertianæ, aut citra rigorem fiunt, aut ualdè paruus rigor ipsis cõtingit. Itaque etiam curationis ratio euariat. Neq; enim balneum, neq; plenior ac solidior aliquis cibus, ante concoctionem tertianarijs conuenit, præterquàm panis micæ, & oua, & similia.

Veterum curatio à posteriore cur differat

Tertianarum spuriarum curatio. CAP. XXI.

Tertianæ spuriæ

LAuare in tertianis spurijs in principijs commodum non est, sed quando iam signa cõcoctionis apparent: neq; quotidie nutrire, sed satis est alternis diebus. Quies autem & calefactio partium circa præcordium ipsis conducit, & sorbitiones concoctu faciles, & infusa ad infernam aluum non ualdè mollia. Etsi sanguinis detractione opus sit, neq; hæc relinquenda est. Totus autem uictus status, non in totum perfrigerans ac humectans sit, sed etiam de modo qui magis siccet insuper assumat. Maxime autem conuenerit ipsis ptisanæ succus, pipere insperso, aut hyssopo, aut origano, aut nardi spica. Sed & aquæ mulsæ piper inijcito, & coctam bibendam dato, itemq; alia quæ urinam cient, exceptis uehemẽter calefacientibus ac siccantibus. Absinthium autem maxime post septimum diem dandum est. Quin & acetum mulsum multis in potu profuit, & aliquod ex his quę moderate aluum ducunt. At uomitus à cibis acceptis commodissimus est his qui in hac febre diutiorem moram trahunt.

Quartanarum cognitio CAP. XXII.

B

Quartanæ notæ

QVartana insultum facit cum multa perfrigeratione, utpote quæ ex frigido humore, atra bile originem habet. Sed & calorem & ardorem febrilem non habet, uelut tertiana. Imò neq; bilis uomitus consequitur. Ad hæc si tenues, & albæ, & aquosæ urinæ fuerint, quartana febris fuerit. præcipuum uero quartanæ signum est pulsus paruus & rarus. Sed & autumno plerunque initium habent, ad erroneas febres succedentes. & quandoq; ad formam per quartam diem maxime reuertentem consistit: quandoq; etiam per plures dies iuxta circuitus quosdam exacerbatur.

Quartanarum curatio. CAP. XXIII.

EX quartana ægrotantes leniter tractare oportet, neq; medicamentũ aliquod forte adhibendo, neq; euacuationem, si non sanguis ualdè redundare appareat, quando sanè uenam secare conuenit. Victum autem flatus exortem & bonum exhibere, & uentrem per consueta mollire. Si uero hęc nihil efficiant, infusis per clysterem uti, mollibus primum, postea uero acribus. A' porcinis carnibus ægri prohibeantur, & ab omnibus quæ uiscosa sunt, & tardè transeunt, & à frigefacientibus ac humectantibus edulijs omnibus. Vino utendum est tenui & albo, ac moderate calido: salsamento itẽ & sinapi. Et per dies aliquot, medicamentum ex tribus piperis generibus constans sumere oportet, & diospoliticum appellatum. Sed & si piper solũ ex aqua quotidie accipiant, rectè fecerint. Quum autem in morbi uigore æger fuerit, tunc uictu tenuissimo utendum est, statimq; iubendum ut diu conquiescat, & uisceribus prospiciendum per mollientia & laxantia. Consequenter autem urinam cientibus utendum, & si concoctionis signa apparuerint, tunc confidendum, & atros humores euacuantibus utendum, non semel solum, sed sæpe. post uehementem autem purgationem, etiam ex uiperis medicamentum dato, & alia quæ ad tales febres laudantur, inter quæ est & illud familiare nobis, & omnium laudatissimum, quod succum Cyrenaicum recipit.

Medicamẽtum ex tribus piperis generibus.

Diospoliticũ

Medicamẽtum ex succo Cyrenaico

Quoti-

A

Quotidianæ cognitio. CAP. XXIIII.

Quotidiana febris

QVotidiana nequaquàm cum rigore irruit prima die, sed progressu temporis perfrigeratio magis quàm rigor fit. ægrè autem calescit, & diuturnum incrementum habet. Non tamen ægrotos perurit, neq; multam ac densam respirationem facit, neq; efflare, aut frigidam bibere cogit. Fiunt & pituitosi uomitus, & quæ per uentrem euacuantur, frigidiora, crudiora, & aquosiora, in his febribus comperies. Et circa primos dies minime exudãt, neq; ad febris quietem deueniunt. Sed & ex pallido albidus est his color. Vrinæ uero tenues & albæ, aut crassæ, & turbatæ ac rubræ.

Quotidianæ curatio. CAP. XXV.

QVotidianam curantes primis diebus aceto mulso utimur, & his quæ utinam bene promouere possunt. Et uniuersa uictus ratio incidendi uim habeat. Verum circa rigorem uentri prospicere oportet, & præsertim osculo ipsius. Deinde etiam uomere iubere, à radiculis ac cibis acceptis, & pituitam subducentibus uti multum ac diu donec sedetur.

De Hepialo febre, & rigore calescere nequeunte. CAP. XXVI.

Pituita uitrea

VItrea pituita omnium pituitatum frigidissima, si imputrefacta manẽs, in toto corpore redundarit, rigorem calescere nequeuntem absq; febre efficit. Nam in febribus quæ ex humoribus accenduntur, putrefactio quàm maxime febrilem calorem accendit. Si uero putrescat, atque hoc per totam ipsam contingat, quod rarum est, propter immodicam frigiditatem, quotidianæ febris causa fit. Quum autem ex dimidio computruerit, non per totã essentiam suam æqualiter, sed partibus quibusdam putrescentibus, quibusdam imputrefactis manentibus, hepialom febrem efficit, in qua rigẽt simul ac febriunt. Et imputrefactæ quidem humoris partes, per totas uenas dispersæ, aut etiam per reliquum corpus, rigorem faciunt: putrefactæ uero febrẽ accendunt, dicitur autem hepialos translatione à uoce ἤπιος & ἁλὸς, id est à miti, & mari facta: quum mite quidem appareat mare, horrendum autẽ sit ubi perturbatum est: aut ab eo quod ἠπίως, id est leniter, ἀλεαίνει hoc est calefacit. Proinde & hæc febris quum quotidianarum generis sit, nimirum à pituita oborta, illarum curationi subijcitur secundum speciem, prætetquàm quod tantò calidioribus ac magis secantibus auxilijs, quàm prædicta quotidiana opus habet, quantò hæc pituita frigidior quàm illa existit. At rigor ille qui calescere nequit, adhuc magis calefacientibus opus habet quàm hepialos febris. Medicamentum itaq; ex tribus piperis generibus, & quod ex calamintha constat, & quod ex succo cyrenaico paratur, his conueniũt. Et quæ ex castorio ac similibus parantur auxilia. Latiorem autem horũ curationẽ reperies capite XLVI. de immodico rigore ac perfrigeratione. Porrò lipyriæ & fumosæ, & quæcunq; præter relatas, febres dicuntur, quum ex relatarum genere sint, curationes quoq; de illis dictas ac dicendas exigunt.

Hepialos febris

B

Hepialos unde dicta

Rigor non calescens

Lipyriæ & fumosæ febres

De continuis febribus. CAP. XXVII.

FEbres continuæ eiusdem generis sunt cum singulis intermittentibus: cũ tertiana exquisita, ardens: cum quotidiana, ea quæ quotidie exacerbatur, uerum ad febris quietẽ non desinit. Sic cum quartana, ea quæ quarto quoq; die exacerbatur. Nam febris ardens exquisita, omnia alia tertianæ exquisitæ signa seruans, in hoc solo ab ea differt, quod cum rigore non irruit, neq; ad febris quietem desinit. Et ea quæ quotidie exacerbatur, omnes notas similiter uelut exquisitæ quotidianæ habet, uerum eo quod non desinit in febris quietem, ab eiusdem generis quotidiana differt. Eodem modo etiam ea quæ quarto quoq; die exacerbatur, sed ad febris quietem non desinit, eiusdem generis est cum quartana. Continua igitur febris est quæ ad febris quietem, prius quàm perfectè soluatur, non desinit. Quum ueto nec declinatio aliqua apparuerit, generis quidem ardentium & hæc febris est, uerum acumine ab ipsis differt.

Continua febris quæ sit

Continen-

Continentium febrium cognitio ac curatio. CAP. XXVIII.

Continens febris synochos Continentium (synochos græci uocant) febrium generatio ex sanguine est, quandoque feruefacto solum, quandoque etiam putrefacto, ob obturationem. Quapropter exacerbatio ipsis ad finem usque una est. Signa uero sunt, pulsus maximi & uehementes, & ueloces ac densi, & æquales, nō mordaces. Vrinæ à naturalibus non ita ualde deficientes. Curatio est, per uenę sectionem, usque ad animi deliquium. Si uero talibus uena secta non fuerit, febricitantes ad extremum periculum deueniunt. Quod si quid prohibeat, ut euacuatio per uenam sectam fieri non possit, alijs auxilijs obturatione liberantibus uti oportet, quæ & multitudinē sanguinis euacuant, & febriū feruorem mitigant. Quum uero in ipsis concoctionis humorum notas uideris, & neque in principali parte inflāmatio aliqua, aut tumor laxus aut durus fuerit, neque pars aliqua frigida, ut ad ipsam læsio irruat ac decumbat, confidenter frigidam dato, & maxime si æger frigidæ potor fuerit. *Frigida quando danda*

Ardentium febrium cognitio. CAP. XXIX.

Febris ardens Febribus ardentibus hæc symptomata accedunt, lingua sicca, aspera ac nigra. Morsus uentriculi, egestiones alui pallidæ, sitis uehemens, uigiliæ, quandoque uero etiam delyrium.

Ardentium febrium curatio. CAP. XXX.

Ex duobus alterum fieri necesse est, si ardens febris perfectè solui debet. Aut ut biliosi humores excernantur, aut extinguantur. Excernūtur igitur per sudores, aut uomitus, aut infernam aluum. Extinguuntur per frigidæ potum, per quem nos omnes ardentes febres curauimus. Verum hac febre affectos, neque ex aqua solum, neque ex aqua mulsa sola, uictum instituere conuenit. Sed aqua mulsa aquosa cocta ipsis danda est. Oportet enim ita ægrotantes ex solis potionibus uictum habere. Balneum uero his solis cōuenit, qui citra inflammationis aut erysipelatis tumorem febri ardente laborant. Si uero etiam concoctionis signa habuerint, multò magis ipsis conducet. Qui uero ob salsum humorem, ardentem febrem habent, eis non conducit. Hos uero etiam ptisanæ succo nutrire conuenit. *Frigidæ potus*

Febrium ex erysipelatis affectione cognitio ac curatio. CAP. XXXI.

Febres ex erysipelatis affectione Febres ex erysipelatis hoc est ignis sacri, circa uiscera affectione, cognoscuntur ex loci & feruore excellenti, & dolore uehementi. Insuper & siti, ac ardore immodico. Et in summa, ex signis acerrimæ bilis cum pauco sanguine putrescētis. Curare uero oportet hoc modo. Abstinere quidem à balneo in totum oportet. Aqua uero frigida circa uigorem morbi utendum est maximè contentiosa, hoc est frigidissima. Verum in principio, utendum ea nō est, sed forinsecus imponenda frigefacientia. Et si nihil effecerint, etiam intra corpus ut ea æger sumat cogendus est. Maxime autē ipsis conueniunt lactucæ, & quæ lus parem uim habent. Forinsecus autē & ipsæ lactucæ succus commodus est, imò etiam semperuiui, & quæcunque alia frigefaciunt. Optimo uero quàm maxime utimur tali. Liquorem alicuius frigefacientis expressum in mortarium inijcimus, cum portulaca. Deinde contusa exprimimus. Vsus uero tempore, ammixta modica polenta subigimus, atque ita in uas indita, in frigidā aqua immisso uase perfrigeramus. Et postea linteū duplicatū in his imbutū forinsecus præcordijs imponimus, nō diu immorari sinentes, sed aliud frigidū imponentes. Miscemus aliquando & oleū omphacinū.

Hecticarum febrium cognitio. CAP. XXXII.

Hectica febris Hectica febris nō in humoribus & spiritu solo consistit, sed solidis etiam partibus. Verum doloris exors est, & febrientes neque febrire omnino se putant. Neque enim calorem sentiunt, omnibus partibus æqualiter in ipsis excalfactis. Duplex autem febrium hecticarum species est. Quædam enim ex ardentibus febribus plerunque fiunt, aut usque adeò extentis, ut temporis progressu humorem corporis cordis consumpserint: aut etiam manēte adhuc multo. Illæ itaque non solum hecticæ sunt, sed iam etiam marcorosæ.

A Quę uero manente adhuc humiditate fiunt, hæ cordis corpus occupantes, hinc incenduntur: quemadmodum lucernarum flamma ex funiculo, manēte adhuc in lucernis oleo. Et hæc quidem una est ipsarum generatio. Altera uero, quum ab initio statim irruerint, primam generationem diarijs similē sortitæ, ob tristitiam, & iram, & lassitudinem ampliorem simul cum ardore factam. Has igitur non difficile est curare. Eas uero quæ ad marcorem deueniunt, sanare impossibile est. Et sanè quæ in marcorem incidit Hectica febris, facillimè cognosci potest. Oculos enim immodice cauos conspicies, & gramas in ipsis reperies siccas, & squallidam quandam affectionem. Porrò autem & coloris ipsorum uitalis flos, & frons sicca est ac circumtensa. Et plerunq; palpebris nictant, quemadmodum ad somnū procliues. Est autem hæc affectio non somnus, sed uigilandi impotentia. Et tempora collapsa sunt. Et quid nam aliud quàm ossa & cutis solum existunt? Etsi denudatas inspexeris partes circa uentrem, neq; aliquod intestinum, neq; uiscus aliquod saluum esse putes, & præcordium uehementer retractum est, & cutis ipsis extremè arida est. Pulsus gracilis est, & densus, ac durus. Caliditas autem circa primum occursum languida. Verum paulò post uim acrem ac erosiuam declarat. Quandiu igitur aliquid humiditatis seruatur, hectica febris solum est. Vbi uero ad id periculi deuenerit, ut non amplius quicquā eiusmodi humiditatis supersit, exquisitus iam marcor consistit. *Marcor ex febre hectica consequens*

Hecticarum febrium curatio. CAP. XXXIII.

Hectica febre laborantes statim ab initio alimento opus habent, propter humorum mordacitatem. Maxima autem medela est uictus humectās. Oportet itaq; quàm maxime per ptisanæ succum, & per alicæ sorbitiones nutrire, panē q; insuper exhibito, ægrum moderato frigidæ aquæ potu curare, ubi neq; inflammatio aliqua ipsi aderit, neq; humorum putrefactio. Et si magnam in delasionem fore conieceris, frigidæ quidem exhibitionem inhibere oportet, uerum auxilijs frigefactorijs quæ extrinsecus imponuntur uti. Sed & balnea ita affectis per omne tempus commoda sunt. *Mordacitas humorum in hecticis*

B

De semitertianis. CAP. XXXIIII.

QVum tertiana quidem cum rigore irruat, quotidiana uero sine rigore, febris quæ ex utrisq; mixta est, horrorem inducit, qui rigore quidem minor res est, maior autem perfrigeratione, & sanè dum temperantur extremitates consistit. Itaq; neq; absonum nomen huic febri indiderunt, qui hemitritæum hoc est semitertianam appellarūt. Duplex autem est generationis ipsius modus, aut duabus exacerbationibus uno tempore coincidentibus, aut ambabus statim ab initio inter se permixtis. Quum itaque tertiana prædominatur, horridior febris fit, & circa accessionem etiam aliquid rigoris assumit. Statim autem talis & calidior est, & ardentior, & quendam bilis uomitum, aut alui egestionem, aut sudorem inducit. Vbi uero altera pituitosior præualet, extremarum partium frigiditates prædominantur, pauci autem fiunt horrores, non tamen siticulosi sunt, neq; æstuosi. At si æquales magnitudine fuerint, tertiana intermittens, & quotidiana continua, exacerbationis quidem insultus cum horrore fit, & quum pituitosa prædominatur febris, contractiones fiunt ac horrores. Si uero calidior præualuerit, aceruatim exæstuant. Ac talis quidem est semitertiana exquisita, ex æqualiter forti duarum febrium mixtura oriens, tertiana intermittente, & quotidiana continua. Quæ uero exquisita non est, aut biliosum humorem uberiorē habet, aut pituitosum, quæ sanè etiam magis facile curari potest, quū paucior humor promptè superari possit, tum ab uberioris prædominio, tū ab artis auxilio. Si enim pituita præualuerit, auxilijs de quotidiana relatis maxime utimur. Si uero bilis flaua, his quæ de tertiana dicta sunt, ita ut in uniuersum aduersus id quod urget instemus, & tamen neque alterum omnino negligamus. *Semitertiana* *Hemitritæus* *Febris mixta mixtam curationē requirit*

De popularibus morbis. Cap. XXXV. A

Populares morbi POpulares & communes morbos nominant eos qui in multos simul inci
dunt: quorum ueluti generatio, ita etiam causa communis est. Commu-
nia igitur edulia praua, tales morbos pariunt. Communis item aquæ uitia-
tæ potus, & labores immodici, & labores consueti intermissi, indigentiæq;
ac repletiones, ubi uel fames grassata est, uel largior rerũ prouẽtus cõtigit.
Sed & locorũ naturæ cõmunes morbos sæpe inuexerũt, quãdoq; palustriũ,
quãdoq; barathrũ uicinũ habentiũ, quod exhalationẽ uenenosam ac prauã
remittit. Atq; hæc quidem frequenter contingere solent. Verum ambiens
nos aër mutat temperamenta, siue immoderate calidior, siue frigidior, aut
siccior, aut humidior fiat. Nam reliquis causis neq; omnes simul obnoxij su
Aëris ambientis nos necessitas mus, neq; per totum diem occursamus. Aër uero nos ambiens, & extrinse-
cus omnibus circumfusus est, & per inspirationem attrahitur. Necesse autẽ
est unà cum ipsius secundum temperamentũ alterationibus, etiam animan-
tium corpora coaffici. Qui igitur hæc nouit, non solum futuros morbos ex
unaquaq; constitutione prænoscet, sed etiam fieri prohibebit, ad immode-
rata ambientis aëris temperamenta, contrariam uictus rationẽ excogitans.
Quæcunq; igitur corpora propinqua ad hoc sunt, ut morbum aliquem inci
dant propter propriam intemperaturam, ea à simili ambientis nos aëris tẽ-
peratura læduntur. Quæ uero contrario modo temperata sunt ad aërem, su
pra hoc quod nihil iniuriæ accipiunt, etiam meliora fiunt, temperamẽti im
modestiam contraria immodestia castiganre. Et qui hoc nouit, sanitatẽ con
seruabit, contraria corporibus adhibens, quandoq; refrigerationibus utẽs,
Aquæ inductiones si ita opus fuerit, quãdoq; calefactorijs, ita ut aquæ inductionibus, & ocio,
& ciborum inopia, & potus redundantia refrigeret: tegumentis autem &
laboribus, & cibo uberiore, & potu parciore calefaciat. Sed & rogo ingen
ti extructo ac incenso, aërem ad caliditatem ac siccitatem multum transmu
Acron Agrigentinus tare quis poterit, si antea humidus ac frigidus fuerit, quemadmodum Acro B
nem Agrigentinum fecisse dicunt.

De peste, ex Rufi scriptis. CAP. XXXVI.

Pestis horrendissima OMnia horrendissima in peste fieri possunt, & nihil occultatum manet,
quemadmodum in singulis morbis. Nam & delyria fieri possunt, & bi
lis uomitus, & præcordiorum distentiones, dolores, sudores multi, extrema
rum partium frigiditates, profluuia alui biliosa, tenuia, flatuosa. Vrinæ a-
quosæ, tenues, biliosæ, nigræ, malas subsidentias habẽtes, & ea quæ in me-
dio innatant pessima, sanguinis de naribus stillationes, ardores in thorace,
linguæ torrefactæ, siticulosi sunt, anxij, uigilantes, conuulsiones uiolentæ,
& alia multa praua. Si uero solerti ingenio quis præstet, futuram pestẽ præ-
Pestis prænotio noscet, attendens & temporibus prauis, & studijs hominum ad sanitatem
non conducentibus, & alijs animalibus prius pereuntibus. Quum itaque
hæc consideraueris, insuper & illud tecum expende, quale sit præsens tem-
pus, qualis item uniuersus annus. Hinc enim comperies quomodo ui-
ctus rationem optime constituas. Verbi causa, debebat esse si recte res fie-
ret, tempus siccum, nunc uero humidũ factum est, necesse igitur est per ui-
ctum resiccare, quo excedens humiditas consumatur. Habenda autem est
& alui cura. Quibus uero supernus uenter pituitam habet, uomitibus eua-
cuare oportet. Quibus autẽ sanguis excedit, uenam secare. Commoda est
etiam per urinas purgatio, & quæcunq; aliæ, & quæ fit per totum corpus.
Si uero etiam ardore æstuet æger, & flamma ad pectus usq; ascendat, nõ a-
lienum fuerit, & frigefactoria pectori adhibere, & frigidæ potum exhibe-
Frigidæ potus aceruatus re, non paulatim, plus enim exurit, sed aceruatim, ut flammam extinguat.
Si autem ardor internas partes occuparit, extremæ uero partes & cutis su-
perficies frigidæ fuerint, & præcordium distendatur, & uentriculus colli-
quamẽta partim sursum, partim deorsum mittat, & uigiliæ affuerint, & de-
lyrium, & linguæ asperitates, his calefactorijs opus est, quo caliditas ad su-
perficiem

A perficiem corporis trahatur, & si quo alio modo fieri possit, ut caliditas ex profundo ad externas partes educatur. Vtendum & hac quæ præsumitur potione. Aloës partes II. ammoniaci thymiamatis partes II. myrrhæ partẽ I. Hæc trita in uino odorato fabæ magnitudine dentur, quotidie uidelicet. Haud scio inquit Rufus, an sit quis qui ex hoc potu non à peste immunis ac superior euaserit. Hęc quidem Rufus. Verum Galenus ad pestilentes putredines, armeniacũ bolum in potu, & similiter ex uiperis theriacam, magnopere prodesse ait. profectò in peste quæ Romæ grassata est inquit, omnes mortui sunt, quibus neutrum horum profuit.

Potio quæ præseruat à peste

Bolus armeniacus

De his qui ob crudorum humorum copiam syncopen incidunt. CAP. XXXVII.

QVidam febricitare incipiunt, ex magna crudorum humorũ copia collecta, unà cum hoc quòd os uentriculi male affectum est. His inflatum est præcordium, & totum corpus maiorem naturali molem habet. Et color alijs ad albidiorem & aquosiorem speciem mutatur, alijs ad nigriorem ac liuidiorem. Nulli talium sanguinis detractio citra maximum detrimentum fieri solet, & quidẽ cum opus habeant euacuatione. Imò neq; uenæ sectionem, neq; purgationem ferunt, ut qui etiam sine his derepente animo concidant. Curare igitur ipsos oportet per frictionẽ. Incipere uero statim ab initio morbi conuenit, primum à cruribus supernè deorsum, per lintea moderatè asperiora. Deinde etiam totæ manus confricentur supernè deorsum. Postquàm autem artus satis calidi apparent, & timor fuerit lassitudinis sensus, oleo laxante utendum est: abstinendum autẽ ab adstringentibus. Hyemis uero tempore etiam discussorio utendum est, quale est oleum sicyoniũ ac chamæmelinum. Defrictis autem iam plurimum artubus, oleum quidẽ detergeatur. uerùm ad spinam totam progressus fiat, & hæc similiter fricetur. deinde rursus ad crura transgressio fiat, & ex his rursus ad manus, & postea ad spinam, ita ut per totum diem id agamus. Commodissima his est a-
B qua mulsa, in qua coctum est hyssopum. Et neq; cibos ipsis, neq; sorbitionem, neq; aquam dare oportet, neq; permittere ut omnino largius bibant, sed sola aqua mulsa contenti sint per primos tres dies, ita ut per successionẽ fricemus, & illud solum tempus remittamus, in quo somnus ipsos occuparit. Siquidem igitur pulsus ipsis ualdè paruus, & fortiter inæqualis est, extremum periculum imminet, & facere oportet ea quę dicta sunt, nihil aliud curiosius conando. Si uero firmitatem moderate habeat, & nõ probè prodeant alui excrementa, infusum per clysterem confidenter adhibe. Si uero superfluitatum impetus amplius quàm oportet in uentrem fiat, primũ quidem amplius aquam mulsam coquito. minus enim subducit. Si uero adhuc amplius aluus subeat, neq; sic sistere oportet, uerum pro aqua mulsa ptisanę succum dare. At si adhuc ferri perseueret, sorbitione ex alica nutrire. Quòd si debilitatem ex pulsu didicerimus, & uires collapsas, panem ex uino diluto dare conuenit, neq; uentre, neq; hepate inflammato. Nam si inflammatæ fuerint hæ partes, corporę crudis humoribus repleto, desperatus est æger. Si uero quandoq; perceperis satis crassos esse humores, acetũ mulsum semper pro aqua mulsa dato, si quidem æstas est, & aquæ frigidæ potor sit æger, frigidum acetum mulsum huic dato: hyeme uero calidum. Aduersissima sunt his balnea, & aër nos ambiens multus calidus, aut frigidus. Hæc igitur facienda sunt à prima die, ubi ipse inceperis curationẽ. Si uero ubi iam animo concidunt, uocatus fueris, partibus his de quibus dixi nõ inflammatis, panem quidem dato ex uino non multum, statim autem ad frictionem procedito, & iuxta relatum modum utitor: porro in quibus propter flauam bilem, quæ os uentris læsit, syncope contingit, frigidum potum assumere oportet, uinumq; tenue, fuluum ac uetus exhibere.

Syncope ex crudis humoribus

Aqua mulsa amplius cocta

De his qui ob tenues humores syncopen incidunt. CAP. XXXVIII.

QVi uero ob tenues humores animo concidunt, cõtrario prædictis modo curandi sunt. Nam & signa notoria contraria his cõperies. Nutrire

Syncope ex tenuibus humoribus

A

igitur paulatim assiduè oportet. Sed & hos incurabiliter affectos esse putandum est, quum hepar ipsorum aut uenter inflammationẽ habuerit, languentibus iam uiribus. In his affectionibus letalis cõstitutio celeriter fit in facie. Et sanè nutrire ipsos necessarium est. Similiter etiam superficiem corporis densare, quemadmodum superiorum rarefacere. Parandus quoq; aër frigidus, & adstringentibus inungendi sunt. Cibi dandi sunt nõ ualde diffluentes. Dandus itaq; panis est, & sorbitiones ex alica, & fructus austeri qui ægrè corrumpuntur, tum per se, tum cum pane. Commodum his est uinum aquosum, quod statim ab initio post cibos assumatur.

De alijs occasionibus, ob quas syncopæ fiunt. CAP. XXXIX.

Syncope ex uarijs occasionibus

Cordis affecti pernicies

SVnt & aliæ occasiones ob quas homines animo concidunt, quatuor numero. dolor uehemens, uigiliæ, euacuatio immodica, & in delyrantibus aliquando ipse motus. His quintam si uoles adde, principiorum intemperiem. Celerrima igitur pernicies instat corde affecto, consequenter autem cerebro, parum uero hepate.

De dolore. CAP. XL.

Dolorum species

DOlor igitur stupefactorius ob frigidam fit affectionem: pulsatorius aũt proprius est magnæ inflãmationis. Si uero uelut ab aculeo infixo, aut uelut à terebello forari se quis putet, crassi intestini hæc doloris species est. Verũ in rhenibus cum grauitate quadam dolor est, in uno loco firmatus, circa lumbum dextrum aut sinistrum, retrorsum magis. In colo uero dolor ex loco ad locum transit. Punctorius consistit circa pelliculas. Persultans dolor non solum uehementissimis alterius tantum capitis partis doloribus contingit, sed etiam antiquis capitis doloribus, cephalęis appellatis. Est autem dolor persultans, quum uelut à radice primario affectæ partis initiũ sumens, cito in circunsitas fertur. Distendentes utrinq; dolores, neruorum sunt, quando & dolent, & ad ambas extremitates distenduntur. Minime enim ad latitudinem distentos dolores nerui ipsi habent. B Tensiuos autẽ & stupefactorios dolores inducit membrana sub cute extenta. Quę uero inter carnem sunt membranæ, dolores uelut diuellentes faciunt. Sunt enim multæ, & inæqualiter insitæ, & ipsam carnem ambientes. At circunsitarũ ossibus membranarum dolores profundi sunt, & ipsorum ossium dolentiũ imaginationem inducunt. Quum igitur nulla externa doloris causa apparuerit, prægressum uictum considera. Aut enim fuerit præter consuetudinem ociosior, aut cibis pluribus homo usus est, aut multum nutrientibus, aut consueta excretio suppressa est. Si enim quicquam horũ, aut etiam omnia apparuerint, humorum multitudo causa est doloris, & quàm celerrimè hominem euacuato. Sic enim cum omni securitate tibi licebit his quæ fluxiones repellunt uti, in partibus dolore affectis. Si quidem igitur sanguinis multitudo fuerit quæ distendit, statim uena magna secanda est prope affectam partem. Vitiosis autem humoribus solis infestantibus, purgatio fiat. Ambobus autem concurrentibus, utrisq; euacuationibus utendum est, uena prius secta. Si uero his factis dolor remanet, manifestũ sanè est circa partem affectam impactum esse id quod molestat. Manifesta est etiam curatio, per discussoria futura medicamenta. Eodem uero modo & dolores ob flatuosum spiritum obortos curabimus, placantes ipsos magis attenuantibus edulijs, infusisq; per clysterem, cataplasmatis, irrigationibus ac fomentis, rarefacientes corpus illum continens. Si uero tumor grauans aut premẽs dolorem efficiat, tumor curandus est. Si ob mordacem humorẽ dolor fiat, aduersissima his sunt attenuantia ac calefacientia. Anethum igitur in oleo coctum, dolorem eximit, & somnum inducit, & uiride magis quàm siccum.

Venæ sectio ante purgationem

De colliquatione. CAP. XLI.

Colliquatio

QVum quid per uentrem excernitur, non à cibo aut potu accepto, sed ex humoribus ex toto corpore in ipsum confluentibus, quod simile quidem est bili, quæ assidue per uomitum rejcitur, ac per aluum secedit:

differt

A differt autẽ ab ipsa, fœtoris graueolentia, & quòd egestio fuluior apparet, & crassitudinẽ habet strigmentitiam, aliquando etiam oleosam, aut adiposam: syntexis idest colliquatio appellatur morbus. Nam recens compacta pinguedinis ac carnis essentia, à febri ardẽte resoluitur ac colliquatur. Diutius uero perseuerante malo, ex ipsis etiam solidis partibus aliquid colliquescit. In hac pessima febre frigidę potus remedio est, ex frigidissimo fonte petitæ. Talia uero esse oportet etiã cataplasmata, & epithemata frigefaciẽtia, tũ thoraci, tũ præcordijs imposita. perfrigerãtes quoq; cibi exhibendi sunt.

Syntexis.

De uigilijs in febribus. CAP. XLII.

SI uigiliæ nimiũ infestauerint, manus & crura deligari iubebimus, eo tempore quo ad somnum cõuerti solent, & uigilare. Tunc autem aperire & claudere palpebras cogimus, donec sufficienter fuerint fatigati. Deinde repentè soluimus ligamenta, & lucernam tollimus, & multam quietem esse iubemus. Quòd si fortiter incumbant uigilię, in exacerbationis remissione facies proluenda est papaueris nigri capitum decocto. Idem etiam olfaciendum est. Et papaueris albi corticem tostum, tritum, & mandragoræ radicẽ tritam, æquis portionibus, cum uino & rosaceo, in malagmatis formam redige, ac fronti impone. Serpillo item cum meliloto in passo cocto utere, & hoc in ipsis quoq; exacerbationibus. Aut trita papaueris capita pane excipientes, cum rosaceo aut cerato imponimus. Sed & cibus quodam modo curiosior sit, & sorbitionibus papaueris albi semen adijciatur, trium cochleariorum mensura. Olera uero parẽtur, papaueris nigri si affuerint, folijs adiectis uiridibus, quantum tribus digitis capi potest: sin minus, tria aut quatuor capita sicca simul incocta eximantur. Si uero neq; sic in somnum deferantur, papaueris succo, aut mandragoræ succo oblinantur. Sed & eclegma quod ad delingendum ex capitibus papaueris componitur, & maximè id quod ex sapa cõstat, si cochlearij unius aut dimidij mensura bibatur, B sæpe somnum conciliauit. In quibus autem caput non facile repletur, utendum est si uigilijs infestentur, in declinationibus tali suffumigio. folij, amomi, costi, zarnabo, singulorum unciam unam. carpobalsami drachmam unam. styracis, ammoniaci thymiamatis, bdellij scythici, radicis mandragoræ, succi papaueris, tantundem, suffito in lignis cupressinis.

Vigiliarum cura

Eclegma ex papaueris capitibus

Suffumigium somniferum

Zarnabo

Curatio somni grauioris. CAP. XLIII.

FAciem spongia posca lactei teporis imbuta detergere oportet, & extremas partes fortiter deligare. Odoramẽta adhibeantur incisoriam uim habentia. Et in exacerbationum remissionibus cucurbitæ dorso ac spinæ efficaciter affigantur. Perseuerante uero morbo, etiam sternutatoria in exacerbationum remissione adhibeantur. Sit autem & ciborum materia secandi ac diuidendi ui prædita, uelut in sanitatis præceptis diximus.

Somnus grauior

Curatio doloris capitis in febribus. CAP. XLIIII.

CApitis dolore in febribus uexante, post conuenientem superflui uacuationem, circa exacerbationum declinationes, unctione capitis utendũ est, primum ex oleo communi acerbo ac crudis adhuc oliuis expresso, aut rosaceo, ammixto ad ipsum etiam aceto paucissimo, æstate quidem, & in febre ardente, frigido: hyeme uero, & in non ardente febre, calido aut tepido. Coquatur aliquando in oleo etiam serpilli ac polygoni succus. In æstate etiam calices papaueris, aut ipsum papauer, quemadmodum rursus hyeme, peucedani parum. Perseuerante dolore in fronte, si sinciput nudum fuerit, cataplasma huic adhibendum est ex polentæ polline, & polygono. aut ex pane similiter ac rosis, aut modica myrto, aut serpillo. Quosdam etiam pulegium ammixtum magis leuauit. In quibusdam uero etiam quum feruoris sensus esset, psyllium polentæ ammixtum profuit aut etiam per se in cocturam aduisci formam redactum, & assiduè permutatum. Et coriandrum similiter cum polenta. Sed & aloë cum aceto illinitur. Et myrrha, & ammoniacum similiter & crocomagma. At pulsatiles dolores ruta & menta cũ pane

Capitis dolor in febribus

 distilat,

difflat, adstillato etiam rosaceo. Si uero ad relata dolor non cesserit, primũ caput ad cutẽ attõdere oportet. deinde pinguioribus irrigationib. per totũ ipsum utendum est. postea cucurbitæ affigendæ sunt occipitio, & extremę partes deligandæ ac confricandæ. *Hirudinum usus* Commodæ sunt & hirudines appositæ. Cæterum si defluxio aliqua, aut grauedo illapsa, capitis dolorem accenderit, his quæ ad hæc proprio loco describentur auxilijs utendum est. Si uero à locis circa stomachum uapores exhalantes caput læserint, etiam his prospiciendum est, quemadmodum ex ordine subscriptum habetur. A

De stomachi affectionum curatione. CAP. XLV.

Stomachi naria affectiones SI imbecillis fuerit stomachus, cataplasmatis corroborare potentibus utemur. qualia sunt quæ palmulis constant, uino, polenta, croco, mastiche, & aloë. Irrigationes autem adhibebimus ex absinthio, & oleo melino, mastichino, nardino, & uino. Et si stomachus exuratur, ammiscenda sunt etiã frigefacientia aliqua, ueluti est cucurbitæ succus, & lactucæ, & portulacæ, & solani, & intybi, & uuæ acerbę. Si uero aliquid inflammati circa uisceta appareat, etiam ex laxatorijs quędam ammiscenda sunt: ad irrigationes quidem, oleum chamæmelinum ac cyprinum: & de adipe, gallinaceus ac anserinus. Bdellium item aut ammoniacum, aut similia. Ad cataplasmata uero, apij ac fœni græci semen, althææ ac chamæmeli flos. Et in summa, cõpositã hæc facultatẽ habeant, ex laxatoria tenuiũ partiũ, & amara, ac adstringẽte.

De immodicis perfrigerationibus ac rigoribus in febre. CAP. XLVI.

Rigor indicatorius RIgoribus qui iudicatorio modo fiunt, resistere non oportet, neq; certamen exoluere: sed & perfrigeratio quę ex sudore oboritur, promptè sedatur, & nihil molestat. Si uero perseueret rigor, aut perfrigeratio (à frigidiore uero & multa pituita maxime oboritur) primum artus pluribus modis constringendi sunt. deinde primum illinendi oleo chamęmelino, aut cyprino, aut irino. Si uero maiore auxilio opus sit, piper quoq; oleo ammiscẽdum est, aut roris marini semen, aut adarce, aut castorium. Et frictio mollis totius corporis adhibenda est. Quo uero non facile oleum defluat, non in- B
Ceræ usus eptum est ceræ parum in ipso liquare. Quod si rigor recalescere non possit, fortioribus etiam acopis ex his compositis, & dropacibus, ac sinapismis utendũ est, & alia insuper fomenta conuenienter excogitanda. Sed & actiora odoramenta conueniunt, calaminthe, pulegium, hyssopum. Quin & ante febris accessionem, aqua mulsa bibenda est, in qua piper & ruta sint incocta. Et succi cyrenaici milij magnitudinem cocto melle efformati, duabus ante exacerbationẽ horis dabimus. Similiter & silphij succi. Sed & id quod ad quartanas ex succo cyrenaico componitur, multis profuit. *Solium olei calidi* Et qui in olei multi calidi solia se dimiserint, inquit Archigenes, rigores pertinaciter hærentes excluserunt. At Galenus ante accessionẽ febris, cutem abrotono defricare iubet, aut calamintha sicca, aut conyzæ folijs & floribus, aut costo, aut pyrethro, utrisq; his cũ oleo: & aut omnino nõ, aut saltẽ minus rigebũt.

De sudoribus. CAP. XLVII.

Sudor indicatorius SVdores iudicatorios admittere oportet usq; ad sufficientem euacuationem, ita ut etiam adiuuemus moderata calefactione, ac quiete, ut sudorẽ non abstergeamus: Alius enim alium ducit: & calida oris collutione ac sorbitione, & somno. Sed & remissos sudores similiter ut iudicatorios adiuuabimus. Quæ igitur sudores ducunt auxilia, libro primo capite quadragesimo octauo sufficienter relata sunt. Postquàm uero sudores amplius proruperint, tunc detergere oportet, & tegumenta leuare ad refrigerandum. *Sudorem reprimentia* Lassitudinem enim inducunt nimium erumpentes, adeò ut sæpe ad syncopen adduxerint. Tenue igitur sit amiculum & madefactum, & aër frigidior, somnus quoq; ac uentilatio assumatur. Et myrtus nigra trita corpori inspergatur, & similiter galla, & pini cortex. Electrum item ac polenta, cum uino adstringente, partibus admittentibus imponantur. Et spongia posca imbuta facies detergeatur. Archigenes autem & calcem uiuam, & fecem uini

ustam,

A uſtam, tum in his, tum in rigore recaleſcere nequeũte aſſumit. Ambo enim hæc inquit, dum incaleſcunt reſiccantur. Irrigare etiã medias corporis partes iubet ſucco plantaginis, aut coriandri, aut portulacæ, aut braſſicæ, quo compactæ ſudores arceant. In ſomno uero, in cimolia terra aqua diſſoluta, pingueſiunt linteola, & ſubijciuntur dorſo ac thoraci. Illinendum eſt autem totum corpus roſaceo, aut melino, aut myrteo, aut lentiſcino, aut ceratis ex his paratis. Idonea enim magis ſunt his pinguia, eo quòd obſcuros meatus obturant, humoris tranſitum prohibentia. Manifeſtũ uero eſt quòd & cibus ſiccior his conducit, & uina moderatè adſtringentia. Verùm à pluribus potionibus, & præſertim humidioribus, & à frequentibus oris collutionibus abſtineant. Si uero id fieri poteſt, etiam geſtationes aſſumantur, in frigidiore aëris conſtitutione. Extremæ autem partes his maximè perfrigerentur. Qui uero per expreſſionem fiunt ſudores: Hi autem ob dolores, aut conuulſiones contingunt: eos & deligatione, & fotu extremarum partium, & panniculorum laneorum defrictione leuiter curare oportet. *Sudores per expreſſionẽ*

De tuſſi in febribus. CAP. XLVIII.

TVſſi in febribus, præſertim cũ rigore orientibus, reſiſtere oportet. Nam per tuſſis inſtantiam labans aliàs febris erigitur. Dandæ igitur ſunt confectiones ſub lingua tenendæ, ex melle coctõ coactæ, quæ linguæ ſubditæ eliquantur, atq; inde hypoglottia uocantur, & id quod bonam ſpiratio nem impedit diſſoluunt. Tempus uſus ipſarum eſt circa exacerbationũ uigores, & deinceps uſq; ad modicum tempus ante acceſſionem. Detur item aqua mulſa cocta. In quibus uero neruorũ genus ſuſpectum non habes, temporis progreſſu confidenter etiam acetum mulſum dabis. Sin minus, hyſſopi decoctum. Hoc etiam rigentibus auxiliatur. Dabis item caſtorium, ſi febris non ſit ardens. Hoc & neruorum generi conducit. Eclegmata uero delingantur ex pini & ſtrobili nucleis, iride, ſemine lini, amygdalis amaris, *Tuſſis in febribus* *Hypoglottia*
B & urticæ ſemine. Pleraq; ex his etiam cibis ammiſceantur. Sed & reſina terebinthina in ouo detur. Forinſecus aũt thoraci, & partibus circa arteriam, lana ſulphurata imponatur. oleum uero aut rutaceum ſit, aut irinũ, aut anethinum. Ligamentum quoq; robuſtum in longum deligatum, tuſſes exacitè cohibet: in medijs dico, ac extremis partibus. Nec præter rationẽ eſt, tuſſis gratia uti ſtaphyde ſylueſtri, ita ut unà cum uuis paſſis, aut cum maſtiche manducetur. Quin & extremæ partes defricandæ, contrectandæ ac deligandæ ſunt. Deinde urſus exoluenda illa in contrarium protractio. Si uero ob febris acrimoniam tuſſis irritat, gargariſmate ex aqua tepida utendum eſt. Sed & frigida ſæpe profuit. Conferunt & ex poſca gargariſmi, & ex palmularum, aut roſarum, aut radicis dulcis decocto. Viſceribus autem ac ipſi cordi ea quæ moderatè frigefaciunt imponenda ſunt. *Lana ſulphurata*

De ſternutatione. CAP. XLIX.

STernutationes ſæpe uexant in febribus illabentes. Nam & caput replẽt, & uires proſternunt. Quibuſdam etiam ſanguinem erumpere faciunt, atq; alias eiuſinodi turbationes inducunt. Quare ipſis reſiſtere oportet. Irruentem itaq; ſternutationem cohibet confrictio naſi, frontis, & oculorum, oſcitatio item, & palati digiti frictio, ructus, laterum mollitudinis intenſio, capitis eleuatio, conuerſio ad latus, ſummarum partium cõtrectatio, muſculorum mandibularium inunctio, olei calidi in aures infuſio, puluini calidi ſub mentum ſubditio. Vitare autem oportet repentinam ex ſomno excitationem, fumum, puluerẽ, acriores odores, piperis, caſtorij, ſinapis, mentæ. Lenis eſt odor mali, ac polentæ. Nam ſternutationũ elapſum obtundit. Idem faciunt & ſpongiæ marinæ nouæ. Cæterùm impetu ad ſternutationem oboriente, & ſternutatione non prodeunte, labia quieſcant, & acriores odores aſſiduè experiatur, & mens remittatur. *Sternutationẽ cohibentia*

De ciborum inappetentia. CAP. L.

SI ob uitioſos humores ciborum inappetẽtia oboriatur, cibi ac potus illi dandi *Inappetentia ciborum*

dandi ipsis sunt, qui tales humores detergere, & aut per uomitum, aut per infernam aluum excernere solent: aut temperare, & meliores efficere possunt. Horum materiam habes in præcedente hunc libro, qui primus est totius operis. Si uero ob uirium debilitatem inappetentes sunt, quandoquidẽ omnis uirium facultas propter partium intemperiem debilis est, intemperiei speciem per contraria curare oportet. Variegationem itaq; de inappetentia tractationem, inter stomachica libro tertio trademus. Verum in febricitantibus statim ab initio appetentiam odoramentis recuperare conandum est, maxime aqua in qua polenta subacta est, aut posca, aut uino diluto, aut fructus alicuius odorati ac adstringentis decoctio. Vnctione item leni, & moderata totius corporis frictione ac contrectatione, & faciei prolutione, ac modicæ aquæ absorptione. Sed & digitorum immissione stomachus lanciuatus, conuersus quodam modo ad hoc est, ut cibum admitteret, & prȩsertim ubi biliosum quid aut acetosum eductum est. Post primos dies etiam cataplasmatis forinsecus stomachus inuitetur, quæ parata sint ex palmulis, malis, œnanthe, absinthio, aloë. Cibi uero præparentur plures & simplices, & frumentacei, & qui ex alia materia alterationes quasdam habeãt, non tamen procul ab usu febrium recedant, inter quos fructus quoq; pomorum numerari possunt, qui non facile acescunt, neq; ualdè dulces sunt, sed maturi, & non usq; ad satietatem, sed solum ut appetentiam ad alios cibos irritent. Adsint autem ipsis dum cibum capiunt, qui leuissimi sint, & compescere ipsos ac cohibere possint. Remotis iam febribus, si etiam in refectionibus inappetentia permaneat, sisarum coctum cum aceto mulso, & lactuca, & oliuæ muria conditæ, & capparis, & salsamentum, & bulbi, & quicquid stomacho commodum est excogitetur, ita ut & illos cibos in memoriã reuocent, in quibus dum sani essent, maxime immorabantur. Deambulationes etiam ac gestationes, & uociferationes, & dropacismi, & frictiones, & B

Præpotationes exercitia assumantur. Sed & præpotationes succi absinthij, aut aloës. Aceti quoq; scillini mystri mensura absorpta probe facit.

De magna fame. CAP. LI.

Fames magna Bulimos

SI uero ad magnam famem, bulimon appellatam, ciborum inappetentia deueniat, hoc est ut excellenter animo linquãtur, hos reuocabimus tum alijs odoramentis, tum suillis carnibus assatis, & hœdinis. Et in summa omnibus nidorosum odorem habentibus, nimirum ubi acumen febrium iam præterijt. Et extremitates ipsorum deligare, ipsosq; excitare oportet, & maxillas pungendo, & capillos aut aures uellicando. Reuocatis autem, panẽ ex uino diluto dabimus, aut aliud quid ex his quæ facile distribui possunt.

De canina appetentia. CAP. LII.

Canina appetentia

ETsi hoc symptoma nõ ita ualde in febribus accidat, sed aliquando post ipsas, tamen tum aliàs, tum ob cognationem quam ad ciborum inappetentiam habet, non malum fuerit, & de immodica dicere appetentia, quum ambæ modũ excedant. Quandoquidem igitur à pituita acida hæc affectio maxime oritur, his quæ hanc secant ac detergent utendum est. Sunt autem talia dulcia & salsa, & alioqui detersoria calefacientia. Vinum igitur ipsis dare oportet largum, & multum calfaciens, talia autem sunt fulua colore, aut rubra, citra adstrictionem. Magis uero dulciora danda sunt, etiamsi nõ sitiant. Quum autem ad prandium accedunt, primum pinguia ipsis dare oportet, & alia omnia multo oleo præparata, nihil austerum, aut adstringens habentia. Hæc enim etiamsi non palàm ipsam impugnent causam, tamẽ incontinentem ad cibos impetum dissoluunt. Verum abstinentia ab his, pituitæ in stomacho collectionem minuit. Et salsamenta danda sunt. Postea uero prȩdicta uina largè bibãt. Si enim lõgiore tẽpore ita fecerint, sedatur.

De siti. CAP. LIII.

Sitis causæ & curatio

SItim admodum paruam, propter siccitatem, aut caliditatem partium fieri putandum est, per quas potus humor ex ore ad uentriculum defertur. Et me-

A Et medela quidem siccitatis, est somnus. Caliditatis autem, uigiliæ. Aliqui tamen siticulosi ex uino fiunt, & ob eduliorum caliditatem, & horum medela est frigidæ potus. Appetunt autem uitiosas qualitates, quemadmodu etiam cibos, iuxta rationem prædominantis uitiosi humoris. Cæterum inextinguibili correptos siti, ex qua etiam mortui sunt, aliquando uidi quosdam, qui uiperas dipsadas appellatas edissent: & qui uino ueteri se inebriassent: atque hos qui in naui, in qua aqua deficeret, essent: nam qui ex ipsis marinam bibere ausi sunt, omnes perierunt. At in febribus sitim, mitigare solet capitis irrigatio ex frigidissimo oleo, aut rosaceo, quæ cum delapsione instar salientis aquæ contingit. Optime uero ad sitim facit lactucæ nigræ semen commansum, & glycyrrhiza appellata, & cucumeris semen ore detentum. Dato etiam sitim eximês catapotium hoc. Cucumeris satiui drach. VIII. tragacanthæ drach. IIII. Tragacantham ouorum crudorum recentiu albumine dissolue, & ubi dissoluta fuerit, ad cucumeris semen antea tritum adijce, & ex simul tritis ac emollitis catapotia efforma, eaque in umbra sicca, & unum sub lingua tenendum præbe, ita ut dissolutum liquore absorbeat. Dato etiam cremorem malorum cydoniorum, aut pirorum, aut mespilorum, aut pampinorum uitis absorbendum: aut mali punici succum. Siti mortui

De lingua aspera. CAP. LIIII.

Linguæ asperitatem humectare oportet, ita ut seminis lini decoctum ægros in ore continere iubeamus. Efficacius autem erit, si myxæ cum lini semine fuerint coctæ. Sed & digito in hoc succo tincto, & lingua confricta, os aqua pura colluant, aut spongia detergeant. deinde rosaceo illinant. Sed & ipsum rosaceum melli ammixtum egregie efficax est. Ex portulacæ succus ore detentus, & rhus qui obsonijs inspergitur, aquæ mulsæ mixtus probe facit. Et damascenorum, & myxarum, hoc est myxæ ossa in ore retenta, & B linguæ obuoluta, & lactucæ cauliculus. Archigenes uero sal Indicus inquit, colore quidem & compage similis communi sali, sapore uero melleo, lentis magnitudine, aut ad summum fabæ, arrosus, uehementer humectare potest. Decumbant autem in latus; supinus enim decubitus resiccat, & os claudant. Nam & hiare, humorem siccat. Sternutationes quoque accersitæ, omnibus alijs magis efficaciter linguas humectant. Linguæ asperitas Myxarum ossa Sal Indicus

De Nausea. CAP. LV.

Quum absque eo quod aliquid quod uomitum moueat ingestum, nauseabundus sit æger, manifestum esse opinor, ut ratiocinemur prauos humores uentriculum infestare. Quidam uero lancinantur quidem, non autem uomunt quicquam, in ipsis tunicis humore imbibito. Si igitur pituitosi sunt humores, coquere ipsos oportet, homine in quiete, & inedia, ac somnis seruato. Si uero tenuiores, uomitus ipsos eijcit, qui aliquando ex ptisanæ succo contingit, aut aqua mulsa. Qui uero uiscosi sunt ac crassi, attenuantibus opus habent, quale est acetum mulsum, & similia. Quod si humiditas praua in tunicis imbibita est, amara ex aloë confectio commoda est. Verum quæ adstringunt, plurimum lædunt. Quemadmodum rursus ubi humiditas multa est, citra prauam uitiationem, quæ adstringunt commodissima sunt. Verum medicamentum ex aloë ad marcorem perducit. At si frigiditas humiditati adest, ad adstringentia ammiscenda sunt etiam calefacientia. Signum autem frigidam esse affectionem, est non sitire, neque ardorem sentire. Nauseæ curatio

De bilis uomitu. CAP. LVI.

Bilem uomentibus cataplasma adhibendum est ex palmulis, malicorio, galla, coctis in uino aut posca, pane simul contrito. Sed & acacia, & hypocisthis, & balaustium, & rhus cataplasmati ammiscentur. Et cucurbita cum multa flamma affixa magnopere prodest. Cibum uero sæpe, paulatim, dabimus. Cæterum in his qui atram bilem uomunt, & stomachum inflatum habent, spongias aceto acerrimo calido imbutas impone, aut hederæ folia in uino cocta appone. Vomitus bilis Vomitus atræ bilis

De sin-

De singultibus. CAP. LVII. A

Singultus causæ

SIngultus fit aut ob repletionem, aut ob euacuationem, aut humoribus acribus stomachum mordentibus, quibus uomitu reiectis sedatur. Multi uero etiam ubi medicamentum ex tribus piperis generibus constans acceperunt, si statim uinum insuper bibant, singultiunt. Quòd uero etiam aliqui cibum corrumpentes singultiant, ex confessis est. Sed & à rigore multi singultiunt. proinde in his qui ob plenitudinem aut mordacitatem singultiũt, sufficientem medelam esse uomitum comperiemus. Calefactionem autem in his qui ob frigiditatem. Quum uero ob repletionem factus fuerit singultus, uiolenta opus habet euacuatione. Hoc autẽ præstat sternutatio. At singultus ob euacuationem, sternutatio non sanat. Dare uero singultientibus oportet, rutam cum uino, aut nitrum in aqua mulsa, aut seseli, aut daucum, aut cuminum, aut gingiberim, aut calaminthan, aut nardum celticam. Atque hæc quidem sunt auxilia eorum qui ob ciborum corruptionem, aut ob frigiditates, aut ob repletionem singultiunt. Verum his qui ex plenitudine singultiunt, ob frigidos ac uiscosos humores, castorij obolos III. dato ex posca bibendos Idem etiam forinsecus cuti ad stomachum impositũ prodest, cum oleo sicyonio aut antiquo. Conuenit etiam acetum scillinum, aut acetum mulsum in potu. Sed & detentio spiritus magnoperè commodat.

De aluo suppressa ac laxa in febribus. CAP. LVIII.

QVæ resiccatam aluum promoueant, in primo libro relata sunt, quantũ opus erat. Quandoquidem uero & in febribus hanc humectari cõtingit, hic de hoc dicendum uenit. Multi enim non pro febris ratione, sed propter solum hoc symptoma perierunt. In principio igitur sustinere oportet ea quæ prodeunt, ita ut nihil resistamus aduersus ea quæ ex corruptione ac cruditate efferuntur. Verũ ubi ultra modum euacuatio contingit, cohibere conuenit. Et si quidem acriora prodeant, oportet ea quæ exhibentur boni succi esse, & alioqui etiam crassiora. Talia autem sunt, sorbitiones ex alica ac ptisana. Sed & balnea his commoda sunt, post morbi concoctionẽ. Vbi uero pituitosiora & fluida feruntur, uice uersa sicciores sint ac calidiores cibi, quantum febres permittunt. Tales autem sunt qui ex condimentis calfactorijs parantur. À balneis autem his abstinendum est, si non quid aliud cogat. Quod si debilis sit concoctoria facultas, adstringentibus edulijs & auxilijs utendum est. Edulijs quidem, in quæ maxime mala punica, aut poma, aut pira, aut mespila sint iniecta: aut etiã his ipsis, & uino tenui odorato adstringente. Auxilijs autem ex cataplasmatis polentæ, palmularum, absinthio, rosis, myrti baccis, & consimilis materiæ. Considerandum uero in quibus maxime partibus imponenda sint cataplasmata, circa stomachum dico, aut infernam aluum. Quandoque etiam circa lumbos imponimus. At cruentas excretiones reprimunt ac resiccant cataplasmata ex thure. Aut polentæ pollen cum thure, aut manna, uino aut posca subacta. Acriorem uero humiditatem per infusum clysteris edulcare oportet, quandoq; per solam aquam, quandoq; per ptisanæ, aut alicæ, aut oryzæ, aut tragi succum: atq; hoc non semel, sed sæpe. Postea uero ammiscendæ sunt & rosæ siccæ, aut myrti baccæ, aliquando etiam gallæ. Et ouum unà cum rosaceo, & uino tenui adstringẽte, aut rosarũ decocto infusum, aut etiam sedi appositũ, promptitudinẽ ad excernendũ hebetat ac retundit. ubi uero frequẽs cõtingit ad egerẽdũ surrectio, glomer ex calidis staminib. ad sedẽ efformatus apponat.

Aluus humecta ac fluida (margin, beside "propter solum hoc symptoma")

B (margin, beside "succi esse")

Glomeris ex staminibus usus (margin, beside "nui adstringẽte")

De sanguinis stillatione, & sanguinis è naribus eruptione. CAP. LIX.

Sanguinis stillatio

QVandoquidem sanguinis stillatio plenitudinem in toto corpore, aut in capite significat, ob expressionem contingens, aut ob meatuũ densationem: Amplior autem excretio plenitudinem laxare ac minuere potest. iuxta rationem uero ipsam facere licet inde, unde natura impetum habet.

Typhæ usus

Hac ratiocinatione facta, ausus fui in destillationibus quarta die cõtingentibus, per typham uelut mos est, uasa in naribus sauciare. Verum nõ oportet mo-

A tet modico fluxu contentum esse, sed iuxta uires detrahere. Cæterum spon
taneas in febribus per nares sanguinis eruptiones, si iudicatorio modo fiat, *Sanguinis eruptio*
sustinere oportet. Si uero immoderatè sanguis feratur, reprimere conari.
Deligentur igitur primum ualidè extremæ partes, & æger ita figuretur ut
sublime caput habeat. Videtur autem & preputij pudendi uirilis deligatio,
sanguinis è naribus eruptiones peculiariter cohibere. Non autem emun-
gat, neq; irritet locum, sed grumum congelari sinat. Et nasus spongia posca
imbuta detergeatur, & cuneolus ex linteo in narem unde sanguis erumpit,
indatur, facta prius illitione ex aliquo sanguinem sistente. At horum medi-
camentorum materiam, ac reliquam curationem, in tractatione de locis af-
fectis, libro post hunc sequenti abundè proponemus.

De animi deliquio. CAP. LX.

His qui ex cholera, bile supernè ac infernè prodeunte, & ob alui proflu- *Animi deliquium*
uia, & propter alias multas & aceruatas euacuationes exoluuntur, a-
quam frigidam aspergere oportet, & nares appræhendere, & os uentriculi
confricare, & ut uomāt iubere, stomachumq; lancinare aut per digitos, aut
per pinnas immissas. Sed & fortiter multis ligamētis deligare, ubi quidem
per infernas partes euacuationes fiunt, manus: ubi uero per supernas, cru-
ra. Excogitare insuper in his quibus sanguis erumpit, figuram sursum uer- *Figura sursum uergens*
gentem citra dolorem. Est & cucurbita affigenda, ita ut ad contrarias his
quæ euacuantur partes retrahamus. Sanat etiam uinum aqua temperatum
exolutiones ex aceruatis euacuationibus obortas, si non uiscerū inflamma
tio, aut capitis uehemens dolor, aut affectio aliqua mentem emouens, aut
febris ardens, in morbo crudo prohibeat. Nam in his uinum magna detri-
menta inducit. Et siquidem æstas fuerit, & æger calidi temperamenti, & a-
quæ frigidæ potor, frigida danda est. Sin contra, calida. At uero his qui ob
sudorum copiam animo linquuntur, cutem densare oportet, uelut antea di
B ctum est, & flatuum frigidorum accessus excogitare. Verum fluxionibus
in uentrem nihil horum conuenit, prærerquàm ut uentri & stomacho cor-
roborantia adhibeamus, & hos lauemus. Balnea enim fluxionibus in uen- *Balnea quibus commoda & incommoda*
trem commodissima sunt. Sed sanguinis eruptiones & sudores uehemen-
ter exasperant. Cæterum eos qui ob plenitudinem animo linquuntur, à ui-
no & cibo abstinere oportet, & à balneis, si febricitarint. In potu detur aqua
mulsa, in qua thymus, aut origanum, aut pulegium, aut hyssopum sint inco
cta. Commodum his est & acetum mulsum. Si uero propter prauos humo-
res in stomacho cōtentos animo linquantur, uomere ipsos iubeto ex aqua
& oleo, digitorum aut pinnarum immissione. Si uomere nequeant, oleum
optimum bibant. Hoc sæpe etiam per infernam aluum euacuat. Sed & ab-
sinthium his prodest. At si ob stomachi debilitatē exoluantur, his quæ cor-
roborare ipsum possunt utendum est, uelut antea in capite de ipso dictum
est: & extremas partes defricare oportet, & eos qui ardore exusti sunt, ad
balneum ducere. perfrigeratis uero, medicamentum ex tribus piperis gene
ribus constans, & ipsum quoq; piper date. Qui uero ob ampliorem calidi
tatem, aut ob solis ardorem, aut quòd in balneis moram diutius traxerunt,
animo linquuntur, eos curabis frigidam aquam aspergens, & ad uentū cō-
uertens, & stomachum fricans, & uinum ac cibos exhibens. Si uero pro-
pter inflammationis magnitudinem, aut malam febris afflictionem, in ac-
cessionum insultibus animi deliquium incidant, & perfrigerētur, artus for-
titer fricare oportet, & calefacere, ac deligare, & uigilare iubere, & à cibo
abstinere. Hæc autem & ante exacerbationē facienda sunt. His uero qui
propter siccitatem animo linquuntur, duabus aut tribus horis ante exacer-
bationem cibus dandus est, aut alicæ succus, aut panis ex aqua, cum mali
punici granis, aut pomis, aut piris. Si uero magnum periculum timeatur,
etiam uinum detur. Sed & in his qui derepente animo linquuntur, ita fa-
ciendum est. Et ubiq; causam, ob quam animi deliquium contingit, consi-
derare

derare oportet, & aduersus hanc instare. Quandoq; tamē etiam symptoma A
tis maiorcura habenda est, si quidem periculum, aut mortem minetur.

Vlcerationis circa os sacrum curatio. CAP. LXI.

Ossis sacri exulceratio. ET hæc affectio in febribus maxime diuturnis, propter decubitus diuturnitatem contingit. Quum igitur locus rubicundus fieri incipit, circulū laneum iustæ magnitudinis loco subdemus. Postea uero rosaceum aut myrteum ceratum, quod spumam argenti, aut cerusam recipit, imponemus. Inflammatione autem oboriente, panis cataplasma cum solano, aut polygono, aut plantagine, aut brassica tenera. Si uero ulceratio pascendo proserpat, lenticula cocta cum malicorio imponatur.

CAPITA TERTII LIBRI.

In hoc libro, qui tertius est huius Operis, de affectionibus secundum locos sermo habetur, cuius initium à summo capite est, & ad extremos pedes terminatur.

De

B

PAVLI AEGINETAE REI MEDICAE LIBER III. [redacted]

Medico Physico interprete.

DE CAPILLORVM AFFECTIONIBVS.

De alopecia, ophiasi, ac caluicie. *Caput I.*



VEMADMODVM plantæ aliquæ ob humoris inopiã resiccatæ corrumpuntur, aliquæ uero ob humoris alieni ab ipsarum natura attractionem. Ita etiam in capillis fieri solet. *Simile* Nam ob humorum inopiam caluicies contingit. *Caluicies* propter uitiatos autem humores, alopecia & ophiasis, *Ophiasis* figura solum inter se differentes: nam in ophiasi serpẽti similis pars læsa apparet; *Alopecia* uerum alopecias ex eo quòd hęc affectio frequenter uulpeculas infestet, nominauerũt. Ex colore igitur cutis, redundantem humorem coniectantes, euacuatione per purgatoriũ medicamentum prius utimur, deinde localibus auxilijs curationem absoluimus. Si igitur color cutis nigrior aut albidior factus fuerit, per hieram antidotum purgamus, quæ & pituitam, & atrabiliarium humorem euacuat. Si uero pallidior, catapotia ex aloe dabimus. Vniuscuiusq; ex his descriptionem in libro de compositis medicamentis reperies. Post totius corporis euacuationem apophlegmatismo pituitam per os detrahente utendum est. non semel, sed sæpe, ex aceto, sinapi ac melle. Melius autẽ est si in aceto origanum quoq; aut pulegium, aut thymus, aut hyssopum maceretur. Sed & in alijs circa caput affectionibus, eadem methodo utendum est, ita ut primum redundantem humorem euacuemus, aut per purgationem, aut per

uenæ sectionem, si etiam sanguinis redundantia fuerit, deinde sic ad loca- A
lem curationem procedamus.

Ad alopecias. Vbi nitro præparasti, & linteo aspero, aut potius lana extersisti, & ad ruborem defricuisti, uerbenacam in sole cum aceto tritã illinc. Aut alcyonium asperrimum ustum ac tritum, cum oleo lucernarum illine. Aut arundinis radicem, aut amygdalæ amaræ corticẽ ustum, oleo aut adipe ursino exceptum illine. Moderata igitur sunt hæc. fortiora uero quæ ex euphorbio & thapsia, & adarce, cum oleo laurino trita, aut pice liquida.

Aliud. Herinaceorum marinorum testas ustas ursino adipe excipe, & loco ex nitro præparato illine. Aliud. Piperis, stercoris ouilli sicci, irionis, seminis erucæ, singulorum drach. IIII. ueratri albi drach. III. stercoris murini drach. I. excipe felle taurino, aut hircino aut suillo. Aliud, experimento cognitum ad alopeciam. Radicis mandragoræ, aristolochiæ, radi-

Axungia nõ salsæ. *Nerium herba*

cis ari, ceræ, picis liquidæ, singulorum unc. VIII. axungiæ porcinæ non salsæ, nerij herbæ cordis siue internæ partis parum. Axungiam & nerium coquito donec herba flaccescat. deinde facta excolatione herbam abijcito, & reliqua ad axungiam adijcito ac coquito. postea ceram & picem liquidam addito, & confidenter in sole utitor Et ubi ulcera ad cicatricẽ perducta fuerint, caput uulpeculæ urito, & cum ipso alcyonium, anchusæ nigræ folia, omnia trita supra illitionem supernè injcito, quo capiti pili succrescant.

Aliud. Capitis muris usti partem unam, testarum buccinorum marinorum partem unam, cum axungia porcina in olla coctis utere. potes & sicca ipsa inspergere. Medicamentum ex thapsia, ad omnes ueteres affectiones. Euphorbij, thapsiæ, baccarum lauri, singulorum unc. I. sulphuris uiui unc. dimidium, ueratri unc. dimidium, ceræ unc dimidium, olei laurini, aut cicini, aut ueteris quantum satis est. In fortioribus etiam nasturtij unc. I. & alcyonij unc. I. Hoc nõ solum ad alopeciam, sed etiam ad omnem diuturnã

Præparatio per nitrum

perfrigerationem facit. Vbiq; uero præparatione per nitrum, & defrictione utendum est in alopecijs. Et pili assiduè radendi. Multos enim noui per solam defrictionem, & assiduam rasuram pilos produxisse. B Ad caluiciem & pilorum augmentum, ex Critone. Leporum uentres quinq; siccatos, in testaceo uase diligenter torreto, & ad hos tertiam uirgultorum myrti partẽ accipito, acaciæ fructus, acaciæ succi, rubi canini, singulorum tantundem. adianti unc. III. Hæc omnia tundito, ac tenui cribro excernito. deinde adipis ursini libris IIII. additis, & adipis phocæ totidem contundito, & plumbea pyxide recepta seruato. Vsus autem tempore quocunq; uoles ungento dissoluto. Conseruantia pilos. Polytrichi partem I. ladani partes II. tino & myrteo oleo excipe ac utere. Aliud. Anemonæ florem tritũ cum oleo illine. Idem etiam pilos nigros facit. Aliud. Verbenacam rectam cum radicibus siccatam ac contusam tenui cribro excute, & ammixto oleo ut strigmentitiam crassitudinem accipiat, in æneo uase repone. Et liquefactis pro oleo utere. Aqua pilos augens. eadem etiam nigrefacit. Aquæ

Rhus Alexandrinus

pluuialis sextar. VI. rhois Alexandrini sextar. III. polytrichi trientem, herbæ sabinæ trientem. ladani unc. I. myrti unc. I. cucurbitæ siccæ unc. I. Hæc ad dies uiginti in uase uitreo madescere sinito, bis per diem tæda cea spathu-

Pectinis usus

la mouens. Deinde pectinem in aqua tinge, ac quotidie utere. Sed & althææ semen in balneo affrictum, capillos conseruat ac auget. Similiter & oleũ illitum, in quo althææ semen coctum aut impositum fuit. Pilos attenuantia. Foliorum fici, corticis uitis agrestis albæ, pumicis, testarum buccinorum, terræ cimoliæ, singulorum minam unam. Omnia in ollam nouam crudam immissa, & olla luto oblita, in camino torreto, ac terito: & aphronitri mina dimidia, gallis omphacinis triginta, adiectis ac tritis excipe ac utere.

Aliud. Aphronitri minæ dimidium, pumicis torrefacti minæ quartam partem, aluminis scissi, iridis siccæ, comæ myrti syluestris nigræ, radicis bryoniæ, singulorum drach. IIII. lupinorum crudorum molitorum congij

quartam

A quartam partem utere sine pingui. Ad defluos capillos. Aloën cum uino nigro austero illine. Aut purpuræ opercula cum oleo cocta. Aut myrrham & ladanum cum uino, & oleo myrteo. Aut caprinum stercus in testa ustum tere, cum oleoq; prærasis illine.

Quæ crispos capillos faciunt, & quæ eosdem tingunt. Ex Cleopatræ scriptis.

Caput II.

Crispis capillis faciendis

DEfricto prius capite, spondylij radix cum uino meraco capillis illinatur. Aliud. Præraso ac confricto capite, nucem pineam recentem sumito, & in cinerem exurito, & in mortarium coniectam terito, myrteum ungentum affundens, donec mellis spissitudo fiat, atq; sic illinito. Aliud. Baccarum myrti ac betæ pari mensura utere, cum oleo affricans. Aliud. Gallas uiginti, adianti sextantem, in aqua marina ad mellis crassitudinẽ tere, & ubi capillos urina aut lixiuia prius confricuerit, & aqua calida abluerit, ad biduum medicamentum hoc illinat, & ubi ipsum continuit ita, tertia die abluat, & siccatos capillos ungento myrteo inungat. Hoc tenerum facit, & crispum ac nigrum capillum. Crispior autem fiet, si prærasus utatur.

A canis præseruantia, & alia denigrantia. Olei acerbi sextar. III. spicæ nardi drach. I. unguis aromatici drach. IIII. floris iunci rotundi odorati drach. IIII. coquito cum oleo, & seorsim habeto acaciæ succi unc. I. uino dissolutam ac probe tritam. Quum autem olei tertia pars reliqua fuerit, excolato & ad acaciã ammisceto, uasculo excipito, ac utitor quotidie illinẽs.

Aliud. Nucum uiridium corticis quadrantem, radicis ilicis quadrantem, uini nigri sextar. III. coquito ad tertias, exprimito, & quod superest cũ olei myrtini sextario uno commisceto. usus est quotidianus. Aqua capillos denigrans. Gallæ sextar. I. rhois coriarij sextar. II. baccarum myrti nigrarum sextar. II. ligustri foliorum tantundem, cinnaræ manipulum, capitum papaueris tantundem, aquæ lacustris sextar. XII. Ad multos dies præ-
B macerata ad tertias coquito, & prius defrictis illinito. Quin & siccatos capillos cimoliæ acetabulo uno, & calcis uiuæ pari mensura illinito. Hæc autem betarum coctarum succo dissoluta illinantur. deinde custodiæ gratia, betæ folia supernè imponito. Et ubi satis diu hæserint, in balneo abluito.

Vt fului pili tingantur, & flaui fiant. Myrrhæ partem I. floris salis partem I. diligenter tere, & facta strigmenti spissitudine, præfrictum caput medicamento illine, & per diem ac nocte sine, & tunc abluere iube. Aliud. Lupinos crudos cum aqua illine. Aliud. Spumæ argenti drach. I. terræ creticæ drach. IIII. calcis uiuæ drach. I. cum aqua ad strigmenti crassitudinem redacta illine, & betæ folia superimpone ad duos aut tres dies, & ablue. Vt nigri capilli flaui fiant. Vini fecem in balnei strigmenta mittito, & cerati crassitudine facta illinito, ubi dormire uoles, & mane flaui fiũt. Aliud. Ligustri folia in herbæ lanariæ succo macerato, & cremore utitor. *Terra cretica*

Tinctura aurũ referẽs. Aluminis drach. VI. sandarachę drach. VI. croci drach. II. thapsi qua tinctores utuntur, quã Romani herbã rubiam uocant, drach. VIII. lixiuij pileatotij sextar. IIII. Lixiuum & thapsum cõtusam ad dimidias coquito, & liquorem exprimito, & cum hoc alumen, sandarachã & crocum diluito, & in uas uitreum mittito. Vsus autem tempore præfrictis illinito. Vbi uero combiberint, ex fœni græci, ordei, ac cumini decocto abluito, ita ut aqua tepida sufficienti sapone addito prius obleueris. *Thapsus, quæ rubia* *Lixiuium pileatorum*

Aliud. Fecem uini ustam, & oleum balaninum, simul mixta pilis illine.

Aliud. Saponem Gallicum cum aqua singulis balneis affricet. Aliud ualdè prestans. Rhois rubri sextar. I. gallarum sesquilibram. stercoris murini sextantem. herbæ auri colorem referentis, quam Romani rubeam uocant, sextantem. polytrichi fasciculos II. absinthij fasciculum I. lupinorum decorticatorum cyathos II. aquæ sextar. VII. omnia in uas uitreum coniecta, ad dies IX. macerari sinito, per diem bis agitando: usu uero postulante, quod satis est excolato, & in hoc spongiam imbutam capillis affricato, & *Rubia auri colorem referens*

humectatos combibere finito. Vbi uero reficcati fuerint, sapone in calida aqua dissoluto abluito. Vt pili albi fiant. Verbasci albi florem urito, & aceto subigito, & ad smegma ammisceto. Aliud. Verbasci seminis drach. I. aluminis drach. I. corticis raphanorum drach. I. contundito, & glutinis taurini drach. IIII. ammisceto.

De affectionibus cutis capitis. Caput III.

De porrigine, siue furfuribus.

Porrigo Furfures — Porrigo tenuium ac furfuri similium corpusculorum ex capitis, aut ex reliqui corporis superficie eliquatio est, citra exulcerationem. Fit autem uitioso humore ad caput allato, aut pituita salsa, aut biliosa, aut atrabiliario sanguine. Post euacuationem igitur totius corporis, uelut dictum est, subscriptis compositionibus utendum est. Cimoliam aqua praemadefactam ad betae succum ammisce, illine, & donec reficcetur sine. deinde ablue, & thus cum uino ac oleo tere ac illine, postridie uero staphidem syluestrem cum oleo illine. Aliud. Nitri, fecis uini ustae, myrobalanorũ, singulorũ lib. I. staphidis syluestris sesquilibram. Vino dissoluta capiti affricato. Si uero reliquum corpus pruritum habeat, sicca. Verum ad humidiores porrigines muria, aut lupinorum decocto, ad abluendum utere. Huius multam experientiam habeo.

Psydracia — Ad psydracia & pustulas capitis. Psydracia paruae extuberantiae sunt pustulis similes, in superficie ac summa cute extantes. Pustulae uero superficiariae sunt ulcerationes, subrubicundae, & asperae. Ambo uero curantur subiectis compositionibus. Spumae argenti drach. IIII. cerusae drach. IIII. aluminis drach. II. foliorum rutae uiridium drach. II. aceto & oleo myrteo trita illine. Aliud. Rutam & alumen trita cum melle, capiti praeraso illine. Si uero cutis capitis discedat, oleae folia cocta cum melle impone. Aliud. Spumae argenti, cerusae, singulorum drach. XII. sulphuris uiui drach. VIII. cerato myrteo excipe. Ad capitis ulcuscula densa ac rubicunda, paruis papillis similia, à quibus sanies eliquatur. praeraso capite, & cum aqua ac nitro prefricto, sulphure uiuo cum urina humana trito utere. Aut melanteriam cum aceto illine.

De achoribus, id est ulceribus capitis manantibus, & ceriis, id est fauis.

Achor — Ex affectionibus quae in capitis cute fiunt, est & Achor, ulcus manans, quod tenuibus ualde foraminibus cutẽ erodit, per quae sanies redditur uiscosa.

Cerion — Similis ipsi in speciem affectio est, quam cerion, id est fauum uocant, eo quod foramina habet maiora, melleam humiditatem continentia, uelut apum faui. Generatio his est ex nitrosa ac salsa pituita. Victum itaque constituant ex boni succi cibo, ab omni acri ac salso abstinentes, & praesertim si inflammata sit affectio. Et post cõuenientem redundantis humoris euacuationem, praerasis pilis, bis aut ter, aut saepius fomentum aquae calidae adhibe, in qua cocta sit myrtus, aut rubus, aut lens, aut lupini amari, aut asparagi radix. Quũ uero amplior sanies fluxerit, salicis folia cum aqua, aut cum lenticula, pro cataplasmate impone. Illitiones autem sint, terra cimolia, aut cretica, aut samia, aut pompholyx, aut spodium, aut argẽti spuma, aut cadmia, aut charta usta, aut siccum ex charta medicamentum, omnia cum aceto.

Perdicias herba — Smegmate uero utendum est hoc. Sulphuris, herbae perdiciadis, & saponis, aequales partes. Composita haec sunt. Spumae argenti drach. XVI. foliorũ rutae drach. VIII. staphidis syluestris drach. IIII. atramenti sutorij drach. II. cum aceto ac myrteo oleo ad strigmenti spissitudinem redacta illine.

Sandix — Aliud. Sandicis drach. IIII. myrrhae drach. IIII. sulphuris uiui drach. II. mannae thuris drach. IIII. cum oleo ueteri illine. Ad Achoras saniem manantes, recrementum argenti, aut plumbaginem tritam insperge. Aliud, ad achoras & humidam scabiem. Rosarum rododaphnes trientem, sulphuris uiui trientem, picis liquidae trientem, picis siccae trientem, cerae sexuncem, olei myrti quod satis est. Vetum in pueris lacte exoluta illinito.

De ficis.

A

De ficis.

Ficus quæ sint eruptiones

Ficus nominant eruptiones ulcerosas, rotundas, subduras, rubicundas, ad quas consequitur dolor. Nascuntur hæ plerunq; in capite, sed & reliquo corpore. Optimum in his medicamentum hoc est. Aluminis scissi, floris æris tosti, glutinis taurini, singulorum æquales partes, cum dupla æris squama, terito cum aceto, & illinito. Commodant & menarum capita usta, & bulbi cocti, & cinis aceto permixtus. Ad ficosas in capite ac mento pustulas, medicamentũ siccum. Misyos drach. I S. chalcitidis drach. I I S. squamæ æris drach. I. aluminis scissi drach. I. Hoc siccum loto large impone, ac sine. Sequenti die rursus loto, ac spongia deterso impone. Crassissimum enim ulceris tectorium decidit. Et rursus sequentibus diebus idem facito, intra paucos dies absq; cicatrice sanat. Verum non parum uexat hoc medicamentum. Ad pediculos in capite. Lupinorum in aqua coctorum cremore confricare iube. Aut staphidem syluestrem, aut sandaracham, aut ambo trita, cum oleo ueteri aut aceto illine. Aut piperis parum, ut ne exulceret, cum oleo. Aut hederæ succũ cum melle. Aut sinapi cum aceto. Aut cedriam, aut picem liquidam, cum alumine. Aut baccarum lauri expressum retrimentum. Aut oleum raphaninum. Ego autẽ staphidem syluestrẽ cum aceto & oleo tritam illeui, & semper successum sensi.

Ficosæ pustulæ

Pediculi capitis

De capitis dolore. *Caput IIII.*

Capitis dolor

Capitis dolor qui grauissimũ symptoma est, aliquando ex sola qualitate intemperata oboritur: aliquando etiam ob humorum copiam: aliquando ex utraq; causa. Quandoq; uero & ob externam lacessenrem causam: uelut ob ardorem extrinsecum, aut frigiditatem, aut ebrietatem, aut plagam. Vehementissimi igitur capitis dolores per actiuas ac efficientes qualitates fiunt, & maxime per calidam. Qui uero ob siccitatem fiunt, uehementiam non similiter habent. At humida qualitas, quantum in ipsa est, omnino doloris exors est: præterquàm si cum caliditate, aut frigiditate, aut humorũ copia, coniuncta fuerit. Itaq; de capitis dolore in febre contingente, in præcedenti de febribus libro dictum est. De alijs uero nunc dicemus.

Qualitates actiuæ & passiuæ

B *Humiditas doloris exors*

De capitis dolore ex ardore solis.

Capitis doloris causæ uariæ

His qui caput ex ardore dolent, cutis ad contactum calida, & siccior statim ad primum occursum apparet: & oculos rubicundos habent. Gaudent etiam frigidis perfusionibus ac ungentis, & ex his opem sentiunt. Curatio uero his conuenit ea quæ ad dolentes caput in febribus relata est. perseuerante uero dolore, subscriptis cataplasmatis utendum est. Fronti ac temporibus adhibita conueniunt, panis ex posca & rosaceo: quandoq; cum amygdalis, aut rosis siccis aut teneris, aut cum menta pulegio ammixto. Aut panis cum Persici folijs, facit & ocymum tritum cum aceto & rosaceo. Aut hederæ corymbi aceto cocti, & cum rosaceo triti. Aut ad serpilli in aqua decoctum, farinam triticeam ammisceto. Aut cardamomum tostum ac tritum cum aceto & rosaceo. Aut fermentum cum rosaceo. Aut iris sicca cum aceto. Singula uero ex his assidue permutentur. Inefficacia enim sunt ubi diutius moram traxerunt.

Pastilli ad capitis dolorem, ob calidam intemperiem. Croci drach. V. atramẽti sutorij drach. X. aluminis drach. XVI. myrrhæ drach. VII. omphacij drach. III. chalcitidis drachmas III. gummi drachmas III. uini austeri quod satis est. Vtere cum posca. Si uero etiam uigiliæ adsint, ex somnificis aliquid ammisce.

De dolore capitis ex frigida intemperie.

Et signa & curatio eorũ qui ob frigiditatem caput dolent, contraria sunt his qui ob ardorem. Nam & incontracta & decolorata ipsorum facies est: & frigidis neq; gaudent, neq; ex ipsis opem sentiunt. Horum autem cognitionem confirmabunt, & uictus ratio, & reliqua eiusdem ordinis. Inunctio igitur sit, oleum rutaceum, laurinum, irinum, nardinum, aut etiam balsami

Balsami succus

succus, & maxime si crassiores & uiscosæ fuerint superfluitates. Oportet au tem fronte & hoc illinere, & ex his quoq; quæ ex pipere ac euphorbio pa rantur. Dandum est & uinum tenue, & iubendum ut motu utantur, & bal neis calidis, & quandoq; etiam uomitu à radiculis acceptis. In quibus uero qualitas est absq; humoris copia, diutius durans, uteris & hoc medicamen to. piperis albi drach. II. crocomagmatis drach. II. euphorbij recētis drach. VIIIS. stercoris columbini drach. IS. aceti acerrimi quod satis est. Loco pr frīcto illine affectam partem.

De his qui ob biliosum humorem caput dolent.

Signa quidem similia sunt his qui ob ardorem. Verum accedit ipsis ma ior morsus, & faciei pallor, & quandoq; etiam oris amaritudo. Aetatibus autem uigoris, & temperaturis calidioribus, & uitæ curis oneratæ, & his qui bilem flauam coaceruant, hæc affectio magis contingere solet. Balneis igitur temperatis, & ungentis, & aquoso potu, in his utendū est. Et uniuer sa uictus ratio humidior, ac boni succi assumatur. Cæterum biliosus hu mor euacuandus est absinthij cremore, aut per aloën, aut per pictam anti dotum per seipsam, aut cum modica scammonia, & per catapotia ex aloë. frons autem illinatur pastillo croceo, aut trigono, aut aliquo consimili.

De dolore capitis per consensum.

Dolor capitis per consensum Si quidem ex toto corpore per consensum afficiatur caput, illi prospici endum est, ita ut & aduersus intemperiem, & contra materiam superantem instemus. Et si quidem plenitudo fuerit, & maxime in uenis, uenam secabi mus. Si uero magis qualitas, purgatorio medicamento utemur. At si alicui parti per consensum coafficiatur, uelut hepati, aut uentri aut stomacho, his auxilia adhibenda sunt. Et si quidem calida in ipsis fuerit intemperatura, pa nem ex uino aquoso dabimus, aut etiam sorbitiones ex alica. forinsecus au tem irrigationes moderate refrigerantes ac corroborantes adhibemus, ue lut antea dictum est. Si uero propter uiscosos & crassos humores in stoma cho contentos, caput doluerint, etiam hos expellemus, acetum mulsum bi bere exhibentes, tum simplex, tum Iulianum. Et decoctionibus ex hysso po & origano, & calidioribus adhuc quàm hæ sunt, & quæ magis secare possunt, utendum est. Vomitu item à radiculis, & irrigationibus calidiori bus, & cataplasmatis.

De dolore capitis ex uino.

Dolor capitis ex uini potu Si incoctum adhuc maneat uinum, iubendi sunt ut uomant ab aquæ te pidæ potu. Si uero etiam post concoctionem caput doluerint, refrigeranti bus ac repulsorijs utemur, uelut est rosaceum, & per se, & cum aceto, aut he

Brassica aduer satur uino deræ aut brassicæ succo. Sed & ipsa brassicæ folia calida aqua rigata, & ca piti circundata ac alligata, naturaliter ebrietati resistunt. Quin & feruefa ctam brassicam edere oportet. Et lenticula his prodest, & præsertim his qui humidiorem uentrem habent. Alicam item, & mala punica, & poma ac pi ra edant, & aquam bibant.

De dolore capitis ex plaga.

His qui ob plagam caput dolent, si non omnino in superficie plaga con sistit, statim uenam secabimus, & conuenientibus capiti irrigationibus ute mur, ex lanis nimirum oleo dulci imbutis, capiteq; ex ipsis contecto. A ui no autem & cibis solidioribus abstineant, maxime si febriant. Et in summa, uelut ad inflammationem partium neruosarum, & maxime cerebri mem branarum, curationem adaptabimus. Si uero etiam uulnus factum fuerit, & hoc conuenienter curabimus.

Malagma ad capitis dolorem.

Ceræ drach. VII. olei amygdalini quadrantē, terebinthinæ drach. VIII æruginis rasæ, cimoliæ, chalcitidis, singulorum drach. IIII. pumicis drach. III. æris usti, squamæ stomomatis, singulorum drach. II. Si uero durius esse uideatur, oleo amygdalino molliatur.

A *De Cephalæa capitis dolore antiquo, & de Hemicrania, dimidiæ capitis partis affectione.* *Caput V.*

Cephalæa *Hemicrania*

VTraq; harum affectionum perseuerãs capitis dolor est, qui strepitibus, clamoribus, clara luce, uini potu, & his qui caput replẽt, odoribus exacerbatur. putantq; ita affecti sibi caput percuti, aliqui totum, aliqui altera parte, quos etiam Hemicranicos nominant. Et quibus quidem intra caluariam affectio consistit, his dolor ad oculorum radices pertingit. Quibus autem extra est, circa ipsam caluariam dolent. Dolores igitur cum grauitate, plenitudinem indicant: cum morsu, humorum aut uaporum acrimoniam: cum pulsationibus, inflammationem: cum tensione, si quidem absq; grauitate & pulsu fuerint, spiritus tenuis ac flatuosi copiam: si cum pulsu, membranosi corpusculi inflammationem: si cum grauitate, plenitudinem intra membranas cõtentam. Si uero etiam putrefactus humor calidior fit, etiam cum febre caput dolent. febriunt autem omnino & qui ob inflammationẽ dolent. Proinde ubi totum corpus humoribus plenum est, uenam secare oportet, uirium respectu habito: & infusis per clysterem uti acrioribus. Si uero adhuc redundare sanguis uideatur, etiam per nares uena aperta euacuãdi sunt, quantum satis esse uidebitur. Deinde hiera exacuta danda est, & deinde utendum apophlegmatismis pituitã per os detrahentibus, & euacuationibus per nares, inditis in ipsas errhinis appellatis, uelut est elaterij succus, qui cum lacte infunditur: aut etiam siccum elaterium, quod insufflatur. Item cyclamini ac porri succus. Composita uero hæc sunt.

Errhina, naribus indita medicamenta

Errhinon ad diuturnos capitis dolores, lippitudines, & morbum comitialem. Melanthij drach. VIII. salis ammoniaci drach. IIII. elaterij drach. IIII. trita excipe oleo sicyonio, aut irino, aut cyprino, ut cerati crassitudo fiat, & nares inde continge. Errhinon quod insufflatur. Cyclamini siccę drach. VIII. nitri rubri drach. IIII. Si uero pro nitro elaterium conieceris,
B adhuc melius est. per stipulam insufflato. Vtere quoq; epithematis capitis & ungentis, ubi diuturnior est affectio, his. Epithema ad cephalæã. Vngenti irini, peucedani, castorij, singulorum drach. I. baccarum lauri drach. II. ramulorum rutæ drach. IIII. Excipe cerato rosaceo, & raso capiti per totum ipsum impone. Cæterùm mulier quædam in hemicranicis etiam hoc usa, mirifice successum sensit. Radicem cucumeris syluestris uiridem in tenues partes concisam, & absinthiũ, in aqua & oleo donec flaccescerent coquebat. Et aqua quidem cum oleo calidis affectam partem moderatè rigabat. Radicem autem & absinthium terebat, atq; ita trita imponebat. Et per hoc solum hemicranicos & cum febre, & sine febre curabat. Si uero exacerbatio consequatur maxima, ut dolorem ferre non possint, utere etiã his quę mitigare, & ex alto euocare ac meatus transmutare possunt, quale hoc est.

Mulier medica

Vngentum ad cephalæam. Succi peucedani drach. XVI. succi papaueris, anisi, hyoscyami, croci, myrrhæ, scammoniæ, singulorum drach. II. Excipe aceto, & fac pastillos. Vsu uero expetẽte, cum aceto aut posca illine eos qui ob crassos humores, aut spiritum flatuosum dolent. Sed & dropace, & sinapismo utendum est. Itemq; ex thapsia pastillo. Quin & medicamentum ex atramento scriptorio mirifice in eadem causa auxiliatur, & utendum est eo in his, uelut in libro de compositis medicamentis dicetur. Sed & hoc mirandum est ad hemicranicos ob crassum ac uiscosum humorem. Euphorbij partem I. castorij tantundem, aqua excepta in aurem inde, eam quæ est à dolente parte, & in balneum introire iube, & ubi paululum immoratus est ita assumare, & consueto modo lauare. Hoc modo experientia cognitum est. Non absurdum autem fuerit etiam oleo ipsa excepta, in aurem instillare. Et medicamentum ad coxendicum morbum descriptum, diuturnos quoq; capitis dolores, & hemicranicos perfectè sedat. Ad hemicraniam diuturnam. Allij drach. IIII. ceræ drach. II. axungiæ ueteris drach. II. cantharidum drach. II, uesperi imposita, pernoctare sine. Mane uero pustulam rum-

Atramẽti scriptorij medicamentum

A pe,& parygro appellato emplastro cura. Aliud. Baccarum lauri decorticatarum drach. II. foliorum rutæ drach. II. sinapis drach. I. aqua diluta impone. At uero his qui à frigidis causis infestantur cõmodissimum hoc est, adeò ut sæpe semel ante balneum illitum, cito affectionem percurarit, ita ut post balneum penitus sanus æger euaserit. Olei sabini lib. I. ceræ quadrantem, euphorbij unc. I. Ex hoc dimidiam frontis partẽ illinito, iuxta temporalem uidelicet musculum. Verum in quibus non multa frigiditas est, gallæ & crocomagmatis æquales partes uino tritas illine. His uero qui ob calidos uapores aut humores caput dolẽt, medicamenta ex euphorbio ne adhibeto. Apophlegmatismus pituitã per os detrahens ad cephalæam. Sinapis triti & in succum redacti cum aceto & melle trientem, staphydis syluestris drach. IIII. pyrethri drach. IIII. tusa, cribrata & mixta, in sole gargarissanda præbe. Si uero ob biliosum humorem, aut aliquam intemperiem, cephalæa sit diuturna, antea de capitis dolore relatis utendũ est. At si etiam post hęc dolor perseuerer, & neq; cucurbitulis, neq; hirudinibus prętermissis, & distributio per arterias suspecta sit, nihil absurdi est, etiam arteriarum retrò aures sectione uti. Verum in humidioribus etiam balnea naturalia recte assumuntur.

De phrenitide. Caput VI.

Phrenitis PHrenitis membranarum cerebri inflammatio est, aliquando etiam ipso cerebro simul inflammato: aliquando caliditate præter naturam in ipso consistente. Causa uero morbi est, aut sanguis redundans, aut flauæ bilis humor. Quandoq; uero etiam flaua bilis superassata, & in atram transmutata, quando sanè grauissima phrenitis existit. Aliquando etiam cerebrum ex septo transuerso per consensum affectum, per dispersos in ipso neruos, affectionem sustinet. At uero quæ circa ardentissimarum febrium uigores, & *Mentis emotio* quæ ex stomachi per consensum affectione contingit mentis emotio, phre- ij *Delyrium* nitis non est, sed solum delyrium. Consequũtur in his qui proprie phrenitici B sunt, uigiliæ quidem in totum. Quandoq; uero etiam somnus turbulentus, adeò ut exurgant, & exiliant, & furiose clament, qui quidem ob sanguineum humorem affecti sunt, cum risu: qui uero ob flauam bilem, cum ferocia: quemadmodum qui ob atram bilem, furiose adeò ut contineri nõ possint, obliuiscunturq; & eorum quæ dicuntur, & quę fiunt ab ipsis. Et oculos sanguinolentos habent, ipsosq; fricant quandoq; squallidos, quandoque lachrymantes aut gramijs oppletos. *Gramiæ in oculis* Et lingua exasperatur, & ex naso sanguinis destillationes fiunt, & floccos legũnt, & festucas uenantur, & febrem acutam habent per totum morbi tempus, febre in alto malignè latitante. Et pulsus paruos ac languidos cum quadam duricia habent. Et respiratio magna est & rara, cerebro primariò affecto. Si uero per consensum ex septo transuerso phrenitis fiat, & respiratio inæqualis est, & præcordia reuelluntur, & caliditatem multam habent. Sicut rursus his qui ex cerebro affecti sunt, partes circa faciem calidæ, & subsanguinolentæ sunt, & plenas uenas habent. Quòd si etiam pituitosus humor admixtus fuerit bilioso, quemadmodum causam, ita etiam nomen compositum acquirit. *Sopor uigilans* Vigilans enim sopor appellatur. Bilioso etenim humore superante, tales uigilantes phrenitici sunt. Pituitoso uero rursus prædominante, soporose rursus in somnũ de- *Catochos* labuntur. Vetustiores Galeno catochon, id est soporis detentionem appel- *Catoche* lauerunt. Catochen uero & catalepsin, id est appræhensionem, recentes.

Curatio phrenitidis.

Siquidem uires permittunt, uenam cubiti secare oportet statim, & multum sanguinis detrahere. Si uero delyrans æger manum non porrigat, aut etiamsi porrigat, timor sit sanguinis eruptionis, dum post euacuationẽ manus sæpe lancinatur, ex eo quod furiose æger turbatur: rectam in fronte se- *Venæ frontis sectio* cantes uenam semel sufficienter detrahamus, & infusis per clysterẽ utemur, ex oleo aut rosaceo, cum ptisanæ succo. Vigilijs autem superantibus, rosaceo, aut

A ceo, aut rosaceo cum aceto caput inungemus, aliquando calida aqua prius ipsum perfundentes: & medicamentum ex papaueris capitibus dabimus, si non uires debiles prohibeant. Sed & alia ad uigilias, ex supra relatis huc transferenda sunt. Decumbat autem æger in loco lucem ac temperiem moderatam habente, & in quo non sint uariæ picturæ. Hæ enim turbationem inducunt. Ingrediantur autem eò ad ipsum amici grati, & commode compellent, quandoque leniter placantes, quandoque etiam austerius perterrentes. Alimentum uero primum sitaqua mulsa. deinde prisanæ succus, & sorbitiones ex alica, cum aliqua iucunda potione, uelut est fauorum cremor, aut hydrorosatum, aut rhodomelum, aut dulce hydromelum. Nam quod à Cebyra affertur hydromelum uinosum in paruis uasis, reprobandū est, ut quod peiora detrimenta quàm uinum in talibus inducat, & præsertim in capitis affectionibus, & ante concoctionem. Et panem ex aqua lotum exhibemus, & intyba ac lactucas coctas. Si uero multus feruor sit, etiam cruda hæc danda sunt, & cucumeris internam partem dare conuenit itemq; peponis, & rhodacena, ac consimilia. Ab aqua frigida hos abstinere oportet, maxime si ex septi transuersi consensu, causam affectionis compererimus. Si uero urina ipsis ob dementiam, uelut uerisimile est, supprimatur, fomentum adhibemus, & oleo & aqua calidis pectine ac uesicam perfundemus. Deinde digitis manus ad locos admotis, ad mictionem irritabimus. Et decumbentibus ipsis reliquum corpus oleo calido illinemus. Nam in quiete, quantū eius fieri potest, conseruandi sunt, si ualde diuites fuerint, ut à famulis contineantur: sin minus, uinculis constricti. Vires enim concidunt ex inordinato motu. Sed & propter alium modum, ligamentis pedes prius perfusi constringantur ac contrectentur, reuulsionis uidelicet gratia. Si uero longior, & ægre solubilis fiat affectio, ab his que soporem inducunt abstinendū est, addenda uero ad capitis irrigationes ea quæ discutere solent, uelut est men-
B tæ succus, aut serpilli, aut calaminthæ, aut rutæ. Et tunc quoque errhinis in nasum datis utendum est. Post septimum uero diem, si uiscera fuerint inflammata, cataplasmatis ex semine lini, & cruda ordeacea farina, cum aqua & oleo mitigabimus. Postea uero etiam cucurbitas leues, aut etiam cum scarificatione adhibemus, tum his ipsis, tum occipiti ac spinæ. Si uero corpus squallidum & adustū esse coniectaueris, etiamsi adhuc febricitent, balneis aquæ potabilis, & largiore illitione utendum est: & uinum dandū tenue, ac parum aquæ ferens, ad uirium refocillationem, nequaquam uerendo mentis emotionem ex ipso, uelut par est, futuram. At enim non contingit, declinatione instante: aut etiam si fiat, facile sedatur. procedente uero declinatione, etiam gestationibus utendum est, & conueniente uirium refectione. faciendæ sunt autem uirium refectiones, ita ut caueant ebrietates, iras, ciborum corruptiones, & præ omnibus solis ardores.

Cebyraticum hydromelum

Rhodacena

De cerebri inflammatione. Cap. VII.

Cerebrum inflammatum sæpe interimescit, adeò, ut futuræ in capite dissparentur. Et dolor maximus ac perseuerans consequitur, & anxietas multa: & rubor circa faciem multus consistit cum tumore, & oculi pronui sūt, & caput intumescit. His uenam secare oportet, & de cubito euacuare. Sed & ex naribus, & uenis sub lingua, sanguinem euacuare oportet. Vtere etiam irrigationibus & cataplasmatis ad capitis inflammationes idoneis, quæ humectare ac concoquere possunt.

Cerebri inflammatio

De cerebri erysipelate. Caput VIII.

Fit & erysipelas, id est ignis sacer, in cerebro, & æger hæc patitur. dolet caput totū, & flamas in ipso esse putat. Et facies ægroti frigida est ac subpallida, & os siccatur. proinde in affecto uenā secato, & maxime uenas sub lingua diducito, & frigefactoria adhibeto, quibus etiā ad alia erysipelata uti-(mur.

Erysipelas cerebri

De lethargo. Caput IX.

Lethargus qui læsio est partis animæ rationalis, locum quidem eundem habet,

Lethargus

A habet, quem etiam phrenitis, cerebrum dico, materiam uero cõtrariam. Ex pituita enim humidiore ac frigidiore cerebrum perrigante oboritur. Consequitur lethargicos febris debilis, non ualdè mordax, cum delatione in soporem. Pulsus his magni & rari ac undosi sunt. Respiratio ualde rara ac debilis. Et somnolenti semper sunt, & ægrè excitari possunt, & difficulter respondent etiamsi interrogentur, & obliuiosi sunt, ac mente moti. Hiant assiduè, & quandoq; hiantes permanent, uelut qui os claudere obliuiscantur. Egerunt per aluum pleriq; humidiora. Quibusdam uero uice uersa uenter resiccatur. Vrinas mingunt quales sunt iumentorũ. Quidam etiam tremũt & exudant.

Caros, soporis species

Porrò soporis species quæ caros appellatur, quum ex eadem sit materia qua lethargus, ab hoc differt, eo quòd febris soporem illum præcedat, & uehementior est: sequitur autẽ ad lethargum. differunt item in eo, quòd sopor etiam ad alia symptomata sequatur. Nam & ad febrium exacerbationes sæpe accedit, & ad morbum comitialem, & ad cerebri compressiones, aliquando osse in fracturis, aliquando membranatũ custode, anteriorẽ cerebri uentriculũ constringẽte. Lethargus uero propriã quandã constitutionem habet.

Curatio lethargi.

Permittentibus uiribus etiam hic uenam secemus. Si uero non permittant, infusis per clysterem acribus utemur. Aegrum autẽ in domo ampliore reclinabimus, quæ moderatam habeat lucem, & caput irrigabimus oleo, cui castorium sit ammixtũ. Quidam pro oleo, rosaceo cum aceto, unà cum castorio utuntur, corroborantes simulq; calefacientes per hoc caput. Reliquum uero corpus, & maxime extremas partes, oleo ueteri illinunt, & cum nitro tosto, aut pyrethro, aut pipere, aut grano cnidio uellicãt. Potest & ceratum ex his cum castorio factum in usum assumi. Odoramenta uero adhibebimus thymum, aut origanum, aut pulegium aceto tritum. Os autem, & partes circa palatum, sinapi trito cum modico melle illinemus, ita ut etiam B per digitos pituitam affixam auellere conemur. Si uero admiserint, etiam apophlegmatismo utere aceto mulso, cum hyssopo, aut pulegio, aut origano, aut etiã ipso sinapi. In potu uero dato aliquod ex his quæ cito transeũt, oxypora græci appellant, & maxime diospolitici cochlearium unum cum posca. In diuturnis ac tremulis etiam castorium dandum est, scrupulorum duorum aut trium pondere. Si uero copia humoris sit, & non aliud quid impediat, etiam scammoniæ scrupulum unum castorio addemus. Perseuerante uero affectione, raso capite fomentum adhibere oportet ex sale & milio, ac similibus in sacculis. sinapismis item in capite, & sternutatorijs uti. Deinde cucurbitas occipiti affigere, partim leues cum multa flamma, partim cum scarificatione. Naturales etiam excretiones assiduè irritare oportebit infusis per clysterem, & urinam cientibus. Pecten autem oleo rutaceo, aut sicyonio, cum modico castorio rigetur. Frequentius quoq; irritanda est deglutitio, ita ut calidæ aquæ aliquam ex iucundis potionibus, maxime fauorum cremorem ammixtum, per angusti oris uascula instillemus. Et si alicubi circa medias partes inflammatio aliqua fuerit, etiam hęc curanda est per irrigationes ac cataplasmata. Naribus autem admouendum est sinapi aceto tritum, aut castorium ustum. Alantur ex ptisanæ, auenæ, aut alicæ succo, cum aceto mulso, aut sale, aut pulegio, quandoq; quotidie, quandoq; alternis diebus. Post cibum extremæ partes deligentur, aut etiam multũ refricentur: & crura uellicentur, & quandoq; pili ex ipsis uiolentius euellantur, quo excitẽtur. Sed & rubificationes fœmorũ ac crurũ sæpe cõmodant. Declinãte uero affectione, statim gestationibus cõuenientibus utendũ est, & ad balneũ deducãtur, & refectoriæ diætæ ductus cõuenienter assumatur.

Oxypora (margin)

De catocho, id est soporis detentione, siue uigilante sopore. Cap. X.

Catochus. Sopor uigilans

HVius morbi constitutionem in capite de phrenitide iam diximus. Signa uero ut in summa dicam, communia quodam modo sunt phrenitidis ac lethargi, iuxta materiam prædominantem euariantia. particulatim autem

A autem hæc. Detinetur æger supinus, extentus, & quandoque subtumidam ac liuidam moderatè faciē habet, uelut lethargici: quādoque rubor in ipsis efflorescit, & supernam palpebram sibi reuulsam esse putant ac eminere, ut neque nictare possint. Nequaquam autem respirare uidetur, sed uelut mortuus iacet. Pulsum habet paruum & languidum, & uehementer densum. Et urinę, & aluus suppressa sunt, aut modice feruntur. Et qui moderatè habent, infusum aliquem liquorem deglutiunt. Victi uero, ad nares relidūt. Qui igitur pituita bilem superante affecti sunt, eos à lethargicis discernimus, eo quòd neque rument, neque liuidum colorem habēt, uelut lethargici, præterquàm modice sanè, & quòd moderatè exudant. In maiore uero periculo uersantur, quibus uigiliæ multæ adsunt, & urina supprimitur, & spirandi difficultas intenditur, & exudant, & quibus potus ad nares relidirur. At si mulier ita affecta fuerit, discernetur ab ea quæ uteri strangulatione correpta est, ex eo quòd naturaliter iacere uidetur, & loquentes sentiat, & quòd excitatur, & rursus in somnum delabitur. Aliquando uero soporis detentionē, aliud esse dicunt à uigilante sopore, quod non amplius compositam, sed simplicem quandam causam habeat. frigidiorem enim & ficciorem materiam, quæ posteriorem cerebri uentriculum obturauit, eam affectionē efficere. Qua correptus æger derepente, in illa figura manet, in qua correptus est, stans uidelicet, aut sedens, aut clausis oculis, aut uidentibus & apertis. Quapropter etiam catochos id est detentos, ipsos ueteres appellarunt. Recentiores autē catochen, & catalepsin, id est appræhensionem ac detentionem appellauerunt affectionem ipsam. Curatio uero similis relatis est, sed euarians iuxta symptomatum diuersitatem.

Catochi differentia ab uteri strangulatione

Catochi

Catoché

Curatio catochi.

Et nunc quoque uenæ sectionem adhibere oportet, & maxime in quibus facies rubicunda est, uiribus rursus consentientibus: aut infusis per clysterem uti. quandoque excitantibus, pituita prædominante: quandoque mitigantibus, bile redundante. Eodem modo etiam aliorum auxiliorū ductu utendum est, & similiter nutriendum, quandoque quotidie, quandoque alternis diebus. Est autem ualdè periculosa affectio, si ob aliquod cibi aut potus peccatum fiat. In his itaque cogere ipsos oportet, ut statim uomant, & in cibi contractione custodire, & aluum irrirare, & irrigatione uiscerū ex cumino, aut ruta uti. Qui uero propter ebrietatem affectione correpti sunt, post solutā crapulā, humidiore alimento curentur, talis est ptisanæ succus. Caput quoque conuenientibus illitionibus rigetur, si æstas fuerit, frigidis: si hyems, tepidis. Si uero crapula nequaquàm soluatur, neque ad sobrietatem redeat, pro desperato relicto ipso, longè fugere oportet.

B

Ebrietas causa catochi

De amißione memoriæ ac rationis, & de sopore ac fatuitate. Cap. XI.

Memoriæ amissio aliquando per se contingit, aliquando etiam cum aliqua rationis læsione: quemadmodum etiam rationis læsio per se prius contingit, & deinde memoriæ læsio sequitur. Vtrisque uero affectis, fatuitas appellata consistit. Causam uero habent communem, consistentem ac constituentem ipsas intemperiem. Verum si hæc humida solum fuerit, & memoriæ & rationis uitiationem inducet, & torpores, & in somnum delationes, & somnos longos ac profundos. Si uero cum frigiditate, sopores & lethargos. Eodem modo etiam siccitas, sola quidem uigilias inducit: cum caliditate uero, delyria, & phrenitidas. Consistunt autem hæ intemperaturæ quandoque in humoribus, quandoque in cerebri uentriculis, aut in ipsius uasis, aut in dispersa humiditate, aut in ipso cerebri corpore, aut etiam musculis temporalibus tale quid perpetientibus. Si uero humores fuerint inter se permixti, etiam affectionem talem inducent. Vtrum autem simplex sit, aut composita intemperies efficiens, ex eorum quæ excernuntur specie cognosces. Nam quòd memoriæ & rationis amissio, ex frigiditate proueniat, scimus: An uero cum humiditate aut siccitate coniuncta sit, ex his quæ excernuntur

Memoriæ amißio.

Rationis læsio

Fatuitas

nuntur discemus, & ex ægri habitu ac temperamento, & ex uictus ratione, temporeq; anni ac regione. A Curatio. Si quidem frigida fuerit intemperies, calefacere oportet: si uero cum humiditate, etiam siccare. Si rursus cum siccitate, humectare simulq; calefacere. Eodem modo etiam in intemperie calida, frigefacere: si uero etiam siccitas sit, etiam humectare. Si cum humiditate, frigefacere simulq; siccare. In quibus autem sanguineum humorem redundantem compereris, uenam secare, aut infusis per clysterem uti acribus, deinde etiam hieram dare, & apophlegmatismis uti, & unctiones adhibere capiti, frigefacientibus ac siccantibus ad oleum ammixtis, rosis inquam, ac myrto, & lentisco, ac similibus. Sed & toti corpori prospiciendum est. Si uero ex ardore solis ac lassitudine, oborta fuerit intemperies, utendum est irrigatione capitis ex aceto & rosaceo, & reliquo ductu frigido *Caros, soporis species* ac humido, tum alias, tum in cibo ac potu. Si uero soporis species caros appellata, ad fatuitatem, aut obliuionem accedat, etiam huic prospiciendum est, uelut antea in lethargicis diximus, ubi etiã discrimẽ ipsorũ exposuimus.

De uertiginosis. *Caput* XII.

Vertigo VErtiginis affectio ex frigido ac uiscoso humore cerebrum occupante conflatur, unde ex parua occasione promptè etiam hi cõcidunt, quandoq; dum circumagi quædam uident forinsecus, uelut rotas, aut turbines: aut dum etiam ipsi circumaguntur. quandoq; uero etiam capite calefacti, dum commouentur humores in ipso, aut etiam spiritus: Aliquando uero dum anteriores cerebri uentriculi comprimũtur, circa caluariæ fractæ perforationes. In quibus etiam uehementes dolores fiunt. præcedit autẽ in his qui ex primaria capitis affectione afficiũtur, dolor in ipso uehemens, & sopor, & aurium sonitus. Et quibusdam olfactus læditur, quibusdam gustus. Qui uero ex oris uentriculi consensu afficiuntur, eos cõsequitur osculi uentris morsus, & nauseæ quoq; concomitantur. Curatio. Vertiginosos in aggressione consistentes excitare oportet, & idoneorum odoramentorum usu, & frictionibus, & consimilibus. B Vbi uero in remissione sunt, ad destruendam affectionem, uenam primũ secare oportet. deinde per hieram purgare. Et tempore interposito, infuso per clysterem acri utendum est, ex centaurij aut colocynthidis decocto. Post tales autem euacuationes, lancinandum est caput localiter, per cucurbitas occipiti affixas cum scarificatione. & post hæc, pituitam per os detrahentibus ac sternutatorijs utendum est. Verum in quibus caliditas capitis, & aurium sonitus est, utpote uaporibus calidioribus per arterias allabentibus, etiam arteriarum sectionem assumimus retrò aures, quemadmodum in chirurgica tractatione dicetur.

De morbo comitiali. *Caput* XIII.

Comitialis morbus MOrbus comitialis qui conuulsio est totius corporis, cum principalium actionum læsione, aliquando in ipso cerebro consistentem causam habet: aliquando in ipsius uentriculis uniuersis. Hæc autem est quandoq; pituitosus, quandoq; atrabiliarius humor. Quin & propter os uentriculi per consensum oboritur: quemadmodum etiam in colicis, uelut in tractatione de illis dicetur. Aut etiam ex aliatum partium distributione, aura aliqua frigida ad cerebrum perueniente, aliquando à crure, aliquando à digitis manus. Visus est quoq; aliquando ab utero in aliqua muliere, quo tẽpore prægnans fuit. post partum autem sedatus fuit. Fit hæc affectio maxime pueris, *Præcedentia morbum comitialem* & ex his amplius recens editis. postea uero etiam adolescentibus, & in uigore consistentibus: minime autem adultis & senibus. præcedit igitur in comitialibus corporis & animæ seditio inuoluntaria, & tristicia, & familiarium obliuio, & insomniorum uisiones turbulentæ, & capitis dolor, & repletio capitis assidua, maxime ex iracundia, & faciei pallor, & linguæ motus inordinatus. Quidam etiam ipsam mordent. At in his qui per consen- *Palpitatio stomachi* sum ex stomacho afficiuntur, etiam ipsius stomachi palpitatio præcedit, & agitatio ac morsus: & in inedijs, aut dilatis cibis exacerbantur. Instante uero iam

A ro iam symptomate, collapsio ipsis derepẽte contingit, & cõuulsio, & quan-
doque nihil significans exclamatio. Præcipuum uero ipsorum signum est o-
ris spuma, quum reliqua etiam alijs morbis quodam modo communia sint.
Quibusdam autem etiam urina & stercus inuoluntariè excernitur. aliqui-
bus etiam semen. Quum igitur in aliquibus acutissima sit affectio, cito occi-
dit, tum exacerbationum assiduitate, tum symptomatis uehementia. In qui-
busdam uero in longum extenditur, adeò ut si non circa pubertatem, aut lu-
nares purgationes, aut impregnationes soluta fuerit: aut si post hoc tempus
contracta fuerit, plerunque commoriatur, præterquàm si conuenientem cu-
rationem consequatur. Declarant autem comitiales suffita hæc, bitumen, la-
pis gagates, cornu caprinum. In cibo uero acceptum hepar hircinum, & he-
patis dum assatur odor. Curatio. Si adhuc puer infans fuerit qui æ-
grotat, nihil curiose moliri oportet: nam & ætate ad biliosiorem ac sicciorẽ
constitutionem transeunte, & uictu ad moderationem commutato, plerunque
sua sponte affectio sedatur. Oportet autem uictus rationem non solum in-
fantibus, sed etiã nutricibus ac lactantibus prospicere. Qui uero post pue-
rilem ætatẽ in comitialem illapsi sunt, his conuulsas ac distortas partes pin-
guiter irrigare oportet, deligareque ac dirigere. Deinde disparato ore, digitũ
aut pinnam oleo irino illitam immittere, ad pituitæ eductionem. Oportet
etiam odoramentis sensum irritare, ueluti peucedano, succo cyrenaico, bi-
tumine, pice cedræa. Post exacerbationes, si nihil impediat, utendum est ue-
næ sectione in cubiti flexura. Si uero nihil remittat exacerbatio, extremæ
partes sinapismo integantur, & cucurbita præcordijs affigatur. Si neque ad
hæc remissio contingat, minimum spei est. Et tamen confidens medicus ca-
storium per uim ori infundat, & cyrenaicum succum cum melle & aceto.
Et per sedem infundat centaurij decoctũ, aut colocynthidis. Qui uero exur-
B gunt ab ipso morbo comitiali, post refectionem, purgatione per hieram e-
uacuandi sunt. Atque hæc sanè est recentis & acuti morbi comitialis cura-
tio. Consequenter autem quæ ad inueterati destructionem commodant tra-
demus. Affectos itaque in aquæ potu diu continere oportet. Et in curationis
aggressione uenã secare, si nihil prohibeat: & interpositis quatuor aut quin-
que diebus corpus reficere, & sic purgatorio medicamento euacuare, maxi-
me quidem ueratro nigro, aut colocynthide, aut certè scammonia. Opor-
tet autem ueratrum citra internam partem tusum ac cribratum, aquę mulsę *Veratri nigri*
cyathis quinque uel sex inspergere: aut melle cocto excipere cum modico pi- *præparatio*
pere. Colocynthidem uero eiecto semine, medullam adhuc habentem pas- *Colocynthidis*
so exple, & per totam noctem sine. Mane uero passum euacuatũ bibendum *præparatio*
præbe. Vtendum etiam purgatorio medicamento ex ueratro albo, est autẽ
hoc. Baccarum lauri depuratarum drach. VIII. piperis albi drach. VIII. aly- *Medicamẽtum*
piadis drach. VIII. euphorbij drach. VIII. ueratri albi drach. VIII. hæc pro *ponderis sin-*
nuce præbe, cũ passo quod est in colocynthide. probe per uomitus pur- *specti*
gat. post sufficientem purgationem, lauare ipsos oportet. Tertio post die
cucurbitæ affigendæ sunt cum scarificatione præcordijs ac dorso. Deinde
multis diebus interpositis, & corpore refecto, hiera ex colocynthide danda
est. postea capiti ac occipiti cucurbitæ affigantur. Sequenti die cataplasma
adhibeatur ex pane cocto in aqua mulsa, & contrito cum amygdalis ama-
ris, aut serpillo, aut menta, aut calamintha, aut ruta: & ad tres dies hoc faci-
endum est. Et postea caput radatur, & peucedani succo in aceto dissoluto,
in quo spondylium coctum est, illinatur. Interpositis autem rursus aliquot
diebus, & corpore refecto, antidoti ex colocynthide obolos IX. in aqua
mulsa dato. Et rursus interpositis diebus antidotum dato. Deinde sternuta-
torijs utere. Et post quinque aut decem dies castorium in aqua mulsa præbe.
Et rursus interposito tempore centaurij & colocynthidis decoctum per cly-
sterem infunde. deinde rursus hieram præbe: & consequenter pituitam per
os & nares detrahentibus utere. deinde sinapismum capiti adhibe. Oportet

Acrium esus

item acrium esu tempestiue uti. prodest his & acetum mulsum scilliticum A quotidie bibere. Et mel in qua scilla contabuit cochlearij mensura. Victus ratio his conuenit incidendi ac attenuandi uim habens, & proinde capparis & salsamentum assiduè in cibo competit. Abstineant autem à carnibus, & leguminibus, & uino largiore, Venereq; multa, ac à balneis, & à sinapi, & à potu statim post balneum, præsertim uini meraci. Vtantur exercitijs & frictionibus, ita ut postremum omnium caput defricent.

Pæoniæ radicis de collo suspensio

Curatio comitialis ex stomacho oborti. Si uero stomacho primariò affecto affectio fiat, bonam concoctionem ægroto prospicere oportet, & circa tertiam horam panem diligenter præparatum exhibere, ex uino diluto leuiter adstringente ac albo. Dato etiam his de medicamento ex aloë, bis autem singulis annis. Noui autem inquit Galenus, puerum quendam, qui omnino non correptus fuit à morbo, ex quo radicis pæoniæ gestabat magnam ac recentem partem de collo suspensam. Sed & agaricũ comitialibus prodest, seseliq; ac spondylij semẽ ac radix. Et aristolochia rotunda ex aqua pota. Auxiliatur etiã his magnopere scarificatio crurũ si frequenter adhibeat.

Acetũ mulsum Iulianum

Curatio comitialis ex aliqua parte oborti. Quum symptoma futurũ est, ubi senserint partem, siue manus sit, siue pes, laqueo superpositam partẽ fortiter appræhendere oportet. In remissionibus autem curationem moliri, ex ustorijs medicamentis aliquod parti adhibendo, uelut est lepidium, & quæ ex cantharide constant, & similia. Acetum quoq; mulsum Iulianum comitialibus magnopere prodest, particulatim materiam excutiẽs. Post omnia relata, & theriaca, & balnea naturalia, locum habent. Per totum uero uitæ tempus caueant maxime cruditatem, & nutrimenti ingestionem ante concoctionem, & cibos crassi succi, & cibi dilationem, & uehementem ad Venerem impetum, & multi uini potum, & potum post balneum, uelut dictũ est, præsertim uini meraci, & uina ualdè uetusta ac crassa, & acria odoramẽta, & quæ caput replent, & ne intentè inspiciant ex alto, & ne diutius mo- B ram trahant in balneo, & ne caput ardori solis exponant.

De melancholia, & insania, & his qui numine afflati putantur. Caput XIIII.

Melancholia

Hypochondriaca melancholia

MElancholia delyrium quoddam est citra febrem, ex atrabiliario humore, qui mentem occupauit, maxime oriens, quandoq; ipso cerebro primariò affecto, quandoq; unà cum toto corpore permutato. Sed & tertia melancholiæ species est, quam flatuosam & hypochondriacam, id est præcordialem nominant, ex inflammatione præcordiorum circa stomachũ obortа, quæ aliquando auram quandam prauam, aliquando etiam de humoris essentia partem, ad cerebrum transmittunt. Signa omnium cõmunia sunt, timor, tristitia, hominum auersatio, & quòd putant aliqui se animalia bruta esse, & illorum uoces imitantur: aliqui uero uasa testacea se esse putant, & ne frangantur timent. & quidam ex ipsis cupiunt mortẽ, quidam uero rursus timent ne moriantur. Et aliqui semper rident, aliqui plorant. Quidam uero etiam putant se ab aliquibus maioribus potestatibus impeti, & futura prædicere, uelut numine afflati, quos etiam priuatim numine afflatos nominant.

Numine afflati

propria uero signa melancholicorum per consensum totius corporis sunt, gracilitas corporis, & nigricia, & hispiditas, & habitus atrabiliarius, aut ex natura, aut acquisititius, per curas quasdam, aut uigilias, aut uitiosorum ciborum ingestiones, aut hæmorrhoidum aut mensiũ suppressionem. Eos autem qui propter præcordia melancholici sunt, cruditates declarant, & acidi ructus, & ardor ac grauitas ipsorũ: & quòd reuulsum est præcordium, & aliquando etiam inflammatũ, maxime circa initia. Deinde ubi hæc maiora fiunt, sequuntur melancholica symptomata. Et hæc leuantur concoctionibus, aut excretionibus, aut flatibus pluribus, aut uomitibus, aut ructibus. Nullo uero ex his, aut omnino paucis ex ipsis cõtingentibus, signa melancholica apparentia cerebrum primariò affici indicant, ex atrabiliario humore. Si uero aliquando flauæ bilis nimium assatæ, mutatio in

atram

A atram fiat, insaniam, maniam appellatam, inducet: in qua ferino modo fu- *Insania*
riunt, adeò ut eos qui minus prouide cum ipsis conuersantur interficiant.
Curatio. Eos igitur qui ex primaria cerebri affectione melancholici
sunt, per balnea assidua, & boni succi ac humidum uictum curare oportet,
unà cum conueniente animi iucunditate, citra aliud auxilium, ubi nondũ
ob temporis longitudinẽ, humor affligens difficulter euacuari potest. nam
si contra habet, fortiores & magis uariegatas medelas adhibere oportet.
Purgare igitur ipsos conuenit ab initio, epithymo, aut aloë. Horum enim *Aloë usus quo-*
etiamsi modicũ singulis diebus acceperint, maxime prodest, & leniter sub- *tidianus*
ducit. Purgatione igitur facta, uelut dictum est, absinthium dandum est, ita *Absinthij*
ut modo herbã in aqua maceres & coquas, & inde cyathos duos exhibeas: *potus*
modo succi drachmæ dimidium aqua liquefacias, ac assiduè præbeas. Sed
& aceti acerrimi parum insuper sorbeat dormitũ iturus. pleraq; etiam ob-
sonia in hoc tincta edat. præstat autem aceto ammixtam esse scillam, & po-
lium, & tenuem aristolochiam. At uero ubi in incipientem morbum pro-
pter totius corporis consensum, uelut dictum est, incideris, & corpus fuerit
compactum, omnino à uenæ sectione incipiendum est. post sectam autẽ ue-
nam, refectis uiribus deorsum purgare oportet, per cucurbitam syluestrem,
& per ueratrum nigrum, medicamento dato. Sed & hæmorrhoidum ora a-
periemus, & menses proliciemus, si ob horum suppressionem affectio fue-
rit oborta. Commodæ sunt etiam urinam cientes facultates, & sudorũ pur-
gationes. Si uero ob præcordiorum afflictionem constiterit affectio, etiã
horum curam habere oportet, & fouere ipsa irrigando, rutæ, anethi, absin-
thij, pulegij, seminis uiticis, & baccarum lauri decocto. Nam hæc & dolo-
res mitigant, & flatus minuunt. Coquantur autem in oleo, & imponantur.
Habeant etiam horum cataplasmata, ea quæ ad flatus faciunt, apium, aut a-
nisum, aut cuminum. Nec malum est & cyperum, & iridem, & rorem mari-
B num, in cataplasmata addere. Sinenda uero sunt hæc, ut diu incumbant, e-
tiam per diem, & ubi cibum accepit, & ubi ieiunus adhuc est. Postquàm au
tem detraxeris, aliud operimentum, lanam latam imponito. Sed & cucurbi
tis utere, ad flatus quidem, leuibus: ad dolores uero & inflammationes sca-
rificatione facta. Cæterùm curationi attendendo, neq; sinapis obliuisce-
re, utereq; etiam acribus smegmatis, & dropacibus, & in dorso, & ad uen-
trem. In inueteratis porrò optimũ auxilium est purgatio ex ueratro per uo-
mitum. Victus autem omnibus melancholicis boni succi, & moderate hu
midus conuenit, ita ut uitent bubulas ac ceruinas carnes, & lenticulam, & *Atram bilem*
brassicam, & cochleas: uina item crassa ac nigra, & in summa, omnia quæ *generantia*
atram bilem generant.
Curatio insaniæ. Insanientes quoq; similiter ueluti melancholicos cu-
rabimus. priuatim uero horum capiti rosaceum, & acetum ac rosaceum ad-
hibebimus. Et uena ipsis secta, per picram antidotum purgabimus. Hirudi-
nibus quoq; ad caput utemur. Maxime autem ipsis prodest hippomarathri
radix ac semen, si in aqua bibantur. Bryoniæ item radicis drachma una cũ
aqua quotidie. Si uero delyrantes ad purgatoria medicamenta bibenda in-
duci nequeant, ammiscenda sunt ipsa latenter, quandoq; edulijs ipsorũ, ni-
mirum buccellis, aut caricis, aut palmulis: quandoq; etiã potibus. præ om-
nibus uero aut uinciantur in lecto, ut ne mali quippiam faciant sibijpsis, &
his qui ad ipsos accedunt: aut intra sportam cancellatim textam cõclusi, in
lecto ex alto suspenso, in altum attollantur.

De incubo. *Caput* XV.

EPhialten id est incubum, aliqui à uiro nominatum esse dicunt, aut ab eò *Ephialtes*
quòd hi qui in hac affectione constituti sunt, aliquem sibi insilire ac in-
cumbere imaginantur. Themison autem decimo epistolarum libro Pinga- *Pingalion*
lionem id est Suffocatorem nominauit, à suffocando uidelicet nomine im-
posito. Consistit autẽ circa crapulosos, & assidua cruditate laborantes. His

uero qui in hac affectione constituti sunt, adest æger motus, & torpidus sensus in somnis, suffocationis imaginatio, & uelut irruente aliquo oppressio, cum exclamandi impotentia, aut uociferatione nihil significante. Quidam uero imaginantur etiam audire se eum qui in ipsos irruit, & Venerem appetere, uerum fugere, digitis ad appræhendendum contractis. Cauendum igitur est malum ab initio. Nam ubi diu durat, assiduè nocte irruens, magnos morbos, syderationem, aut insaniam, aut comitialem denunciat, ubi ad caput feratur causa. Quæ enim comitiales interdiu, ea incubo oppressi dormientes perpetiuntur. Oportet igitur uenam secando, & purgationes adhibendo, totum affecti corpus euacuare. Maxime autem opitulatur his ueratrum nigrum drachmæ unius pondere, si scammoniæ obol. III. ammisceas, & quædam odorata, anisum, daucum, petroselinum. Sed & ex cucurbita syluestri hiera magnopere auxiliatur. Est autẽ Rufi. Victus sit tenuis, & flatuosa uitare oportet. Opitulatur ipsis & pæoniæ semẽ: ex eo uero quindecim grana nigra cum aqua trita, assiduè bibenda dato.

Incubus nocturnus comitialis morbus

Hiera Rufi

De Lycaone, aut Lycanthropia. Cap. XVI.

Lycaones Lycanthropi

QVi lycanthropia corripiuntur noctu exeunt per omnia lupos imitantes, & ad diem usque circa monumenta uersantur. Cognosces autem ita affectum ex his signis. pallidi sunt, & obscurè uident, & oculos siccos, & linguam siccissimam habent, & saliua ipsis omnino non prodit. Sunt etiam siticulosi, & tibias eo quòd frequenter impingant, incurabiliter ulceratas habent. Ac talia quidem sunt signa. Verum nosse oportet melancholiæ speciem esse lycanthropiam: quam curabis tempore accessionis uenam secãs, & sanguinem usque ad animi deliquium uacuans, & boni succi cibis ægrum nutriens. Vtatur etiam balneis dulcibus. Deinde lactis sero ad triduũ usus, etiam purgatione per hieram ex colocynthide iterum atque iterũ utatur. post purgationes autẽ, theriaca quoque è uiperis utetur, & reliqua quæ de melancholia dicta sunt adhibebis. Inuadẽte uero iam morbo, irrigationibus somnũ inducere solitis uteris, opio quoque nares illinẽs dũ ad somnũ se cõuertũt.

De amantibus. Caput XVII.

Amoris affectio

Cura quid sit

AD cerebri affectiones etiam amores adiungere, nihil absurdi est, quum curæ quædam existant. Cura autem animæ affectio est, ratione in motu delassante constituta. Comitantur autem amantes hæc, Oculi caui sunt, & non lachrymantur, uerũ apparent uelut uoluptate sint repleti. Et palpebræ ipsis frequenter mouentur: & quum reliquæ corporis partes non collabantur, soli oculi in amantibus contrahuntur ac concidunt. Pulsus autẽ amantium proprius nullus est, uelut quidam arbitrati sunt, sed qualis est curiosorum. Vbi uero eius quod amant recordatio incidit, aut per auditum, aut uisum, & præsertim derepente, tunc anima turbata, pulsus alterari contingit, & neque æqualitatem secundum naturam, neque ordinem conseruare. Hos igitur tristes & uigilantes, quidam ignorantes affectionem, illuuie & quiete, & tenui uictu consumpserunt. Verum sapientiores comperto amore, ipsos ad balnea, & uini potum, gestationesque ac spectacula, & ad audiendas fabulas animũ ipsorum abducunt. Quibusdam uero etiam timorem impendere oportet. Nam qui semper amori uacant, ægrè desinentem affectionẽ habẽt. Oportet igitur & contentiones aduersus aliquos excitare, pro uitæ à singulis delectæ proposito, & in totum ad alias curas rationem transferre.

De syderatione, semisyderatione, siue resolutione. Cap. XVIII.

Syderatio

Semisyderatio

Resolutio

COmmuni neruorum principio affecto, quum ex hoc omnes corporis partes simul & motum, & sensum amiserunt, apoplexia id est syderatio appellatur affectio, ita ut simul etiam principales actiones læsæ sint. Si uero circa alteram partem obturatio fiat, semisyderatio & resolutio uocatur. At si circa unam aliquam partem læsio constiterit, illius partis affectio dicetur. Itaque Hippocrates ait, syderatum ipsi crus fuit. Seruatur igitur in syderatis breuis quædam respiratio, quæ si multum à naturali actione euariauerit,

maximam

maximam affectionem inducet. Sin parum, breuem. pessima uero est quæ intermittit, sed etiam cum magna uiolentia contingit. Constituitur autem affectio aceruatim, frigida pituita principalissimos cerebri uentriculos implente. Si uero medullæ spinalis principium totum ita affectum fuerit, omnes infra faciem partes resoluentur, ipsa illæsa manente, eo quòd sensum & motū partes quæ in ipsa sunt, à cerebro accipiunt. Si uero ex dimidia parte, semisyderatio illarum partium oboritur. At si olfactus patiatur, aut anterioribus cerebri uētriculis intemperiem adeptis, aut meatibus in ossibus, quæ instar coli sunt, obturatis, talis affectio contingit. Syderati itaque iacent sine uoce, sine motu, sine sensu, absque febre. præcedit affectionem, capitis acerua tus & acutus dolor, & uenarum iugulatium eleuatio, & uertigo, & splendores oculis obuersantes, & extremarū partium frigiditas præter rationē, palpitationesque totius corporis, & æger motus, & dentium stridores inter dormiendum. Minguntque uelut æruginosa, & nigra pauca, & farinæ crassæ similem subsidentiam habentia lotia. Contingit autem affectio circa ætatē senilem, pituitosioribus temperamentis, & tali uictu usis. Si uero quandoque in iuuentute, & tempore æstatis oborta fuerit, magnam necessitatē indicat. *Dentium stridores inter dormiendū*

Curatio. Syderationis affectio nunquam, aut raro curatur. præsentem enim mortem minatur. Si uero etiam soluta fuerit, plerunque cum partis alicuius corporis resolutione discedit. Eis itaque qui quomodocunque curari possunt, statim uena secanda est, & si remissionem aliquam habuerint, repetita sectione detrahere sanguinē oportet, eadem aut sequenti die. Ventrē quoque acri infuso per clysterem subducere, muria ac melle permixtis. Deinde oleo multo sulphurato totum corpus illinatur. Et caput oleo chamæmelino, aut anethino, in quo coctum sit spondylium, aut calamintha. Instillanda est quoque aqua mulsa. Et odoramenta adhibenda, opopanax, sagapenum, galbanum, aut castorium. Oportet etiam ore uiolenter aperto, digitū aut pennam immittere oleo imbutam, ad eijciendum ea quæ in ipso hærent. Perungenda etiam est sedes his quæ flatus educunt. dandumque acetū mulsum, aut aqua mulsa in potu. Vtemur item pituitam per os detrahentibus, ex thymo aut origano coctis in aceto. Remissione uero cōtingente, tenerum & succulentum, & quod facile distribui possit, cibum exhibebimus. At uocis priuatione permanente, & uiribus permittentibus, etiam cucurbitas occipiti affigemus cum scarificatione, & si fieri possit etiam præcordijs. Deinde gestentur sella, aut lectica, aut pensili lecto. Frequētius etiam adhibenda sunt sternutatoria, & pituitam per os detrahentia. Post diem decimumquartum ad reliquas gestationes perducemus, & uocis ac loquelæ curā habebimus, & ueterem fauorum cremorem dabimus, cum micis panis, aut alica. Et postea dandum est etiam modicum de hiera. Post uigesimam primam diem ad balneum ducemus, & uinum uetus bibendum dabimus, calida aqua instillata. Et de cætero per balnea & unctiones faciemus refectiones. Degant autem si id fieri possit, in maritimis locis. *Syderatio est incurabilis* *Oleum sulphuratum* *Vocis priuatio*

Curatio resolutionis. At si resolutio fuerit partium omniū, aut aliquarum, citra principalium actionum affectionem ac læsionem, etiam hic molestantem humorem euacuare oportet, qualiscunque tandem fuerit. Deinde danda hiera, quæ & castorij partem habet, initio facto à dimidia drachma, cum pauco melle & aqua calida dissoluta, aut per se, aut piperis scrupulo dimidio addito, deinde quatuor diebus interpositis exhibeatur drachma perfecta: & postea sesquidrachma, deinde duæ & tres. Et rursus totidem diebus interpositis dentur drach. IIII. si modo æger sumere possit, adiecto mellis cochleario uno. Ipsis autem partibus imponere oportet medicamenta quæ dam discussoria, una cum his quæ rubificare possunt, adiecto ad hæc castorio, aut pipere, aut pyrethro, aut rosmarini semine, aut euphorbio. Ad hæc prosunt irrigationes ex oleo rutaceo, aut sicyonio, aut ueteri. Cibi sint frumentacei, sorbiles, aut alioqui concoctu faciles, & non recrementicij. Cucurbitæ *Resolutionis curatio*

curbitæ affigantur partibus resolutis, si multæ fuerint, particulatim: si paucæ, uni. A Post cucurbitas cataplasmata conueniunt ex pice, aut resina, aut manna thuris. Optime uero facit artemisia simul cocta, & calamintha, & conyza, & nitrum. Ammisceatur & aquæ parum, quæ & ipsa in coctura consumatur. Aluus rursus subducatur per aloën, aut polypodium, aut scammoniam, aut per pultem ex colocynthide. *Puls ex colocynthide* Fiant etiam pingues illitiones ex oleo uetusto, in quo scilla inueteratur ad dies quadraginta ad solem. Si uero hoc non adsit, coques in oleo scillæ sextantem, & illines. Aut rorismarini semine similiter præparato utere, & ceræ unciam adde, ut ne diffluat. Quod si etiam galbani, castorij, euphorbij, adarces, & nitri, singulorum semuncia addetur, medicamentosius reddetur. Commodat etiam exquisitè batrachium herba, si in oleo cocta ad solem inueteretur. potiones conueniunt, castorij drach. I. opopanacis magnitudo fabæ deglutita. Mirificè facit & sagapenum erui magnitudine in aqua mulsa. Et castorium cum opopanace. Et succi cyrenaici milij magnitudo. Prodest & ex tribus piperis generibus antidotus. Vtemur etiam acopis calefacientibus, & pituitam per os detrahentibus. post decimumquartum diem, solidiorem uictum exhibemus. Et multa oboriente utilitate, ad balneum ducemus. Post trigesimum, dropacem adhibere conuenit, & ad balneum ducere, & de cætero cataplasmata ex sinapi imponere, ita ut in his quibus & motus, & sensus perijt, attendamus ne nimium adurantur, eo quòd sensum non habent. In his autem qui sensus participes sunt, rubificationes solum adhibere oportet. Verum postquàm intumuerint, ad balneum ducere oportet, & ceratis mollibus curare. Sed & à uena uomitu utantur, & à radiculis præsumptis. Gestentur quoque sella, aut curru, qui manibus aut iugo trahitur. de cætero uero ad naturalia balnea ducantur. Victus autem conuenit siccior, & modicus potus, *Siccorum esus* & frictio. Siccos itaque cibos edant, & sitim quantum possunt ferant. B

De resolutis per laxationem, aut distentionem.

Quandoquidem partes resolutæ aut conuelluntur, aut laxantur: & hoc aut à repletione, aut ab euacuatione, rursus attentione opus est, quando sanguinem detrahere oportet, & quando non Et deinde in laxatis, adstringẽtia ad laxantia ammiscere, & frictionem intentam facere. In contrarijs autẽ, laxantibus solum uti, unà cum hoc ut molliter fricemus. Habeat autem oleũ in laxatis, parum nitri, & fecis uini ustæ tritæ additum. perfundantur autẽ uehementer aqua calida, & maxime marina, in qua coctæ sint lauri baccæ, *Natationes marinæ* aut uiticis germina, aut sampsuchus, aut tale quippiam. Si uero æstas sit, natent etiam in mari. Rubificationes autem his maxime conueniunt. Proinde cædantur etiam partes ferulis, aut urticæ ramusculis. Si uero permaneat resolutio, carnem inter articulos mediam laxatam attrahere oportet, & cauterijs paruis ac tenuibus transmissis urete. Contractis autem partibus assiduè dropacem imponere oportet.

De resolutione in singulis partibus consistente.

Nerui diuisio incurabilis Resolutio partium quæ ex nerui diuisione cõtingit, incurabilis est. Quæ uero ex intemperie, aut humore aliquo oboritur, in cõmuni quidem ex relatis remediorum facultatibus opem sentit. Sunt autẽ & propriæ quædam ad singulas ex ipsis, quas subijciemus. *Canina conuulsio* In his igitur qui canino modo cõuelluntur, maxillam in contrariam partem per capistri deligaturam reduces. *Capistri deligatura* Conuenit & sanguinis detractio à uasis sub lingua, & cucurbitæ primo uerticulo affixæ, & pituitam per os detrahentia, & purgationes per narium infusa. Nosse igitur oportet non eam maxillam quæ distorta apparet, resolutã esse, sed oppositam. *Deglutitio resoluta* At si deglutitio resoluta est, cucurbitas mento affigere oportet, & medicamenta illinere ex castorio, & sagapeno, ac succo parthico. prodest & acrium gargarismus. *Lingua resoluta* Si uero lingua resoluta est, secandæ sunt in ipsa uenæ, & cucurbitæ mento affigendæ, & apophlegmatismis ex sinapi utendũ, & exercitijs linguæ. Quod si uocis instrumenta resoluta

sunt,

Vocis instrumẽta resoluta. Supercilia resoluta. Vesica resoluta.

A sunt, thoraci adhibere auxilia oportet, & spiritus detẽtione, ac uociferatione uti. At in superciliorum, aut palpebrarum resolutione, unctiones similiter prosunt. Ad finem uero etiam sutura sursum uersus. Si uero uesica resoluta est, siue supprimantur urinæ, siue inuoluntariò excernantur, pectini & intercapedini inter anum & scrotum, medicamenta adhibeantur. In sedem uero oleum rutaceum infundatur, aut sicyonium cum butyro, & castorio ac galbano, aut opopanace, aut silphij succo. Sed & in uesicam transmissa hęc per colem, magnifice profuerunt, aut etiam sola suffecerũt. Quin & ex centaurio ac colocynthide in intestinum infusa per clysterem, cum oleo sicyonio commoda sunt. Commodant etiam urinam cientia in potu, & castorium similiter. Et præ omnibus, catheteris instrumentum immittendum est, in his qui nihil urinæ emittunt, & insessus, & cataplasmata ex laxantibus adhibenda. In his autem qui inuoluntariè excernunt, astringente ductu utendum est per corroborantia auxilia. Cibis uero siccis, & aquæ frigidæ potu. Verum in refectionibus, etiam rubificationibus, & naturalibus balneis frigidis utantur. At uero eos qui in spina resoluti sunt, ex uulnere, aut casu, aut luxatione uerticuli, si letalium signorum concursiones adsint, curare impossibile est. Si uero coles resolutus fuerit, his quæ ad uesicam relata sunt utendũ est, & ad easdem partes, & ad lumbos. Insuper autem & tentiginem cientibus utemur. Incõmodum his est lac, caseus, & reliquæ placẽtæ, lactucæ item, ac reliqua olera. Recto porrò intestino resoluto, in quo aliquando inuoluntariò stercus excernitur, aliquando supprimitur, ijsdem utendum est, & quandoq; per clysterẽ immittenda, nunc ea quæ adstringunt, uelut est cupressi, lentisci, rubi decoctum: nunc ea quæ laxant, uelut est adeps suillus, & anserinus, & oleum maluæ: interdum autem mordentia, uelut est muria, aut colocynthidis, aut similium decoctum. Nihil enim ita ad motus prodest, uelut uaria moliri. Si uero frigiditatem sentiant,
B etiam acopon ex euphorbio oleo dilutum per clysterem immittatur. Cæterum artus resoluti, cum communi curatione, flectantur, ac fricẽtur, & extendantur iuxta relatum modum. Plurimum enim spei in frictione sitũ est.

Catheter instrumentum. Spinæ resolutio. Coles resolutus. Intestini recti resolutio. Artus resoluti.

De resolutione ex colico morbo oborta.

Colicus morbus temporẽ Pauli.

Nostra ætate colicus quidam morbus homines uexauit, in quo absoluta motus priuatio in artubus consequebatur, & maxime in his qui superstites euasuri essent. Verum sensus tactus illæsus conseruabatur, uelut uerisimile est, iudicatoria quadam transitione ex alto contingente. Vnde sua sponte redijt plerisque motus temporis progressu. Qui uero difficilius curari potuerunt, his simpliciores ex relatis illitionibus profuerunt. Præcipua uero ad ipsos comperta sunt acopa, & id quod ex populo nigra fit, & quod ex abiete paratur. Multis uero etiam corroborantia, & moderatè frigefacientia magnopere profuerunt.

De conuulsionibus. Caput XIX.

Conuulsio

AD tractationem de resolutione, de conuulsionibus sermo consequitur, eo quòd ambæ neruorum sunt affectiones. Quapropter etiam de tremoribus consequenrer dicetur. Quum igitur ab initio, aut non longè post initium morbi, exorsæ fieri conuulsiones permanent, ex repletione generationem habent. Quum uero post sudores multos, aut uomitus, aut alui egestiones, aut sanguinis eruptiones, aut uigilias, aut famem, aut motus multos & uehementes, ob euacuationem fiunt ac consequuntur. Et ubi aliquẽ sanum derepente conuelli contigerit, necesse est à repletione fieri. Si uero ex febribus ardentibus resiccatum fuerit totum corpus, & nerui: & deinde ob siccitatem conuulsi fuerint, maximum hoc malum est, & ferè incurabile. Primum igitur delegare oportet partes, quæ contrahuntur ita ut cedant, & inordinatis resistere motibus, defricareque oleo rutaceo, aut sicyonio, aut ueteri, aut aliquo huiusmodi, & aquam mulsam præbibendam dare. Et qui quidem ob euacuationem conuelluntur, oleo, aut

aqua & oleo calido perfundendi sunt. Nulla aũt re prohibente, etiã ad balneũ abducemus, tẽperatoq; solio utemur, cum oleo ac frictione mollissima. A Nutriemus ipsos sorbitionibus ex chondro & alica, & uinum tenue, aquosum, & quod facile distribuitur dabimus, præterquàm si febriant: tũc enim ptisanę succo utemur: & somnum conciliabimus. At uero conuulsiones ob plenitudinem, aut inflammationem obortas, curabis plenitudinẽ euacuando, inflammationem autem proprijs ipsius auxilijs persanando. Fit etiam

Conuulsio ex uehementi uomitu conuulsio quum uomentes uehementius lancinantur. Opitulatur autẽ conuulsis acanthij radix, & spinæ albæ semen potum, itemq; spinæ Aegyptiæ. Sed & centaurij tenuis succum quidam bibendum dant, quum ob repletionem conuulsio contingit. Non solum autem bibendum dato, sed etiam forinsecus ad cutem illinito castorium cum oleo sicyonio. Si uero non sedetur, cucurbitas affigito cum scarificatione, si quidem crura cõtrahantur, ad coxas & ultimũ uerticulum: manibus autem conuulsis, & dorso, & primo ipsius uerticulo, & ei quod humero superincumbit. Si tamen toto corpore ab affectione immuni, labium contrahatur, aut palpebra, aut lingua, graue symptoma putandum est, & quod magnos timores afferat, etiamsi affectæ partes paruæ esse uideantur. In his igitur detractiones sanguinis ab occipitio, & à primis uerticulis faciendæ sunt.

De tetano, id est distentione, eiusq; differentijs. Caput XX.

Tetanus TEtanus quum & ipse conuulsio quædam sit, uelut compactis corporis, & maxime spinæ musculis obortitur, ex frigido humore intrinsecus ac forinsecus concreto. Vnde affecti neq; seipsos flectere possunt. Verum quũ

Emprosthotonos in anteriorem partem corporis, partes tendũtur, affectio Emprosthotonos appellatur: quum in posteriorem, opisthotonos. *Opisthotonos* Vbi uero æqualiter in utranq; partem tenduntur, tetanus affectio nominatur. At pelops has affectiones tentionem & distentionem esse dicit musculorum ac neruorum circa collum, per quos inclinatio, & nutus, & conuersio capitis contingit. Ve- B rum si circa posteriores colli musculos consistat affectio, opisthotonos ex contingente: si uero circa anteriores, emprosthotonos: si circa utrosq;, tetanus appellatur. Causam autem repletionem esse dicit musculorum, ex spiritu & aëre crasso ac nebuloso. Dicit autem frigidũ ualdè ipsum esse ac congelatum, & propterea ægrè mobilem. Vnde non sicca potius his fomenta, sed humida conuenire. Atq; hæ quidem sunt tetani differentiæ. Cæterùm

Febris commoda curatio communis quædam est, & iuxta has differentias non euariat. Optimum igitur omnium auxilium ipsis est febris insuper accedens, quæ ab initio non fuit. Signa horum sunt respiratio suspitabunda, & pulsus rarus ac

Risus Sardonius paruus. Et quandoq; etiam risus Sardonius ipsis cõtingit. Et rubor in facie est, & oculi ipsis in mole maiore apparent. Et aut omnino non mingunt, aut uelut aqua ipsis emittitur, aut urina subcruenta, bullas quasdam habens. Et aluus resiccatur, & uigilantiores sunt, & præ conuulsionibus sæpe periclitantur ne ex lecto excidant. Et quandoq; etiam singultire incipiunt. Et dolent alij caput, alij scapularum nexus, & lumbos. Quidam ex ipsis etiam tremuli fiunt. Facit porrò affectionẽ, quanquam raro, etiam lassitudo, & humi dormitio, & grauis oneris eleuatio, & casus, & uulnus, & ustio & plaga, & alia quæ eandem læsionem neruis inducere possunt. Curare uero ipsam oportet uelut conuulsiones ex euacuatione obortas.

Curatio tetanorum. Qui tetanica distentione conuelluntur, in principio uenæ sectionem adhibeant, & partes lanis oleo imbutis tegant, sicyonio, aut castorio cum oleo ueteri. Aut etiam uesicam amplam oleum calidũ habentem tendinibus imponant, & cucurbitas cum scarificatione. Nam leues noxiæ sunt. Affigantur autem & ceruici, & utrinq; ad spinam, & musculosioribus pectoris partibus, & præcordijs, & ad uesicæ ac rhenum locum. Nec parcè detrahendum est, ita tamen ut non aceruatim detrahamus, sed particulatim. Sudores autem lanis oleo imbutis excipere ac abripere oportet,

A tet, ut ne latenter nobis non animaduertentibus perfrigerent. Si uero diuturnus fiat tetanus, bis in die in olei solium demittantur, non tamen in ipso moram trahant. Nam olei solium, maxime uires exoluit. In potu danda est aqua mulsa tepida ad dimidias decocta, & panacis drach. I. robustis, sin minus, obol. III. aut minimum obol. I. Nam quòd stomacho incommodat, id in ipso quis uereri possit. Dandum est & ammoniacum, & succi cyrenaici erui magnitudo, cocto melle oblita deuoretur: & radicis silphij cochlearia II. tribus aquæ mulsæ cyathis inspersa dantur, aut cum ipsius decocto. Aut myrrhæ drach. I. ex aqua mulsa, aut hyssopi decocto. Minime omnium uero offendit, & efficacissimum est, ut demus castorij cochlearia II. aut III. diuisa ipsius copia. Non enim offendet etiamsi post cibũ ex ipso dederis. Sed & ipsum potum, & reliqua, lente ac paulatim accipiant. Nam quũ difficulter degluriant, in nares potum relidunt, unde uehementer lancinati ad conuulsionem irritãtur. Sedes oleo rutaceo cum opopanace illinatur, & eadem per clysterem immittantur. At uero frigidæ affusionem, uelut Hippocrates dicit, quum maxime temeraria sit, & propterea à posterioribus damnata, etiam nos reprobamus. Vngentum. Nardini sextar. I. ceræ sextantem, folij, amomi, styracis, mastiches, singulorũ unc. I. castorij, adarces, euphorbij, piperis, singulorum unc. I. spicæ nardi, opobalsami, singulorum unc. I.

Solium olei

Frigidæ affusio Hippocratis

Potio ad opisthotonicos. Radicis panacis, piperis albi, costi, myrrhæ, succi papaueris, singulorũ æquales partes, dato araci magnitudine ad somnum. facit & ad recta ceruice spirantes. Sit porrò uictus his attenuãs, & qui facile coqui ac distribui possit, & penitus sine recrementis.

De tremoribus. *Caput* XXI

Tremoris causæ

TRemor in uniuersum quidem ob neruorum debilitatem fit. Hoc autem testatur senilis ætas. Verum particulatim multæ causæ hunc efficiunt. Nam & ob frigidam fit intemperaturam, & ob frigidæ aquæ potum, & præ-
B sertim in febribus intempestiuè acceptæ. Insuperq; ob frigidorum ac uiscosorum humorum abundantiam, & ob copiosiorẽ uini usum. Qui igitur ex delictis palàm tremunt, ab his quæ læserunt abstineant. perseuerante uero tremore in febribus, primum totum corpus oleo sabino irrigetur. Verum in accessionum remissionibus, uetusto aut sicyonio. Extremæ uero partes præillitæ, lanis mollibus integantur. deinde affigantur cucurbitæ, à primo uerticulo usq; ad spinã & lumbos, intectis antea partibus unà cum præcordijs, cruda ordeacea farina. Tegantur autem & hæ partes lanis ueteri aut sicyonio oleo imbutis. Si uero diuturnæ fiant febres, alternis diebus in olei, aut aquæ & olei solium insideant, & mollibus frictionibus utantur. Si uero affectio prorogetur, & frigiditas sit suspecta, aqua mulsa cum castorio præbibenda detur, & calidis locis gestatio fiat. Cæterũ cibum qui facile concoqui ac distribui possit dabimus, primũ sorbilem, postea etiam uolucres, & pisces mollis carnis. Solutis autem febribus lauent, ita ut frigidæ solium, & uini potum uitent. At si crassorum ac uiscosorum humorum copia fuerit, secantibus & attenuantibus utendum est: quale & hoc est, rutæ ramulorum, spondylij, singulorum quantum tribus digitis præhendi potest. castorij, nitri, singulorum obol. II. Dato quotidie cochlearium unum cum aceto mulso, ad triduum ieiunis. Aut panacis & piperis, singulorum grana V. in aquæ mulsæ cyatho uno bibendo præbe. Simplicia uero quæ tremulis præbibenda dantur prosunt hæc: castorium, leporis cerebrum in cibo, althææ radicis decoctum, damasonij foliorum drach. IIII. in aqua mulsa, eupatorium cum aqua. Si uero prædominetur frigiditas, etiam zosimi ungento, & acopis ad resolutiones descriptis, & unctionibus ac rubificationibus utemur, exercitijs item ac defrictionibus. Eos uero qui ob uini potum tremũt, à uino abstinere oportet, donec penitus liberentur.

Damasonij folia

De oculorum morbis, & primum de dolore, ex Galeno. *Cap.* XXII.

Oculorũ morbi ac affectiones uariæ

QVum dolores uehemẽtiores in oculis fiunt, considera ex quanam affe-

ctione

ctione oculum dolere contingit in inflammationibus. Aut enim eo quòd mordentur uehementer ab influentium acrimonia: Aut quòd repletæ tunicæ tenduntur: aut propter crassorum humorum, aut spirituum flatuosorum intensionem, dolores uehementes in ipsis fiunt. Morsus itaq; per purgatoria uacuando curare oportet, & oui candidum infundendo. Concocta uero iam inflammatione, & corpore à superfluitatibus libero, conuenientissima his sunt balnea. At inflammationes ob repletionem, & per sanguinis euacuationem, & per uentris subductionem, & infernarum partium frictionẽ, curare conuenit. Intensiones autem, toto corpore præeuacuato, & humorum momento deorsum reuulso, consequenter localibus discussorijs curandæ sunt. Fomenta igitur ipsis adhibere oportet, & fœni græci decoctum infundere. Verum in quibus intensio est sanguinis crassi in oculorum uenulis, citra plenitudinis affectionem in toto corpore, his uini potu utendũ est, quod & percalefacere potest, & euacuare, & obturationes reserare. A

De turbatione, & ophthalmia, id est lippitudine, proprie appellata.

Turbatio oculorum Turbatio quidem humiditas est oculi, & caliditas cum rubore præter naturam, quæ non ex corpore, sed ab aliqua forinsecus causa contingit, uelut à sole, fumo, puluere, uento. Quare etiam citissime soluitur, dum causa *Oculis inimica* summouetur. Est & lippitudo quædam perturbatio, non solum forinsecus, sed etiam citra manifestam causam oboriens, & permanẽs usq; ad tertium, *Lippitudo* aut quartum, aut quintum diem. Curatur aũt facillime, forinsecus irritantiũ custodia, pauci cibi usu, aquę potu, deambulatione, & facili alui solutione.

De inflammatione.

Inflammatio oculorum Si uero inflammatio relicta fuerit in oculis, post totius corporis euacuationem, sublitionibus utendum est, per ea quæ humorum allationem repellere possunt, & irritationem mitigare. quale est collyrium Nili ex rosis, aut etiam Chiacum, & Nardinũ. Inflammata uero tunica agnata, collyrijs monohemeris ab unius diei usu appellatis utendum est, cum oui candido infusis. Postridie si non inflammatio intendatur, nardinum illinatur. Fomento uero utendum est ex decocto meliloti ac fœni græci. Quòd si crassus sit humor qui lippitudinem facit, medicamentis utemur quæ neq; meatus obducunt, neq; humores crassos faciunt, sed diffundere, & humectare, ac excernere possint, uelut est collyriũ Chiacũ. Si uero circa caput impacti sunt humores, cucurbita occipiti affigatur, ac scarificatio fiat, aut hirudines fronti adhibeantur ad dolentem oculum. Et cataplasma fiat ex pane puro aqua madefacto, cum modico rosaceo: aut ex polenta in capitum papaueris decocto cocta, eodem modo. Sed & efficaciore utendum est cataplasmate, ex croco, & meliloto, & palmularum carnibus, & coriandri folijs teneris, & ouorum uitellis assatis, & micis panis sapa madefactis, & modico rosaceo, contritis his in papaueris capitum decocto. Sed & papaueris semẽ aliquando ammiscemus, doloris sedandi gratia. Si uero magna sit doloris necessitas, etiam opij minimum quiddam ammiscendum est. Verum citra maximum dolorem, reprobanda sunt quæ torpefaciũt. At si moderata fuerit inflammatio, aloẽ per se, aut aqua, aut oui candido dissolutũ illine. Quo uero etiam parato sit auxilium. Croci drach. VI. aloës drach. XVI. gummi drach. IX. aqua pluuiali excipe, & collyria effinge. Quin & ex croco diacroca appellata collyria, ad lippitudinum initia commoda sunt. At in quibus tumor est laxus & exalbidus, & circa palpebras, & circa tunicã agnatam, citra tunicarum læsionem, bene faciũt & liquida uocata collyria, quæ ex croco, & atramento sutorio, ac melle parantur. Sed & hoc optimũ est. B

Diacroca collyria

Collyrium liquidum dolorem eximens.

Melanteriæ coriariæ, mellis Attici, succi fœni græci, æquales singulorũ partes, coquito ad spissitudinem mellis, deinde per specilli nucleum sine caput summum ambos angulos continge.

Ad flu-

A

Ad fluxionum allationem impetuosam.

Fluxiones in oculos impetuosæ

Ad fluxionum impetuosas allationes in principio conducit inedia, & aquæ potus, & præ omnibus Veneris abstinẽtia. Et aluus subtrahatur, & posca aquosa facies proluatur, maxime si feruens fuerit fluxio: Sin minus, atramento sutorio cum melle, frons & palpebræ illinantur. Quidam uero atramentum sutorium aqua dilutum proluendum exhibent. Verum in his qui absq; inflammatione fluxione infestantur, aut cum inflammatione, tamen ut supra caluariam structura affectionis consistat, agglutinatorijs utendum est in fronte, simplicibus quidem, uitis folijs uiridibus, aut rubi succo, aut portulacæ, aut malorum cotoneorũ succo, cum tenui polenta, aut galla trita cum uino, ac tenui polenta, aut cicuta, aut psyllio eum aqua, aut solano, aut cochleis unà cum testis tritis impositis à tempore ad tempus: & in summa adstringentibus & perfrigerantibus. Compositis autem his. Pollen tritici, & myrrha, aut thus, cum oui candido illinatur. Aut samia terra cum myrrha, & manna, similiter cum oui candido. Verum in frigidioribus fluxionibus, sulphuris uiui, bituminis, picis, colophoniæ, singulorum drach. II. Musæ item pastillus, & Aster, & consimiles probe repellunt. Et theriaca uino adstingente diluta, & fronti illita, frigidas fluxiones sistit. Hęc tamen etiam pota magnifice his prodest. Supra ipsum uero oculũ, lanam, aut linteum tenue oui candido imbutum impone. Et caseus recens similiter oculo impositus, acres maxime fluxiones cohibet. Et collyria sistentia appellata illita, & aquosa instillata, hoc faciunt. Si uero per profundum, & sub caluaria consistat humor, & ad longum tempus extendatur, post uniuersales euacuationes, & errhinis, & apophlegmatismis, ad pituitã detrahendam utendum est, & rasura, & rubificationibus capitis. Verũ in his etiam chirurgias in capite assumunt, uasorum uidelicet dissectionem, & arteriarum sectionem, & hyposparhismum, & circum caluariam incisionem, & ustionem in

B

uertice ad os usq;. Sed & cucurbitæ sincipiti affixæ cum scarificatione, influxionem reuellere possunt. Signa uero fluxionum extra caluariam sunt, distentiones uasorum circa frontem & tempora, & uelut uinculum capitis. Et quòd siccantia agglutinatoria prosunt. His uero non præsentibus, influxione moram trahentẽ, & sternutamentis aliquando uexantibus, sub caluaria humorem esse putandum est.

De Chemosi.

Chemosis

Chemosin dicunt, quum præ inflammatione uehementi, ambę palpebrę euersæ fuerint, ut oculi uix ab ipsis cõtegantur, & candidũ oculi sublimius fuerit quàm nigrum, & rubicundum, & multam nigri partẽ occuparit. Curare uero ipsam oportet uenæ sectione, & medicamento purgatorio, & collyrio ex rosis albo, & spodiaco, cum lacte muliebri, aut candido oui. Eodem etiam oblinendæ sunt palpebræ, & tempora, & frons. Fomentis quoque & cataplasmatis utendum est mitigatorijs. Remittente uero inflammatione illinantur acriora, uelut est uiride ex rosis.

De sugillationibus ac inflationibus.

Sugillatio oculorum

Sugillatio est ruptura uenarũ membranæ agnatæ, ex plaga maxime oboriens. Instillare igitur ipsis oportet sanguinẽ palumbi aut columbæ, aut lac muliebre calidũ modico thure cum ipso trito. Aut muriam instilla, & præsertim quæ est ex Cappadocico sale. Et fomento utere ex decocto hyssopi. Verum ad tumores circa oculos factos ob plagas, facit fomentum assiduũ ex posca, & spongia ex posca incumbens. Medicamẽtum uero illitioni accommodatum hoc est. Lapis specularis ustus, & columbinũ stercus, æquis portionibus uino, aut aceto trita. Cataplasma autem fit ex caseo recẽti, aut raphani cortice, aut uua passa exemptis uinaceis, singulis in posca, aut in aqua mulsa. Eadem faciunt etiam ad inflationes.

Inflatio

Ad inflationes pruriginosas, & scabras lippitudines.

Lippitudo scabra

Inflatio tumor est palpebræ laxus. Scabra uero lippitudo, pruriginosa palpebræ

palpebræ scabies est, ex salso ac nitroso humore oborta. Conuenit igitur ipsis posca, & lentium decoctum, itemq; rosarum, ut his fomenta fiant. Collyrium autem liquidum hoc. Aeris drach. VI. misyos tosti, myrrhæ, singulorum drach. III. croci drach. IS piperis drach. I. uini chij, & passi cretici, singulorum sesquicyathum. coquito ad mellis spissitudinē. Hæc est Erasistrati panchrestos ab omnimoda utilitate appellata, faciens etiam ad anginā, & ulcera in ore, & in pudendo, & ad auriū dolores. Inungant autē & oleo palpebras, ubi dormire uolent. Abstineant ab acidis, & salsis, & acribus.

Panchrestos Erasistrati

De dura lippitudine, & de sicca lippitudine.

Lippitudo dura — *Lippitudo sicca*

Lippitudo dura duricies est, & difficilis oculi motus, cum dolore ac rubore, citra humiditatem. Fouere igitur ipsos assidue oportet spongijs ex aqua calida. Et ad somnū ituris imponere palpebris ouum cum rosaceo, aut anseris adipem, ita ut fugiamus frigida & indurantia. Tegatur autem & ungatur caput, & aluus subducatur. Lippitudo uero sicca, est pruriginosa oculorum affectio, citra fluxionem. Curare oportet ipsam balneis, & unctionibus, & boni succi uictu. In communi uero utrisq; cōueniunt medicamenta acria, ut & lachrymas prouocent, per quas & duricies remittetur, & siccitas humectabitur. Talis autem est & panchrestos Erasistrati, & collyrium diacenteton appellatum, & quod stratioticum uocatur.

Diacenteton collyrium — *Stratioticum collyrium*

De palpebræ euersione.

Palpebræ euersio

Palpebræ euersio contingit, aut ob cicatricem, aut ob nimiam carnē excrescentem. In diuturnis igitur euersionibus ob nimiam carnem excrescentem, æruginem rasam tostam tritam adhibe: aut plumbum ustum & lotum: aut utraq; pariter, æruginem & plumbum admoue. Nam ex cicatrice obortam palpebræ euersionem, si quidem omnino curetur, chirurgia sanat.

De Aegilope & Anchilope.

Aegilops — *Anchilops*

Aegilops abscessus est inter magnum oculi angulū & nasum, qui & rumpitur, & in fistulam abit, si neglectus fuerit, usque ad os ipsum. Priusquàm uero in ulcus eruperit, abscessus, Anchilops uocatur. Bene igitur faciunt glaucium & crocus, si cum perdiciadis succo imponantur. Verum assidue alterare oportet, & ad transmutationem non peruenient. Aliud. Allica cocta in aceto, & probe trita, non solum incipientes, sed etiam in pus transmutatos sanat, & rumpit, & ad os usq; subit. Huius usu non modo Aegilopas, sed & Anchilopas curabis. Aliud. Ruta satiua cum lixiuio protostacto, ex cinere calce adiecta parato trita, cocta ac imposita, ualde probe extirpat ægilopas, & ad os usq; subit, ab initio mordens, postea non item, & quod mirū est, neq; cicatricē indecoram inde ferunt. Aliud. Cochleas cū testis tritas impone, aliquando etiā aloēn & myrrhā ammisce, antea q; in pus ægilops transmutatus fuerit. Sed & post q; ruptus fuerit, ipsum (resiccat.

Perdicias — *Lixiuiū protostactum*

De Trachomate, Sycosi, ac Tylosi.

Trachoma — *Sycosis* — *Tylosis*

Trachoma asperitas intra palbebram est, huius intensio ut uelut incisuras habeat, sycosis à ficus similitudine uocatur. Vbi uero diu durauit & callum contraxit, tylosis id est callositas nominatur. Collyrijs itaq; utendum est, tum eo quod ex uino, tum eo quod ex duobus lapidibus paratur. Sed & ipso hæmatitæ lapide per aquam loto ac subiecto, palpebra confricatur. Quin & Harmation collyriū, cum modico cygnario, aut eo quod ex croco constat, ad hæc etiam scabris lippitudinibus citra exulcerationem conducit, si inuersa palpebra illinatur. Si uero durus sit callus, & his non cedat, inuersam palpebram per pumicem rademus, aut per sepiæ testam, aut fici folijs, aut etiam per instrumentum blepharoxyston ab hac opera appellatum.

Blepharoxyston

De grandinibus.

Grando oculi

Grando lenti humoris circa palpebram concretio est, cui ammoniacum aceto tritum cum galbano illines. facit & terebinthina cerato excepta.

De Ordeolo.

Ordeolum

Ordeolum abscessus paruus est, iuxta palpebræ marginem oblongus.

Oportet

A Oportet igitur ipsum cera alba fouere, aut de musca capite abiecto, reliquū corpus affricare, aut ordei cremore perfundere.

Ad pediculos in palpebris.

Expurgatis prius pediculis, aqua marina tepida proluere oportet, deinde marginem subscripto medicamento contingere. Aluminis scissi partes II. staphydis syluestris partem I. tritis utere. *Pediculi palpebrarum*

De Madarosi, aut Milphosi.

Defluuium pilorum palpebræ hæc affectio est. Post totius igitur corporis curam, smegmatis callibleharis, ab ornandis palpebris uocatis, utere. Aut terræ ampelitidis, croci, celticæ, ladani, singulorum æquales partes tere ac utere. Aliud. Subij tosti loti drach. I. plumbi usti loti drach. IIII. croci drach. IIII. nardi Indicæ drach. III. tritis utere. Hoc etiam scabiosos oculos sanat. Aliud Neapolitæ, ad milphosos, & diuturnas palpebrarū affectiones. Stibij cadmiæ, chalcitidis, misyos peregrini, singulorum partes æquales, cōtundito crassiore modo, & melle subacta torreto, ac tritis utitor. *Madarosis Milphosis Callibleph ara*

De ptilosi.

Ptilosis crassicies est palpebrarum callosa, rubicunda, quibus contingit etiam sæpe pilorum defluuium. Præter relata igitur etiam hoc summè facit. Stercus murinum ustum ac melle contritum illine. *Ptilosis*

Ad pilorum superciliorum defluuia.

Oleo aut adipe anserino illitis digitis plumbum confricato, & hoc illinito. Aliud. Hoc etiam subnigros facit. Nuces auellanas ustas cum caprino aut ursino adipe confricato. Aliud. Hoc etiam ad barbarum alopecias facit, hyoscyami drach. II. stercoris murini drach. I. polytrichi drach. I. ungēti irini cochlearia IIII. Ad reliqua probe trita ungentum ammisce, & fomento prius adhibito illine. Si uero præraseris, magis efficax est. *Alopeciæ barbarum*

Ad pilos palpebrarum pungentes, Trichiasis appellatam.

B Pilis pungentibus præeuulsis, locum sanguine ranarum per se statim illine, aut cum cinere chamæleonis albi. Aut cimicum sanguinem, aut fumariæ inter ordeum nascentis succum, cum gummi. Aut tellinarum salsarū cinerem, cum cedria. Aut loti cinerem. Aut alumen liquidum, phorimum appellatum. Aut ricini à cane auulsi sanguinem, ualdè efficax est. *Trichiasis* *Ricinus à cane*

Pilos agglutinantia.

Pilos introrsum refractos glutinat bitumen, mastiche, colophonia, gluti- num, cochleæ glutinositas.

De carnis in angulo magno incremento ac decremento.

Encanthis naturalis in magno angulo carunculæ incrementum appellatur. Et rursus huius decrementum Rhoeas. Incrementum igitur his quæ ad palpebræ euersiones relata sunt, & similibus ustorijs, aut corrodētibus consumpseris, non tamen totum, ut ne rursus decrementum fiat: sed ad naturalem usq; magnitudinem. Decrementum uero, tota quidem carne consumpta, aut à parum artificiosa chirurgia, aut per medicamenta, incurabile esse solas: si uero pars ipsarū imminuta fuerit, moderatè adstringentibus & incarnantibus ipsam renutrieris. Qualia sunt quæ fiunt ex croco, glaucio, & aloë. Et collyria ex croco. Et hyoscyamos in uino coctus ac impositus, & modicum alumen cum uino. *Encanthis Rhoeas*

De ulceribus.

Vlcerum in oculis genus quidem unum est, differentiæ uero particulares plures. Nam quod in corniformi membrana cauum, & angustum ac purum ulcus est, Bothrium id est fossula cognominatur. Quod uero latius bothrio est, minus autem profundum, Cœloma uocatur. Argemon autem ulcus dicitur in iridis circulo obortum, circumcirca occupans, ut circa externam iridis partem rubicundum appareat. Circa internam uero album. Epicauma uero ulcus est sordidum, & impurū, ac crustosum, quod dum repurgatur, sæpe humores in oculo effluunt. Sed & aliæ plures ulcerum differen- *Vlcera oculorum Bothrion Cœloma Argemon Epicauma*

tiæ sunt, de quibus in communi dicemus. Si igitur cum inflammatione ulcus constiterit, etiam curatio per ea quæ inflammationem mitigare ac concoquere possunt, facienda est, unà cum proprietate quã ulcus requirit. Talia uero sunt collyria, libyanum, & cygnus, & pelaria appellata, & aster, & similia: & quæ ex amylo, terra samia astere dicta, & ceruia componuntur. Omnibus autem magis dolorẽ sedare nouimus collyrium Nilamonis, sed in ipsius usu non diu immoramur, propter uehementẽ stupefaciendi facultatem. Optimum est & collyrium ex decoctis, quod neq; habet uim stupefaciendi. Si uero cum fluxione ulcus fuerit, ex collyrijs ad illam commodis aliquod ammiscebimus, quale est quod ex hydria fit, & chiacũ, & cygnus fuluus, & quæcunq; repulsoriam non mordacem uim habet. Quòd si sordida ulcera fuerint, aqua mulsa moderatè aquosa, & fœni græci decoctio utemur, tum per se, tum cum collyrijs ad hoc facientibus, acrioribus quidẽ ulceribus existentibus, Seueriano, & eo quod ex fœni græci succo paratur: nõ acribus aũt, diasmyrnis & nardinis. Verũ purgata ulcera probe ad cicatricẽ perducere solet collyriũ Cleon, ad hoc quod etiam cicatricẽ cõcolorẽ (efficit. A

De prolapsu oculi.

Prolapsus oculi *Myocephalon* *Staphyloma* *Malum* *Clauus*

Prolapsus est pronuẽtia tunicæ acinoformis, ex corrosione, aut ruptione corniformis tunicæ oborta. Quæ sanè ubi adhuc parua est, ut muscæ capiti similis sit, Myocephalon uocatur. Amplius autem aucta, ad acini uuæ similitudinem, Staphyloma. Plurimum uero, ut ultra palpebras excedat, Malum. Si uero callosum factum fuerit, hoc clauus appellatur. Si igitur modicè ad capitis muscæ similitudinem prolapsus factus fuerit, restringentibus ac repellentibus compositionibus utendum est, chiaco uidelicet collyrio, & fusco, & nardino, & Theodotio, & eo quod ex oleæ frõdibus fit, & quod ex cornu. Spongiam quoq; posca aut uino adstringente, aut rosarum decocto imbutam, aut etiam splenium, citra compressionem deligare oportet. Principatum autem habet ad prolapsus, & ulcera omnia, olympiacum siue olympus appellatũ collyrium, cum succo oleæ, aut polygoni, aut polij. Eadem hæc etiam Malis conducunt, & staphylomatibus, prius quàm inalbescant. Vbi uero alba aut callosa facta sunt, incurabilia existunt. B

De suppurulentis.

Suppurulenti oculi *Vnguis oculi*

Suppurulenta fit aliquando corniformis tunica, quandoq; per profundum, quandoq; in superficie, ut ungui simile figura pus fit. Quare etiam affectionem unguem appellant. Scopus igitur curationis est, aut pus discutere, per ea quæ moderate hoc faciunt, uelut est aqua mulsa, & fœni græci succus, & quæ ex ipso parantur collyria, & Libyanum, & quæ ex thure fiunt: Aut rumpere & repurgare per fortiora, qualia sunt collyria diasmyrna, & hygidium appellatum. At uero ad purulentos absq; ulceratione, etiam hoc liquido collyrio utendum est. Atramenti sutorij, croci, singulorum drach. VIII. myrrhæ drach. IIII. mellis libram I. Quin & pustula quum fit corniformis tunicæ eminẽtia, humore quodam strias ipsius subexcoriante, purulentorum curationi subijcitur. Liquidum Bassi, ad oculos suppurulentos. Croci, aloës, myrrhę, singulorum unc. I. uini quadrantem, mellis optimi sextuncem. Crocus cum modico uino teritur deinde aloë, & myrrha, & ubi crassa facta fuerint, adijcito mel, & unita in uitreo uase repone. Vtere autem bis in die. Si uero res urget, ter. Nam oculum simul & purgat, & incarnat, ac cicatrice includit.

Pustula oculi

De cicatricibus ac albuginibus.

Cicatrices *Albugines* *Nubeculæ*

Quæ in superficie in oculis fiunt cicatrices, quidam hoc ipso nomine solum cicatrices, quidam Nubeculas uocant. Quæ uero in profundo consistunt, albugines. Horum medelæ sunt ea quæ affricta detergent. Nubeculas itaq; anemones succus deterget, & parui centaurij succus cum melle. Diuturniores autem cedria attenuat, & æs solum aqua tritum uelut collyrium, & collyria extersoria, quale est id quod ex cornu fit, & quod Rinarion appellatur,

A pellatur, & Hecatombe, & similia. Albugines uero nitrum cum oleo ueteri tritum diligenter, ac illitum, probe extérit. Et sepiæ testa usta, & cum melle trita Ex collyrijs autem hoc probe & leniter exterget. Mameræ, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ troglodyticæ, stercoris crocodili, singulorũ æquales partes. Fac collyrium & utere. Aut crocodili terrestris stercus aqua tritum, ac in collyria redactum illine. Bene autẽ feceris, si salem Cappadocicũ aqua dissolueris, & cũ hac aqua collyria ad albugines cõmoda instillaueris.

Mameras

Cicatricum tincturæ.

Gallæ, acaciæ, singulorum drach. IIII. atramenti sutorij drach. II. utere. Collyrium uero hoc. Florum mali punici, id est cytinorum, atramenti sutorij, acaciæ, gummi, singulorum drach. IIII. stibij, gallæ, singulorum drach. II. tere cũ aqua. Si flores mali punici non adsint, membranosum illud quod intus inter grana in malo punico est admisce.

De pterygijs.

Vnguis
Pterygion

Pterygium, unguis à quibusdam uocatus, neruosa est tunicæ agnatæ eminentia, enascens quidem ab angulo, progrediens autem ad coronã usq;. Vbi uero nimium aucta fuerit, etiam pupillam tegit. Magna igitur & diuturna pterygia per solam chirurgiam excinduntur. Recentiora uero & moderatæ magnitudinis, etiam extersoria auxilia consumunt, qualia sunt quæ ad aspretudines ac albugines adhibẽtur. Ex simplicibus igitur sunt æs ustũ, aut atramentũ sutoriũ cũ felle porcino. probe hæc faciũt. Efficacius aũt hoc est. Atramẽti sutorij partẽ I. gummi partẽ dimidiam. Vino trita illinimus, aut etiã collyria formamus. Quidam etiam fel caprinũ melle mixtũ illinũt.

Ad pterygia, & purulentos oculos, ac hebetem uisum, Oribasij.

Lapidis magnetis, æruginis rasæ, sinopidis, ammoniaci thymiamatis, singulorum drachmas IIII. croci drachmas II. mellis Attici cochlearij dimidium. facit & ad albugines.

B

De carbunculatione & carcinomatis.

Carcinoma

Carcinoma est affectio tunicę uniformis, quæ dolorem habet, distentionem, ruborem tunicarum, dolorem punctorium usq; ad tempora, & magis si concussi fuerint. Cibum etiam non appetunt, & acribus exacerbantur. Et est hæc affectio incurabilis, & tamen lenire affectos oportet lactis potu, & frumentaceorũ ac aliis boni succi eduliorum exhibitione, citra omnẽ acrimoniam: & collyriorum tenerorũ infusione, uelut est spodiacum, Seuerianum, & similia. prouidendum quoq; est ut bonum sit totius corporis temperamentum. Carbunculatio uero etiam ipsa malignum ac crustosum ulcus est, aliquando in bulbo, aliquando in palpebra, quemadmodum & in alijs corporis partibus consistens. In bulbi igitur carbunculationibus, ab initio per clysterem euacuare oportet primum, deinde per lac coctum moderate purgare. Postea fomento per spongiam adhibito, farinam erui aut tritici in aqua mulsa coctam imponere, & aliquando etiam iridem tritam addere: & oculum lacte eluere. Si uero proserpant ulcera, lenticulam cum melle imponere, aut cũ malis cydonijs coctis. Si uero amplius depascendo proserpant, oleæ folia cocta, aut malicorium coctum in uino, tritum cum melle. At sedata nome proserpente, & crusta elapsa, per dicendi medicamenti impositionem, & puris factis ulceribus, cataplasma ex uitellis ouorum assatis, cum croco & melle tritis imponere oportet, usq; ad cicatricem inductam. Medicamentum uero hoc est. Spodij drach. IIII. myrrhæ non ualde tostæ drach. III. obolos III. Tritis in uino aminæo donec siccata fuerint, passum creticũ uetus ammisce, & simul trita liquida pyxide fictili excipe, & inunge. Cęterùm ad carbunculos in palpebris, malum punicum acidum totum concisum in aceto coquito, & flaccidum factum ac probe tritum in linteũ indito ac utitor, bis aut ter permutans in die, & semel in nocte.

Carbunculatio

De Mydriasi, id est pupillæ dilatatione.

Mydriasis

Quum pupilla colore quidem nihil alterata apparet, uerum multò latior

quàm pro naturali modo, & quandoq; uisum in totum impedit, quandoq; multum, & quæ uidentur ab ipsis omnia minora esse putãtur, Mydriasis appellatur affectio. Causa uero eius superfluus quidam humor est. Curare igitur ipsam oportet uena in cubiti flexura secta, aut purgatione: sin minus, saltem in angulis uenas diuidere. Deinde cucurbitam occipiti affigere, & aqua marina faciem & oculos proluere. Si marina desit, muria aut posca uti. Medicamentis uero ad pustulas conuenientibus utendum est. A

De tabe, & macie.

Tabes oculi Tabes affectio est pupillæ, quæ angustior & hebetior ac rugosior fit, & quæ uidentur maiora his apparent. Causa autem est densatio à siccitate magis oborta. Differt tabes à macie in hoc, quod tabes angustiorem pupillam *Macies oculi* facit. Macies autem totum oculum minorem ac humiliorem efficit. Curare hos oportet exercendo, & diligenter fricando, & caput, & faciem, & oculos, & faciẽ aqua proluendo, & caput ungento aliquo calefactorio ungendo. Oculi uero rarefaciente & acriore medicamento sublinantur, quale est subscriptũ. Ammoniaci drach. I. crocomagmatis drach. IIII. croci drach. II. æruginis drach. IIII. trita in aqua in collyria efforma ac utere.

De Nyctalope.

Nyctalopes Nyctalopas dicunt, quum interdiu quidem uidere contingit, occidente uero sole obscurius, & nocte penitus nihil. Curare igitur & hos oportet euacuando, & de cubiti flexura, & de angulis. deinde purgando, aut per clysterem uacuando. deinde pituita per os detrahenda, & sternutationes mouendæ. Dandum est ante cibum hyssopum bibendum, aut ruta. Si uero nõ cedat, rursus dandum purgatorium ex scammonia ac castorio. Oculi uero illinantur melle despumato, & claudantur, ita ut etiam comprimant ipsos ad continendum illitum liquorem. Aut aluminis usti partes II. salis fossilis *Hepar hircinũ* partem I. trita cum melle illinito. Aliud. Hepar hircinum assato, & saniem inter assandum collectam illine. Ipsum uero hepar edendum præbe. Et dum coquitur uaporem oculis apertis admittere iube. B

De glaucomate & suffusione. Ex Ruso.

Glaucoma Glaucoma & suffusionem ueteres unam quandam affectionem esse pu-*Suffusio* tant. posteriores autem glaucomata humoris crystallini affectiones esse putauerunt, qui præ humiditate ad glaucedinem transmutaretur. Suffusiones uero esse præterfusionem inter tunicam corniformem, & crystallinum humorem. Sunt autem omnia glaucomata incurabilia. Suffusiones autem sanantur, sed non omnes. Curandi igitur sunt qui suffusione tentantur, antea quàm consistat affectio, sanguinis à cubito detractione, & purgatione, & infusis per clysterem acrioribus, uelut sunt quæ fiunt ex centaurij aut cucumeris amari decocto: & alui solutione frequentiore. Affigendæ etiam cucurbitæ occipitio cum scarificatione. Oportet etiam aquã bibere per omnem uictum, & uti cibis attenuantibus. progressu temporis conferet & pituitam per os detrahentibus uti per aliquot dies. Quibus uero ueluti cu-*Culices oculis* lices oculis obuersantur, ex uitioso aliquo humore, aut uaporibus biliosio-*obuersantes* ribus allatis, his amarum ex aloe medicamentũ assiduè dabimus, aut etiam per hoc purgamus. Ad oculos uero medicamentis utendum est primum simplicibus, uelut melle, & oleo, cum fœniculi succo. Postea etiam compositis, quale & hoc est. Sagapeni drach. II. succi cyrenaici, ueratri albi, singulorum drach. VI. teruntur in mellis heminis octo. Nos autem inquit Oribasius, subscripto utimur. Succi caucalidum, chamædryos, coronopodis, singulorũ paribus portionibus contritis. Faciũt etiã collyria, & quod ex succo fœniculi paratur, & proteus, & Thalasserũ appellatũ, & quod fit ex opobalsamo. Sed & quę ex his præparãtur prodesse solent. Et fœniculi decoctũ in principijs astiuum prodest. & quod ex succis fit, & opobalsamo, & melle, ac oleo, & similibus.

De obfuscatione ac hebetudine.

Obfuscatio Obfuscatio est perfectum ut plurimum uidendi impedimentum, citra manife-

Hebetudo

A manifestam circa oculum affectionẽ. Hebetudo uero est obscuritas uidendi, ab occulta aliqua causa oborta. Curatio cõuenit in communi ea quæ est ad suffusos relata priuatim uero, sanguinis ab angulis euacuatio, & hirudinum ad tempora admotio, & infernarũ partium frictiones. Temporis progressu etiam sternutatorijs utendum est, & uomitibus dum ieiuni sunt, & sublitionibus, primum quidem ex melle & oleo paribus portionibus. Deinde subscripto cõposito. Croci obol. II. fellis hyænæ drach. I. piperis communis grana LXXXV. succi fœniculi drac. XVI. ammoniaci thymiamatis drach. I. siccis tritis cũ succo, mellis cochlearia IIII. adde, præpara, & ærea pyxide exceptis utere. Ante illitionẽ foueat oculos spõgia aqua marina calida imbuta.

De Strabismo.

Strabismus

Infantes ex natiuitate strabones, curantur larua faciei pretenta, quo in directum intueantur (est enim strabismus conuulsoria affectio musculorum bulbum mouentium) & lucerna è directo posita, & nõ ex obliquo allucente: & ubi ad nasum oculi nutarint, floccos puniceos agglutinare angulis ad tempora oportet, quo ad illos intenti oculos corrigant.

De expreßione oculorum.

Expreßio oculorum

Exprimuntur aliquando oculi, ut prominentes permaneant. Eis igitur quibus ex strangulatione expressi sunt, uena in cubiti flexura secanda est. Si uero aliquo alio modo id acciderit, purgatio facienda est ueratro nigro, aut scammonia. At uero expressiones oculorum ex doloribus partus, sæpe quidem purgationes in partubus succedentes soluunt, quare has procurare oportet. Verum in uiris post uenæ sectionem, si non sedetur, cucurbitam occipitio affigere, & lanam melle illitam imponere, aut floccũ cum aqua, superneq; linteum duplicatum leniter deligare. Conducit his etiam aqua marina frigida faciei affusa, & intybi ac polygoni succus cũ papaueris succo illitus. Item alia quæ constringere ac contrahere possunt.

B

De confusione.

Confusio oculi

Confusiones ex plaga obortas, uenæ in cubito sectione, & totum oculum replendo sanguine recens mactati turturis, aut in illius penuria, columbæ, curare oportet. Deinde lanam mollem, ouo cum uino ac rosaceo conquassato imbutam imponere, ac deligare. Postera die idem faciendum est, & tertia fomentum adhibendum, & lac instillandum, & quæ commodant imponenda. deinde sublinenda quæ ad ueteres affectiones pertinent, quale est collyrium chiacum.

De Myopia.

Myopes

Myopes dicuntur qui ex natiuitate ea quæ propinqua sunt uident, quæ uero longe distant, cernere non possunt. Incurabilis est autem hęc affectio, præ uisiui spiritus debilitate oborta. Cæterum senes contrariam habẽt his affectionem. Nam quæ propinqua sunt non uidentes, procul dissita cernũt.

Aurium affectiones, & primum de dolore. Cap. XXIII.

Aurium dolor

AVrium dolorem ob frigiditatem obortũ, & ex tempore, & ex prægresso uictu, aut etiã ex ægri narratione, si ex lacessente aliqua externa causa obortus fuerit, edocti: & ex eo quòd dolor in profundo firmatus est, citra grauitatem, aut distentionem, aut feruorem, calefacientibus auxilijs curabimus, oleum rutaceũ calidum, aut nardinum, aut laurinũ calidum, aut amaracinum, aut foliatum, aut spicatum, aut commune cum euphorbio, aut pipere, aut castorio: aut comagenũ uocatum ungentum, aut opobalsamum, in auditorium meatum instillantes. Sed & oleum in quo coctum est allium aut cepa, instillatum prodest. At uero dolorẽ ex calida intemperie, in quo feruorem quendam, citra grauitatem aut distentionem sentiunt, contrarijs curaueris, album oui tritum instillans, quemadmodum in oculo, & lac muliebre cum aliquo dolorem sedante collyrio: aut perdiciadis succũ cum modico rosaceo, & ipsum rosaceum, aut acetum ac rosaceum, aut solani succũ, aut coriandri, aut asphodeli: aut oleũ in quo intestina terræ, aut aselli circa

Perdicias

hydrias nascentes, incocti sunt: aut amygdalinum oleum per se, aut buccinis tribus uiuis in ipso coctis. Hoc naturaliter efficax est. A

Buccinorũ naturale auxiliũ

Verum dolorẽ ob uiscosos ac crassos humores, & ex capitis, & ex auditus ipsius grauitate, & prægresso uictu cognosce. Distentio uero sola citra grauitatem, flatuosum spiritum qui exitum non habet indicat. Vtendum igitur est in utrisq; medicamentis obturatione liberantibus ac incidentibus, uelut est aphronitrum cum aceto & melle, & fel ouillum cum oleo communi aut amygdalino, & porri ac cepæ succus tepidus cum melle. Aut origanum cum melle ac lacte muliebri tritum instilla. Ad fortiores uero obturationes, fel caprinum cum porri succo instilla. In quibus autem dolor multus & diuturnus, & auditus grauitas adest, utendum his est, uelut est dracontij succus, & ari, & bryoniæ, & similia. Priuatim uero ob spiritum dolentibus flatuosum, cucurbita aqua calida prius feruefacta, & ad aurẽ apposita maximopere prodest. Si uero grauitas, & distentio simul calida, & dolor pulsatorius fiat, aut etiam æger febriat, aurem inflammatam esse scito. Et præ omnibus utendũ est uenæ sectione, deinde fomentum faciendum frequenter cum oleo dulci calido, per auricularium specillum lana obductum. Instillandus autem est in meatum, & anserinus adeps, & uulpinus: Aut regium medicamentum cum rosaceo, aut cyprino, aut irino. forinsecus imponenda sunt quæ mitigare ac cõcoquere possunt. Quòd si dolor cogat, his quæ moderate sensum torpefaciunt utemur. Non enim exiguum est periculum, quum cerebrum uicinũ sit auditorio neruo inflammato. Probe igitur hoc mitigat, opij partem I. castorij partes II. cum lacte muliebri, aut oui candido, aut uino dulci, tepida instilla. Sed & croceus pastillus, & Aster, & Philonis antidotus, sæpe his profuit. Oportet autem frequenter fomentum adhibere, aut ex oleo communi, aut ex aliquo calido ungento, ita ut in hoc ipso lanam madefactam auri imponas, & nequaquam quantum eius fieri potest, inflammatas partes contingas. Perseuerante uero dolore, & in pus transituro, utere medicamento ex lini seminis succo, instillans ipsum dissolutum cum rosaceo aut chamæmelino. B

Aqua medicata

Porrò si ex aqua medicata in auditorio meatu contenta doleant, si quidem multa fuerit, per os, aut etiam per stipulam, ipsam exugere oportet. Si uero modica, hac extersa per auricularium specillũ lana obductum, oleum quoddam tenuium partium instillare, aut rosaceum, aut oui candidum, aut lac muliebre. Calida uero omnia moderate esse oportet quæ auribus adhibentur.

Ad ulcera cum inflammatione.

Vlcera auriũ inflammata

Lyciũ & papaueris succũ paribus portionibus trita cum melle immitte.

Ad dolores maximos, & pus, & auditus grauitatem.

Amygdalas depurgatas XX. aphronitri drach. III. opij drach. III. thuris drach. III. croci drach. IIII. galbani drach. II. myrrhæ drach. I. aceto trita instillato, si dolor adest, rosaceo diluta: si pure fluant, uino mulso aut aceto mulso: si auditus grauitas sit, aceto. Verum recentia ulcera glaucium curat aceto solutum, & collyria quæ ex ipso fiunt, & quæ ex rosis, & croco, & myrrha, appellationem habent. Quæ uero pure manant citra dolorem, recrementum ferri cum aceto sub caniculæ æstu tritum.

Ad sordium duriciem.

Sordium auriũ duricies

Nitrum aceto dilutum cum aqua infunde, & detersione facta, nitrum aceto dilutum cum rosaceo instilla. Aliud ad sordes. Nasturtium, & nitri parum, caricis exemptis granis excipe, & facta inde collyria in aurẽ inde, & per triduũ exime. Ducit enim sordes multas, & abunde leuat. Facit & ad carnis excrescẽtias, dolores diuturnos, & ulcerationes: aut aloes, thuris, myrrhæ, singulorum drachmam unam, misyos drachmas quatuor, cum aceto in pastillos efformato. usus autem tempore, aceto & rosaceo solutos infunde. Item Andronis pastillum, & Nereu, & Musæ inscriptum.

Ad diu-

A

Ad diuturna ulcera.

Cedriam melle mixtam illine. Aliud. Misy ustum ac tritum insuffla. Cæterum ante eorum quæ infunduntur usum, aures per auricularium clysterem eluuntur posca, aut aceto mulso, aut uino mulso, aut decocto aliquo ex repulsorijs, uelut lenticulæ, aut rosarum.

Ad cruentatas aures.

Eluito quidem cũ lentisci decocto, instillato autem polygoni succũ cum pauxillũmo aceto. Aut lycium, aut amurcam, aut acaciam, aut porri succũ. *Aures cruentatæ*

Ad carnem excrescentem.

Nitrum cum aqua calida, unà cum æris squama, ac sandaracha, æquis portionibus infundito. crusta uero inducta melle repurgato. *Caro in aurib. excrescens*

Ad uermiculantes aures.

Eluito absinthij, aut centaurij, aut porri decocto: instillato autem cappa/ris foliorum uiridium ac fructus succũ; aut cedriam, aut urinam humanam ueterem, aut ueratrum album cum melle, aut calaminthæ succum, aut scammoniam cum aceto, aut absinthij succũ. Oleum autem meatui instillatum ad summum usq;, emergere ipsos facit. Melius tamen est oleum & acetum. Sed & ad illabentia auribus animalcula ijsdem utere. *Vermiculantes aures*

De calculis & similibus in aures illapsis.

Lanam circum specillum obuolutam terebinthina, aut gummi, aut ali/quo glutinoso tingito, & sic ipsum extrahito. Si uero non concesserit, oleũ calidum frequenter meatui instilla. Et si non exciderit, aut reliquum fuerit, adhuc alijs modis utere, uelut in chirurgia refereturi. *Auribus illapsa*

De sonitibus aurium.

Si in febribus, aut harum iudicationibus sonitus fiant, nihil moliri opus est. statim enim plerunq; sedantur. Si uero etiam post morbum permaneat, fomento ex absinthij decocto adhibito, acetum ac rosaceum infundito, aut raphani succum cum rosaceo, aut ueratri nigri cum aceto. Verũ ad diutur/nos sonitus, ob crassos ac uiscosos humores obortos: cognosces autẽ hoc ex eo quod nõ aceruatim, sed particulatim consistunt: aceto & nitro ac mel le colluito. Aliud. Veratri nigri drach. II. castorij drach. II. croci drach. III. nitri drach. XVI. fac pastillos, & aceto tritis utere. *Sonitus auriũ*

B

Ad diuturnos sonitus ac sibilos.

Euphorbio cum oleo cyprino trito ac calefacto utitor. In his autem qui ob multam sensus subtilitatem, uapores aut flatus afferri sentiũt, castorium & cicutæ semen, tritum cum aceto instilla.

De auditus difficultate ac surditate.

Quæ ex natiuitate, aut etiam post natiuitatem quidem, uerum diutur/nissimæ & perfectæ surditates consistunt, incurabiles sunt. Quæ uero non perfectæ, diuturnæ tamen, & hæ incurabiles sunt, aut uehementer ægre cu/rari possunt. Quæ tamen ob biliosum humorem sursum repentẽ consistũt, euacuationibus per medicamenta bilem ducentia nõ difficulter sanaueris. Quidam uero etiam sua sponte liberantur ab affectione, bile ipsis subtus e/gressa. At ob crudos ac crassos humores consistentes surditates, aut audi/tus grauitates, uenæ sectione curato, aut omnino per hieram purgato, utẽs etiam pituitam per os ac nares detrahentibus, & balneis naturalibus, aut a/quæ marinæ. Ad meatum uero auditorium instillare conuenit, & ea quæ ad sonitus descripta sunt. Priuatim uero hæc. Vrinã capræ, & fel caprinũ. Aut fel per se solũ instilla. Aut rutę succũ cũ melle. Aut castoriũ cũ oleo ane thino. Aut œsypũ medicamentũ cũ ungẽto nardino. Aut fel caprinũ cum galbano. Aut hoc, castorij drach. II. nitri, ueratri albi, singulorum drach. I *Auditus difficultas* *Surditas*

Ad aurium contusionem.

Hippocrates monet ut nihil ipsis adhibeamus. Quandoquidem uero ab ipsis affectis sæpe cogimur, utendum his est. Myrrhæ, aloes, thuris, aca/ciæ, singulorum æquales partes, cum aceto aut oui candido illine. Aut *Aurium contusio*

panis calidi internam partẽ, cum melle in pila contusam impone. Aut hoc, bituminis, thuris, aloës, carnium cochlearum, bulborum Aphricanorum, singulorum æquales partes aceto tritas impone. Si uero inflammatio oboriatur, cataplasma ex sesamo impone, aut ex alica cum aceto cocta. Sint autem leuia cataplasmata, & citra deligationem: aut leuiter deligentur. Et lana oleo imbuta meatui auris indatur. A

De parotidibus.

Parotides Parotis affectio est glandularũ circa aures, quæ fit dum iudicatorio modo in febribus, materia quædã de capite, ab impactis in ipso humoribus, quandoq; de reliquo corpore expellitur. Siquidem igitur adhuc in profundo hærens parotis, non in molem attollitur, adiuuabimus naturæ attractoria auxilia adhibentes, aut etiam cucurbitam apponẽtes, aut frequentibus fomentis utentes. Nam si in profundum recurret materia, periculum nõ uulgare sequetur. Si uero inflammata in tumorem attollentur, uice uersa mitigare ac concoquere potentibus utemur cataplasmatis: quale est quod ex farina ordeacea, aut triticea, aut seminis lini, cum aqua mulsa, aut fœni græci, aut althææ, aut chamæmeli decocto coquitur. Itemq; quod ex rumice & *Axungia nõ salsa* axungia non salsa paratur. Si uero etiam sanguis tibi redundare uideatur, euacuabis ipsum uenæ sectione, uiribus præsertim permittentibus. Vbi uero tumor non discutitur, suppuratorijs medicamẽtis utendum est: quale est *Suppuratoria medicamenta* triticea farina, cum caricarum decocto ac oleo. Itemq; ex pollinæ constans, & quod ex fermento paratur medicamentum. Transmutato autem abscessu, aut per sectionem pus excernimus, aut acri medicamento rumpimus: quale est quod similium appellatur, & quod ex allijs paratur. Cæterum maiores parotidas etiam fomentum ex muria discutit, & ex apyrano medicamentum. Hoc etiam transmutatum iam pus discutit, ad hoc dolores maxime sedat. Verùm ad inueteratas parotidas, buccinorũ aut purpurarũ ustarum cinerem, cum melle aut axungia imponemus. Aut heus aqua marina coctas. Aut marrubium cum sale. Induratas autem iam mollit emplastrum Mnasææ, & Ariobarzanium. Optimũ est & quod ex succo seminis lini paratũ. Ante hæc uero, cataplasmata ex ammoniaco imponẽda sunt, ammixta pice liquida, aut adipe taurino, aut bdellio, aut styrace, aut medulla ceruina B

De narium ac olfactus affectionibus. Cap. XXIIII.

Narium affectiones *Olfactus læsus* Olfaciendi facultate læsa, si quidem uox illæsa conseruetur, anteriorum cerebri uentriculorũ affectionem esse suspicandum est, qui aut ob nudam intemperiem læsi sunt, aut ob uitiosorum humorum copiam. Si uero etiam uox simul læsa fuerit, laboriosior quodammodo facta, propter obliam coliformium obturationem, affectionem factam esse suspicare, atq; hoc rursus à uitiosis quibusdam humoribus. Vbi igitur cerebri intemperiem per sæpe relata compereris, contrarijs auxilijs utere. Humores autem per detrahentia pituitam per os euacua, & per ea quæ fortiter euacuant naribus indita. Et odoramenta adhibe renuium partium, quemadmodum in destillationibus. Si uero plenitudinẽ totius cor poris deprehenderis, hanc prius euacua, aut per uenæ sectionem, aut per purgationẽ per hieram. Atq; hic etiam *Polypus quid sit* in polypade & Ozæna utere. Deinde etiam localia auxilia adhibe. Et theriace sæpe pota magnifice profuit. Est autem polypus tumor præter naturam in naribus obortus, essentia sua similis polypi carni. Eiusdem essentiæ *Ozæna quid sit* est etiam carnositas in naribus præter naturã producta. At ozæna ulcus est putredinosum, ex acrium humorum influxu prouenIens.

Ad polypos & carnositates.

Carnositas in naribus Squamæ æris drach. VIII, atramenti sutorij drach. VI, sandarachę drach. IIII, ueratri nigri drach. II. Insiulla ac utere ut optimo. Nam in tredecim diebus utilitatem suam manifestè declarat facit & atramentũ sutoriũ cum aceto. Aliud. Malicorij drach. XII, atramenti sutorij drach. X, chalcitidis drach. VIII, fellis taurini, amomi, myrrhæ, calaminthæ, marrubij, singulorum

A lorũ drach. IIII. croci drach. II. ueratti albi drach. IIII. utere ſicco. Aliud. Diphryge trito nares continge, & linamento ex ellychnijs nares diſtende.

Ad Ozænas.

Miſyos, chalcitidis, myrrhæ, ſingulorum drach. VII. attamenti ſutorij drach. VI. aluminis ſciſſi, gallæ, ſquamæ æris, ſingulorum drach. IIII. aluminis rotundi drach. II. thuris drach. I. aceti ſextar. I. coquito hoc totum in æreo uaſe, & mellis ſpiſſitudine in linamentis utere. Aliud. Aeruginem, & ſquamam æris, æquis portionibus ſicca adhibeto.

Ad narium graueolentiam.

Myrrhæ, acaciæ, amomi, ſingulorum drach. I. melle cocto excepta, ad ſummum narium interſeptum agglutinari iubeto. Aliud. Amomi, myrrhæ, roſarum ſiccarum, ſingulorum æquales partes ungento nardino exceptas ſubline. facit & Hedichroum magma cum uino. *Narium graueolentia*

Ad narium ulcera.

Ceruſæ lib. I. ſpumæ argenti quadrantem, recrementi plumbi quadrantem, aut plumbi uſti. Sint autem omnia lota. Excipe uino & oleo myrteo.

Ad ulcera dulcia appellata.

Spumæ argenti drach. IIII. rutæ recentis drach. IIII. aluminis ſciſſi drachmas duas, oleo myrteo & aceto excipe. *Vlcera dulcia*

Sternutatoria.

Veratrum album, caſtorium, piper, herba lanaria, cyclaminus, euphorbium, nitrum, cuminũ, herba ſternutatoria uocata, ſingula per ſe, aut ſimul omnia. Non autem inſufflare oportet, ſed penna aut digito penitiſſime naribus indere. Si uero ſternutatio redundet ex medicamento, ſedare oportet infuſo nardino, aut roſaceo, aut oleo dulci. Olfactu uero ſedant ſternutationem, aniſum, ocymi feſtucæ tuſæ. præ omnibus autem ſiccandum eſt caput ſmegmatis ex nitro & pumice: aut etiam appellato Aeſculapio utendũ eſt, *Sternutatoria*
B & ſapone Conſtantini, & ſale Cappadocico, & ſimilibus.

De ſanguinis ex naribus eruptione.

De ſanguinis ex naribus in febribus eruptione, dictum eſt libro ſecundo in illarum tractatione. Verum de ea quæ aliter quomodocunq; fit, & ſimpliciter ægrè ſupprimi poteſt, nunc dicetur. Chalcitidem tritam linamento ex ellychnijs, aut priapi forma, aqua madefacto excipe, ac naribus inde. Aut oui teſtam uſtam, & gallæ dimidium ipſi ammiſce. Aut lycio Indico cõtinge. Aut ſtercoris aſinini uſti cinerem inſuffla. Aut expreſſum de aſinino ſtercore ſuccum inſtilla. Aut lapidis molaris uſti & aceto extincti uaporem olfaciat. Aut etiam meatus obducente hoc utere. Mannæ thuris partem I. aloës partem dimidiam, candido oui excipe, & per linamẽtum ex ellychnijs utere, forinſecus leporis pilis ad illitionem appoſitis. Aut lyſimachium appellatam in naſum indito. Aut cucurbitam leuem, magnam, & perſeueranter apponito ad præcordium è directo naris unde ſanguis erumpit. Aut aures firmiter obturet. Et frontem ſpongijs ex aqua frigida irriget. Aut cucurbita occipitio affigatur cum ſanguinis detractione. Aliquando etiam uenã ſecare conuenit, ſi nihil impediat: & extremas partes deligare, brachia præſertim ac fœmora, quemadmodum in uenæ ſectionibus. Iubendiq; ſunt ut ipſa moueant, manus quidem fricando, pedes autẽ ambulando. Dum enim uenæ quæ iſthic ſunt ſanguine implentur, uaſa circa nares ſanguine deſtituentur. Sed & ſpongia ſæpe in poſca frigida imbuta, & extrinſecus ad ſanguine manantẽ narẽ cũ adſtrictione appoſita, quod opus fuit effecit. Præſtat aũt hoc facere, oblongo ad cuneoli formã linamẽto prius in narẽ ſubdito. *Sanguinis ex naribus eruptio* *Lyſimachiũ*

Ad faciei affectiones. Caput XXV.

AD faciem à rugis conſeruandã. thuris drach. IIII. fuci drach. III. ſpumę argẽti lotæ drac. VIII. Omnibus in cremore glutinis piſciũ cõtuſi diſſolutis, & in paſtillos efformatis utere. Aliud. Ramenti eboris drac. VIII. thuris maſculi, glutinis piſciũ, ſingulorũ par pondus, utere uelut dictũ eſt. *Rugis arcendis* *Fucus*

Ad fa-

Ad faciei nigredines. A

Nigredines faciei

Iridis, ptisanæ, fabæ fresæ, singulorum sesquisextarium. salis ammoniaci, cornu ceruini usti, ammoniaci thymiamatis, singulorum sextantem. Aqua dissoluta in pastillos efforma, & rursus aqua tritos, ante balneum illine.

Aliud. Prisanæ, erui, thuris, fabæ fresæ, iridis illyricæ, aphronitri, costi, singulorum chœnicis quartam partem. amygdalas amaras XX. efformato cum candido ouorum & lacte asinino, & utere uelut antea dictum est. Facit etiam pastillus peponatus.

Peponatus pastillus

Ad maculas solares, & lentigines.

Maculæ solares Lentigines

Terræ cimoliæ torrefactæ heminæ dimidiū, aphronitri tosti drach. VIII. farinæ erui drach. IIII. ramentorum fellis taurini drach. VIII. trita affricato. Aliud. Fecis uini drach. X. farinæ erui drach. X. fabę fresæ drach. X. ueratri albi drach. V. aphronitri drach. X. alcyonij drach. X. tritis cōfricato.

Ad sugillata.

Sugillata

Postquàm ab initio quidem fœni græci decocti, postea uero etiam meliloti decocti fomentum adhibueris, collyrium Nili ex rosis aqua dilutum illine. Deinde collyrium ex myrrha. Si uero nihil efficiant hæc, collyrium ex sandicecustum illine. Aut hyssopum cum aqua impone. Aut hyssopo in linteolum illigato, & calida aqua tincto, fomentū adhibeto. Aut cum aceri muria fouero. Et raphani corticem cum melle tritum imponito. Hoc etiam ad diuturna facit. Cæterùm ad sugillata ac liuedines inueteratas, tordyli partes II. terræ samiæ partē I. cum melle impone animaduertens ne exulcerentur. Aliud defrictorium. Hyssopi, thapsiæ, cassię, singulorum drachmas duas, ceræ drachmas duas, terebinthinæ drachmam unam. Impone cauens ne exulcerentur, & propterea assiduè tollens.

Ad Varos.

Vari

Vari patui ac duri sunt circa faciem tumores, eos aceto mulso illinito ac confricato. Aut spumam argenti cum terebinthina, & modico oleo albo tritam, illine affricando. Aut alumen scissile cum terebinthina. Aut amygdalas amaras aceto tritas affricato. Ad callosos uaros hoc facit. Saponis gallici drach. quatuor. thuris, ammoniaci thymiamatis, singulorum drach. I. Aqua diluta illine, & post horam ablue. B

Ad uaros, pilos, & asperitudines faciei.

Ceræ drach. X. terebinthinæ drach. I. uisci drach. II. oleo affuso eliquato, & hoc faciem confricato. Radicitus eos tollit. Aliud. Papauer tritum, aut pulegium cum sale & aceto imponito.

Ceratum Thaidis ad faciem rubicundam faciendam.

Thaidis ceratū

Croci, radicis erythrodani, fuci, thuris, myrrhæ, singulorū drachmas II. excipe adipe uitulino & oleo mastichino. Deinde illinito, & tempore interposito spongia calida imbuta detergito. Conueniunt autem hæc ad faciem medicamenta etiam reliquo corpori.

De oris affectionibus, & primum de dentibus. Cap. XXVI.

Oris affectiones Dentiū dolor

DEntibus dolentibus citra gingiuarum inflammationem, aliquando in ipso proprio dentis corpore, aliquando in neruo qui ad ipsos defertur, dolorem esse contingit. Vehementissimis igitur opus est medicamentis, & propterea pleraq; ipsorum ex aceto acerrimo præparantur. Verum gingiuis ob inflammationem dolentibus, optimum medicamentū est oleum lentiscinum temperatum ore detentum. Sit autem recens. Nam uetustum tanto deterius est recenti, quāto ætate antecellit. Seruetur aūt & hic cōmunis ratio, quòd præeuacuatū esse oportet humorē in toto corpore redundantē.

Ad dentium inflammationem.

Dentium inflammatio

Os colluāt aceto in quo cocta sit galla, aut halicacabi radix, aut hyoscyami semen, aut folia, aut pulegium, aut solani succus, aut capparis radix, aut myrti folia, aut polium, aut cucumeris syluestris radix, aut rutæ folia cum aceto mulso, aut cornu ceruinū, aut etiam acetum scilliticum. Aut pyrethrū

cum

A cum hyſſopo. In corroſum uero dentem, ſtyracem cum opio indito. Aut galbanum, aut ſulphur uiuum cum lycio. Aut hyoſcyami ſeminis cocti uaporem admittat per infundibulum. Sed & Philonis antidotus denti oblita dolorem eximit. Si uero fluxione infeſtentur dentes, myrti, & lentiſci, & gallę decoctum colluant, aut rhois Syriaci, & balauſtiorum, & malicorij. Inspergito autem ſalis partes II. aluminis uſti & aceto extincti ac triti partem I. Deinde uino colluant. Cruentis uero gingiuis alumen tenue tritum inſperge. Aut aloën cum uino colluant, aut rubi radicem uino ferueſactam, aut rhoen ſyriacum. Cruentis autem & fluore uexatis gingiuis, thunni ſalſamentum in olla exurito, ut in carbones redigatur, & cinere contingito. Siſtit autem commotos dentes aloë inſperſa, aut rhus ſyriacus, aut alumen ſciſſile, aut galla, aut rubi radix, aut per ſe, aut cũ uino cocta. Aliud. Nucis uiridis corticẽ terito, & in liquorem ab ipſo expreſſum, myrrham Minæam, & alumen ſciſſile inijcito, & ſimul unito. Vſu uero expetente infunde, & ad gingiuas immitte, ad dentis dolentis partem, & ſanabitur. Aliud. Allium, & piper, & ſtaphidem ſylueſtrem trita, linteo excipe, & in paruos globulos efforma, ac ſæpe permuta. Hoc humorem in capite purgat, & dentes curat. Aliud. Ad dentes mobiles, & gingiuas fluidas, & ad omnem nomen in ore proſerpendo depaſcentem. Chalcitidis toſtę drach. XII. cadmiæ drach. VIII. utere ſicco cum aceto.

Dens corroſus

Gingiuæ cruentæ

Dentes commoti

Ad dentem citra dolorem tollendum.

Fatinam cum tithymali ſucco imponito, & ſuperne hederæ folium addito, & ad horam ſinito. Sua ſponte enim conteretur.

Dentifricium etiam ad parulidas.

Dentifricium

Aluminis plinthitidis trientem, ſalis ammoniaci trientem, myrrhæ, coſti, pyrethri, ſingulorum drach. IIII. piperis grana LXXX. Aliud. Sulphuris uiui, piperis, aluminis ſciſſilis, ſingulorum æquales partes.

B

Ad parulidas, & Epulidas.

Parulis

Epulis

Parulis eſt inflammatio circa partem aliquam gingiuarum, quæ non ſoluta ſuppuratur. Supputata uero ſcalpello uenæ ſectorio diuiſa, linamento diſparatur. Epulis autem eſt carnis excreſcentia ab inflammatione, circa intimum dentem molarem, aliquando cum febre & dolore. Opus igitur habet compreſſione. Quare utendum eſt ærugine raſa per ſe, aut cum pari galla. Aut ſori combuſto, aut omni alumine uſto, aut galla per ſe, aut ſquama æris cum aceto trita ad ſufficientes dies, ac reſiccata.

Denſifricium.

Ariſtolochiæ radix uſta, cornu cerui uſtũ, cum modica maſtiche. Aliud. Sal albus melle ſubactus, & fici folijs inuolutus ac uſtus, donec ad carbones redigatur. Aliud. Buccina ſale impleta ac uſta. Cochleæ terreſtres uſtę cum melle. Lanæ ſuccidę uſtæ cum modico ſale. His ſingulis grati odoris gratia ammiſceatur, iunci odorati rotundi flos, aut nardi ſpica, aut folium malabathri, aut cyperus, aut iris. Aliud, quod dentes dealbat, & gingiuas adſtringit, & iucundum odorẽ inducit. Pumicis, ſalis toſti, iridis, ſingulorũ drach. IIII. cyperi drac. V. ſpicæ nardi drach. I. piperis drac. VI. tritis utere.

Ad dentium ſtuporem.

Dentium ſtupor

Ad dentium ſtuporẽ facit portulaca cõmanſa, aut oleum crudũ affrictũ, aut amurca in æneo uaſe ad mellis compagem cocta, & inueterata illita.

Ad dentes detritos.

Dentibus detritis commodant. baccarum lauri, aluminis ſciſſi, ariſtolochiæ clematitidis, ſingulorum æquales partes.

Ad gingiuas corroſas.

Floris roſarum drach. VIII. gallarum drach. IIII. myrrhæ drach. II. Ceterùm eroſas & fluidas gingiuas ſanant ſi colluantur hæc. Lac aſininum, foliorum oleæ decoctum, acetũ ſcilliticum: ſicca uero ſi admoueantur, rubigo ferri, mali punici flores. Ad tumidas uero & carne excreſcẽtes facit portulacæ

A lacæ ſuccus ore detentus, oliuarum colymbadum muria, oleum crudum calidum, aut lentiſcinum, aut melinum, amurca. Sicca uero, ferrugo, aut ærugo, ariſtolochiæ radix, plantaginis ſemen, diphryges, atramentum ſutorium toſtum, mali punici flores.

Ad labia rupta.

Labia rupta Amurcã coctam illine. Aut hoc. Adipẽ anſerũ, cum melle & terebinthina, æqualibus portionibus, floris roſarum, œſypi, roſacei, ſingulorũ parũ.

Ad ranunculum appellatum.

Ranunculus Ranunculus tumor eſt inflammatus, ſub lingua conſiſtens, maxime in pueris. Confricato itaq; locum ex miſyos, & æruginis raſæ æquis partibus ſiccis. Ad mentum uero utendum eſt emplaſtris, anthero, aut ſphærio, aut parhygro ex ouis. Verũ in adultis uenæ ſub lingua prius ſecentur. Aliud. *Vlcera oris feruida* Facit & ad feruida oris ulcera. Aeruginis raſæ, gallæ, chalcitidis, ſingulorũ æquales partes. Hoc cum paſſo etiam collui poteſt. Aliud. Farina erui cum melle ubi prius defricueris, gallam tritam cum melle illine. Aut roſarũ flores ſimiliter. Aut oleæ foliorum decoctum colluant.

Ad tonſillarum inflammationem.

Tonſillæ inflammatæ Siquidem in febre inflãmatæ ſint tonſillæ, & columella, gargariſmi conueniunt ex decocto furfurum, aut roſarum, aut palmularum, aut myxarum, aut lenticulæ. Remittente uero inflammatione, aut decreſcente, mel ad ipſa decocta ammiſcendum eſt, quod in principijs facere non oportet, neque in augmentis, ut ne acrimonia ſua fluxionem aliquam attrahat. Si uero ſuppuratæ rumpantur, aqua mulſa per ſe gargariſſetur, aut cum lentium aut roſarum decocto, ita ut in his perſeueremus uſq; ad perfectam ſolutionem, aut etiam ſtomaticam collutionem exhibeamus gargariſſandam. At ſi peſtifera ulcera in tonſillis fiant, utendum quidem eſt etiam præſcriptis. priuatim uero exhibendum eſt medicamẽtum ex moris, cum aqua calida. Aut aqua B mulſa habens florem roſarum inſperſum, aut coſium, aut rhoẽm, atq; hæc ſicca, aut incocta. Aut glaucij foliorum ſiccorũ decoctum. Eſt quidem hoc amarũ. Verum optime facit, ſi ſuccum quemadmodum in collyria utimur, in aqua mulſa ſolueris. Ipſius aũt fruticis uſus optimus eſt, ſi ſiccus inſufflетur, aut cum digito admoueatur. Conandum uero eſt ut omnino non adhibeamus manum, aut ualde leniter cõtingamus. prodeſt & paſtillus Andronius. Cæterum poſt irritationes ab his factas, gargariſſandum eſt glycyrrhizæ decoctũ, aut gargariſmus dandus, qui paratur ex uino ſcybelitæ, & croco, & maſtiche chia, & myrrha. deinde etiam ex amylo & tragacãtha. Poſtquàm autem nome depaſcẽs ſedata eſt, gargariſmo ex lacte ac terra Samia utendum eſt. Aliud ad antiadas. Malum punicum dulce unà cum putamine cõtundito ac exprimito, & ſucci partes ſex ad unam mellis ammiſceto, *Galla omphax* & ad mellis ſpiſſitudinem coquito, ac illinito. Aliud. Gallæ omphacis ſextantem, aluminis ſciſſi unc. I. ſalis ammoniaci toſti unc. I. ſicca admoueto. Aliud. Gallæ drach. VIII. miſyos drach. II. ſalis toſti drach. V. ute*Antias quid ſit* re ſicco. Eſt autem Antias tumor durus tonſillarum.

De Columella.

Columella inflammata Columella inflammata utendum eſt gargariſmis ijſdem quibus ad tonſillarum inflammationem, & moderate adſtringentibus, qualis eſt mali punici ſuccus per cochlearium, aut per inſtrumentum uuæ leuandæ commodũ ſubiectus, & per ſe, & cum melle ſatis cocto. Aut radice dulci ad mali punici ſuccum ammixta Facit & radicis dulcis ſuccus cum melle. Reprimit autem & lapis hæmatites, & phrygius uſtus, & Ageratus, & medicamentum ex lapide phrygio ad pudenda deſcriptum, & terra ſamia, & eretria, & ſinopis, & lemnia, & omphacium per ſe, & cum aliquo ex relatis, & ſpinæ Aegyptiæ fructus, & alumen ſciſſum. Verum roſarum ſemen, & folia, mitiorẽ efficaciam habent. Adhuc autem mitius eſt gummi, & tragacantha, & ſarcocolla, & amylum: quibus utendum eſt ubi magis compreſſa fuerit, dum

ab ad-

A ab adstringentibus constringitur. At si æqualem crassitudinē habet, quam sanè columellam uocant, gargarismis fidendū est his qui ex myrrha, & croco, ac cypero parantur. Vitandæ uero cōtusiones, & illitiones per pinnam potius fiant. Compositum facit hoc. Rhois syriaci drach. VIII. croci drach. IIII. costi drach. VIII. seminis rosarū drach. IIII. facit & ad gingiuas. Porrò filum lanæ purpura marina infectæ, quod obligatum est collo uiperæ, ipsamq; strangulauit, deinde pro amuleto appensum est, mirifice quodammodo iuuat tonsillas, & colli affectiones, uelut Galenus testatur.

Filū quod uiperam strangulauit

Ad sanguinis ex ore eruptiones.

Porri folia cōtusa imponito. Aut spongiam nouam pice cruda tinctam comburito, & trita utitor. Commodæ uero ualdè sunt etiam collutiones, rosarum siccarū aut uiridiū decoctū frigidū, aut pampinorū uitis, aut foliorū lentisci, aut rubi, aut malorū cydoniorū, aut rhois, aut uinaceorū, aut lentiū.

Sanguinis ex ore eruptio

De angina, & huic uicinis affectionibus, ubi & de his qui strangulantur, aut aliàs quomodocunq; suffocantur. Caput XXVII.

INternis faucium musculis inflammatis angina fit, quæ synanche appellatur. Externis uero, quæ parasynanche. Eodem modo interni summi gutturis musculi inflammati eam efficiunt quæ cynanche uocatur. Externi uero eam quæ paracynanche. Consequitur ad omnes rectæ ceruicis spiratio, & dolor cum spirandi difficultate. In aliquibus etiam febris, ruborq; faciei ac colli, & in quibusdam tumor. Et os apertum habent, & deglutire non possunt. In cynanchicis quandoq; etiam suffocatio sequitur. Fit etiam in pueris raro tamē talis affectio, colli uerticulis ex elapsu ac discessu affectis. Verum illorum uelut incurabilium curationem non aggrediemur. Reliquis uero statim uenam de cubito secabimus, & non aceruatim euacuabimus, sed sæpe copia partita. Nam ex aceruata euacuatione si in animi deliquiū inciderint, suffocationis periculum succedit, aceruatim confluente materia
B ad affectum locum. Si uero non statim leuentur, uenæ etiam sub lingua secandæ sunt, aut etiam ipsa lingua scarificanda, si prominentior cum tumore appareat. Aluus quoq; acriori infuso per clysterem eluenda est, & pedes aqua calida perfundendi, & deligandæ fortiter extremæ partes, & collū integendum lanis succidis, aut etiam oleo imbutis, & cataplasmata ex cruda ordeacea farina imponenda. Ab initio gargarismis utantur ad tonsillarū inflammationem relatis, aut simplici medicamēto ex moris, cum rhois decocto, præstat autem ex syluestribus moris esse id medicamentum. postea uero etiam composito ex moris, aut medicamento ex nucibus iuglandibus illinantur. Vigente uero morbo, etiam nitri parum ammiscendum est, aut sulphuris uiui, nisi acrimonia aliqua id prohibeat. Sed & caninū stercus aridum tritum, & cum melle illitum, optimum est medicamentum, & maxime quod album est. Et syluestrium hirundinum cinis eodem modo. Si diuturna fiat affectio, & illitione ex besasa, hoc ruta syluestri utendum est: ita ut quandoq; exoluamus, quandoq; intendamus ipsius facultatem, aliorum medicamentorum ammixtione. Cucurbitæ quoq; aut hirudines adhibendæ sunt mento & collo. Et fortioribus gargarismis utendum, ex iride, hyssopo, melanthio, abrotono, glycyrrhiza, caricis in aqua mulsa coctis, aut rutæ succo cum lacte, aut sinapi cum aceto mulso. Si uero ex his aliqua acrimonia oboriatur, dandum est ipsis oleum optimum calidum, aut rosaceum per se, aut cum ptisanæ succo, aut fœnigræci succo gargarissandum. Alimentū sit aqua mulsa ad tertium usq; diem. Post quam ptisanæ succus, cum aliqua ex iucundis potionibus. deinde etiam ouorū uitelli liquidi. Et ex alica sorbitionibus utendum est deglutitione directiore euadente, & cibis ægrori uiribus congruis. Declinatione uero apparente, ad deambulationem & balneum ducemus. Locos autem ex cerato rutaceo integemus, & reliquo refectorij uictus ductu conuenienter utemur. Ex his uero qui strangulantur, manus non admouebimus his quibus iam spuma circa os est, Hippocrati credentes.

Angina
Synanche
Parasynanche
Cynanche
Paracynanche
Stercus caninū
Strangulati

i

dentes. Alij uero reuocantur aceto & pipere instillato, aut urticæ semine in A
aceto acerrimo trito. Laboriose uero admittunt. quare cogere oportet. dis-
solutis autem circa collum ruboribus, statim suspiciunt, & relaxantur. Simi
Naufragi liter etiam in naufragis, & in summa in omnibus qui suffocantur. Resusci-
tatur enim horum calor.

De grauedine, & defluxu, & de arteriacis, ac de tussi. Caput XXVIII.

COmmune habent hæ affectiones hoc, quòd superflua humiditas ex ca-
pite ad subiectas partes defertur. Et ubi quidem hæc ad nares irruit, gra
Grauedo uedo appellatur affectio. Vbi uero ad fauces & palatum, simpliciter deflu-
Defluxus xus. Si uero ad summum guttur ac asperam delabatur arteriam, ut membra
Raucedo na quæ hanc intrinsecus ambit exasperetur, raucosa uox fit, & raucedo, &
Arteriaca arteriaca affectio appellatur. In quibus non solum ex capite, sed etiam per
affectio uehementem uociferationem, & frigidi spiritus inspiratione, asperitas in-
flammatoria contrahitur. Diuturno uero facto morbo, & fluxione ad thora
cis ac pulmonis partes delabente tusses oboriuntur malignæ. Sed & ob in-
temperiem sæpe tussis fit, quandoq; calidam, uelut in febribus: quandoque
Tussis sicca frigidam, uelut in aquilonaribus constitutionibus, quæ etiam sicca magis
existit. Quin & aliorum morborum symptoma aliquando fit tussis, uelut
pleuriticorum, hepaticorum, tabidorum, peripneumonicorũ. Galenus igi-
tur in diuturnis tussibus, grandinum quarundam eductionem è thorace fa-
Alexander ctam esse narrat. Alexander etiam lapidem quendam grauẽ, qualis est qui
Lapides tussi, in urinarijs meatibus nascitur, in diuturna tussi eductum esse dicit, atq; in-
& in sangui- de quoq; tussim sedatam esse. Nos autem in sanguinis reiectione lapidũ ex-
nis reiectione cretionem uidimus, uelut ubi ad eum locum deuenerimus, exactius refere-
excreti mus. Qui igitur ob ardorem habent grauedinem, aut defluxum, his caloris
sensus circa partes contingit, & tenuium humorum fluxus per nares, & per
os, ruborq; circa faciem & nasum. Qui uero ob frigiditatem, his distentio
fit partium circa caput & frontem, & coliformium meatuum obturatio, ut B
uox superne per nares personare non possit. In diuturniore autẽ affectione
etiam tusses accedunt, & pituitæ eductio, aliquando crudæ & liquidæ, ali-
quando cum uirore pallidæ. Quibusdam etiã febris accedit, quæ quidẽ ob
Febris utilitas ardorẽ affectus nihil prodest, ob frigiditatẽ uero affectis cõcoctionẽ efficit.

Curatio defluxus & grauedinis.

Siquidem igitur calida intemperies prædominetur, auxilia conuenient
ea quæ competunt caput dolentibus ob eiusmodi causam. Sed & balneis
utendum est, & calida uberiore perfundendum est caput. Cibi uero his cõ-
ueniunt sorbiles, & oua sorbilia, & amylum, & dulciaria liba, & sesama, &
oryzæ, & amygdalæ, & nucis pineæ nuclei, & quæ ex lacte fiunt placentæ.
Ex uinis dulcia, & non uetusta. & ex capitibus papaueris medicamentum
delinctile, & composita ad hæc auxilia. Si uero frigida fuerit intemperies,
& morbus ægre solubilis, modicus cibus assumatur, & capitis illitio per ca
lida & tenuium partium ungenta, nardinum ac rutaceum. Irinum uero nõ
solum illinendũ est, sed etiam naribus instillandum, quæ etiam intrinsecus
thure, & myrrha cum oleo illinendæ sunt, & præsertim in his qui grauedi-
nem ex frigiditate habent. Quibusdam etiam odoramenta per linteũ com-
bustũ, aut melanthio, aut cumino, combustis & linteo illigatis profuerunt.
Et cyphi selenia cum olfaciant, & fronti illinant, cui etiam unum ex empla-
stris inflammationem arcentibus agglutinetur, uelut est Icesium, aut Oxe-
rum, aut Barbarum, aut Athena appellatum. Verum ad defluxum ob frigi-
ditatem etiam bibere cyphi conducet. Thoraci uero illinendus est balsami
succus, ipseq; cõcalefaciendus per lanas succidas cum styrace, & irino, aut
anethino. Cibis etiam calidioribus ac concoquentibus utendum est. Ma
teria uero iam concocta, etiam apophlegmatismus per os pituitam
detrahens ipsis conuenit, & smegmata capitis, uelut
sapo Constantini, & consimilia.

A

Arteriacorum curatio.

Arteriacis uero qui & raucosi appellantur, conueniunt quidem & relata, priuatim uero ubi inflammatoria est affectio, circa arteriam & summam ipsius partem, in principio meatus obducentibus utendum est auxilijs, donec inflammatio moderatior fiat. Talia autem sunt quæ ex passo eretico, & tragacantha, & gummi, & amylo parantur, & pinguium palmularũ decoctum: & radicis dulcis cum sapa, ad mellis compagem: & hypoglottidum ab eo quod linguæ subijciantur, appellatarum usus. præ omnibus uero à uini potu abstineant hoc tẽpore. Vbi uero moderatior facta fuerit inflammatio, uinum dulce sumant, & sorbitionibus ex melle & lacte, cum amylo aut pane siligineo: itemq; ex amygdalis utantur. & butyrum sumant. Humiditate uero in partibus relicta, ad ea quæ magis exergunt deueniendum est, uelut est faba fresa elixata, & quæ ex melle parantur, & brassicæ, & porrum probe coctum: Medicamẽta uero calidiora, & quæ ad tussim faciunt, ex sapa de caricis coctis, & thure, & iride, & terebinthina, & styrace, & galbano, & pipere, & cinamomo ac cassia, & his similibus. *Arteriaci qui sint* *Sapa ex caricis*

De tussi.

Sed & tusses eadem methodo curare oportet, ita ut hoc solum respiciamus, an etiam ob aliarum partium fiant consensum, uelut gurgulione, aut capite destillante: & si ad alios morbos acciderint, ut etiam horum quantũ fieri potest prouidentiam habeamus, iuxta relatum ac referendum modũ. At compositorum auxiliorum expositio consequenter subiecta est.

Catapotia ad defluxum & tussim.

Styracis, myrrhæ, opij, galbani, singulorũ pares partes passo excipe, aut per se tusa in pila, ad erui magnitudinẽ redige, & tres, aut quatuor, aut quinque eiusmodi pilulas dormitũ ituro præbe, & passum insuper sorbeat. Hæc ad acrem & tenuem fluxionem faciunt. Aliud. Seminis hyoscyami
B drach. XII. nucleorum nucis pineæ drach. VI. croci drach. II. Excipe sapa aut passo, & utere. Eclegma. Mellis unc. I. butyri semunciã, simul coctã dato, & hyssopi, ac ficuũ, & nucleorũ nucis pineę, & iridis decoctũ sorbeat.

Catapotia diuturnioribus.

Styracis drach. VI. myrrhæ drach. IIS. terebinthinæ, galbani, opopanacis, iridis, singulorum drach. II. piperis albi, nitri, seminis hyoscyami, succi papaueris, singulorum drach. I. Citra aliquem liquorem in pila contusa, in catapotia effingito, & uelut dictum est utitor.

Ad gutturis asperitatem, & tussim, & sputa cruenta.

Amygdalas amaras dealbatas XXV. seminis lini tosti drach. IIII. tragacanthæ drach. II. nucis pineæ nucleos XXX. oui in fermento oblito assati uitellum. Tragacantha aqua maceratur. Totum uero passo excipitur. Si uero etiã sonus uocis fuerit fractus, mel pro passo ammisce, & maxime in quibus educi quid opus est. *Gutturis asperitas* *Sputa cruenta* *Vocis sonus fractus*

Arteriaca hypoglottis sub lingua tenenda.

Ad uocẽ abscissam, raucosos, & cruẽta reiectantes. Tragacanthæ drach. VI. gũmi drach. VI. myrrhæ drach. I. thuris drach. IS. piperis albi grana XX croci drach. I. succi radicis dulcis drach. VI. palmularum III. carnem, passi eretici quantum satis est. Facit etiam ipse solus tragacanthæ succus sub linguam subditus. Cæterùm pro radicis dulcis succo, ipsius coctæ decoctum ad spissitudinem redactum, quadruplum reijcitur.

Arteriaca ad sonos abscissos, conueniens etiam phonascis.

Porri capita VI. ad tertias coquito, & ipsa quidem abijcito, ad aquam uero alicę succum ammisceto, & mel, & ouorum prius coctorum uitellos III. simul coquito, anethi ramulis agitando. *Phonasci*

Ad tussim.

Pulegij sextantem, nucleorum nucis pineæ, seminis cnici, seminis lini, singulorũ unciam unam, piperis albi trientem. Excipe melle cocto. Aliud.

 Hyssopi,

Hyssopi, pulegij, piperis, singulorum unciam unam. petroselini unc. S. mellis heminam unam. A

Concoctorium diuturnæ tussis.

Mellis drach. XVI. terebinthinæ drach. II. galbani drach. XIIII. simul cocta ad fabarum magnitudinem, & ad nucis ponticæ magnitudinẽ efformato, & his suctu utatur. Aliud. Tussim siccam curant & arteriaca, & aquæ aliquando sorbitio ferucfactæ. Nam ob crassiciem pituitam non educentes, ex humectantibus opem sentiunt. Conuenit ipsis etiam hyssopi, & iridis, & nucleorum nucis pineæ decoctum.

Pastillus suffumigabilis ad assiduam tussim.

Styracis, piperis, mastiches, petroselini, singulorũ unc. I. sandarachæ scrupul. VI. lauri baccas II. melle excepta suffito prunis iniecta, ut tussiẽs per infundibulum fumum inspiret. facit ad quomodocunq; perfrigeratos.

De rectæ ceruicis spiratione, anhelatione, & spirandi difficultate.

Caput XXIX.

Spiratio rectæ ceruicis *Anhelosi* *Orthopnoici* *Spirandi difficultas*

QVi citra febrem spiritum densum habent, uelut hi qui uelociter cucurrerunt, hos à symptomate anhelosos nominant. Eosdem uero ab eo quòd thoracis figuram totam erectam seruant, ob timorem ne suffocentur, orthopnoicos id est recta ceruice spirantes uocant. Fit autem affectio crassis ac uiscosis humoribus, cartilaginosis pulmonis partibus infarctis. At spirandi difficultas commune symptoma est, & his & alijs pluribus affectionibus accedens. Cæterum anhelatorum curationis scopus est, consumere crassum ac uiscosum humorem, per attenuantia ac extergentia medicamenta. Acetum igitur ipsis conuenit scilliticum, & acetum mulsum ex hoc paratum, potum. Et ipsa scilla assata trita cum melle. Et ex antidotis hiera. Et purgatio assidua ex medicamẽtis fortissimis. Et uomitus ab acceptis raphanis, & aristolochia rotunda pota, centaurij magni radix, sphondylij semen & radix, calaminthæ coma, hyssopum, iris, melanthium. Asellorum sub hydrijs degentium sextarium in fictile uas conijcito, & ad prunas torreto, dealbatos autem terito, & melle cocto exceptos, mystri mensura ante & post cibum dato. Si uero necessitas urgeat, etiam uenam ante omnia hæc secato, & pro uiribus euacuato. Aluus quoq; infusis per clysterem irritetur. Cataplasma uero extrinsecus thoraci imponatur ex ficis, & loliacea ac hordeacea farina, resina, cera, ac melle adiectis. Inspergatur ipsi etiam iris & manna thuris: non inutilis est & cruda hordeacea farina cum resina, cera, iride, & manna. Vngentis autem utendum est calidioribus, irino, anethino, rutacco. priuatim uero hoc. pumicis partem I. fecis uini ustæ partes IIII. arsenici partem I. floris iunci rotundi odorati partes II. alcyonij partem I. aphronitri partes II. tusa cribrata ungento excipito, & ex hoc partes circa thoracem confricato. Sed & malagmatis utendum est, quæ serosos humores trahere possunt. B

Anhelosis potiones.

Polij, abrotoni, castorij, chamæpityos, ammoniaci thymiamatis, singulorum æquales portiones melle subactas dato. Alia. Quidam aphronitri cochlearium unum in tribus aquæ mulsæ cyathis dederunt. Alia. Aphronitri drach. IX. piperis drach. I. silphij drach. S. Dato cochlearium cum aqua calida. Alia. Castorij, ammoniaci thymiamatis, singulorum drach. VI. piperis grana XL. Excipe passo, & fabæ magnitudinẽ præbe eum aqua mulsa. Alia. Sinapis drach. I. spumæ nitri, obolos III. elaterij dichalcon, hoc est oboli dimidium. Totũ hoc in pastillos VIII. digere, & duos ad dies duos præbe. purgant enim sursum citra molestiam. Verum in his qui suffocantur aphronitri drach. III. cum aquæ mulsæ cyathis III. præbe. & aliquando cum cardamomo, & statim auxiliatur. Facit & ad coxendicum morbũ.

Dichalci pondus

De peripneumonia. *Caput* XXX.

Peripneumonia

PEripneumonia inflammatio pulmonis est, plerunq; ex defluxibus fortibus, aut anginis, aut anhelationibus, aut pleuritide, aut alijs morbis oboriens

A oriens. Quandoq; uero ipsa per se affectionẽ auspicatur. Sequitur hos spirandi difficultas, febris acuta & ardens, grauitas & tensio pectoris, impetus & perceptio multæ repletionis circa faciem, materia sursum uersus impetũ faciente instar ignis. Rubicundæ igitur ipsis apparent malæ, & oculi rument, & cutis supercilijs incumbens deorsum nutat, & corniformis tunica subpinguis apparet: si uero signa ad maiorem ardorem inclinant, inflammationem sacri ignis naturam in pulmone habere putandum est. In his igitur qui ex transmutatione aliorum morborũ ad hunc deuenerunt, uenæ sectionem reprobare oportet, & præsertim si diuturni fuerint, aut etiam ab initio uenam secuerint. Verum in remissionibus infusum per clysterem in aluum mittatur, quæ ægrè subduci potest. Et cucurbitæ affigantur ad pectus & ad latera, si nihil prohibeat, atq; hæ multæ cum scarificatione. At si statim ab initio peripneumoniæ affectio auspicetur, permittentibus numeris ad hoc requisitis, uena secetur. Sin minus, etiam his saltem cucurbitæ affigantur, ita ut pro uiribus sanguinis euacuationem faciamus. Sorbitiones autẽ accipiant ex ptisanæ, aut alicæ succo, cum melle: aut ex amygdalis amaris, cũ similagine aut alica, ex iucundis potionibus aliqua ammixta, hydromelo, aut fauorum cremore cocto, aut hydrorosato. Commodum est & butyrum recens trium cochleariorum mensura. Præbibant autem ficuum cum hyssopo decoctum, aut iridis coctæ in aqua mulsa. Aut iridis tritæ cochleariorũ II. mensuram inspersam aquæ mulsæ. Hoc etiam deorsum purgat. Verũ ad uirium conseruationem, frequentius potent aquam mulsam per se, & cum nucleis nucis pineæ, & cucumeris semine. Verum ad totum thoracẽ ac costas laterum imponere oportet ceratum cyprinum iridem inspersam habẽs. Aut ceratum ex oleo rutaceo & iride sicca. Aut id quod ex cera, resina, medulla, butyro, œsypo, iride sicca, & ungento nardino præparatur.

De sanguinis sputo. Cap. XXXI.

B SI quidem ex ruptione uasorum, sanguinis sputum fiat, multus euacuabitur: & quandoque ex manifesta causa, uelut casu, clamore, ac similibus: quandoq; ex obscura, uelut plenitudine, aut immodica frigiditate. Nam frigidum uenarum ruptorium esse Hippocrates ait. Si uero ex corrosione, nõ aceruatim, sed paulatim sanguinis eductio fit, acribus quibusdam ac prauis edulijs prægressis, aut inedia, aut acri defluxu. At si ex uasorum apertione, ex relatis nihil, præterquàm plenitudo aliquando præcedit: uerum uictus humidior ac calidior, & balneorum immoderatus usus, & in ualde calidis locis habitatio, his causa apparebit: & neq; in inflammationibus, neq; in febribus, neq; in doloribus erunt ita affecti, uelut hi qui ex corrosione. Imò uice uersa lenius ferent, dum ut par est euacuantur. Si uero etiam hæmorrhoides, aut muliebres purgationes suppressæ fuerint, etiam à periculis liberabuntur. Eadem bona cõtingent etiam his qui ob plenitudinẽ ex ruptione euacuantur, præterquàm si propter ulcus, aut immodicam euacuationẽ læ dantur. Cæterum sanguinis ex corrosione euacuatio, nunquàm ad bonum contingit. Et si quidem per uomitus efferatur, manifestum est quòd ex locis circa stomachum aut uentrem fertur. In quibus etiam per sedem descendẽs quandoq; euacuatur. Si uero cum tussi, à partibus respiratorijs. Verũ si quidem spumosus fuerit & subalbidus, & per interualla efferatur, citra dolorẽ ac compressionem, ex pulmone ferri indicatur. In quibus progressu temporis etiam febris continua sequetur, & maxime in his quibus ex corrosione: & de pulmonis essentia aliquid, aut cartilaginosa pars, aut uena effertur. Noui autem aliquem ex his qui sanguinem ex pulmone expuunt, progressu temporis cum maxima tussi, & sanguinis copia, quatuor aut quinq; lapides expuisse asperos, ueluti tribulos, magnitudine uero siliquatum triũ aut quatuor pondus habentes: & statim quidem alleuatus est, paulò post autẽ in tabem transijt, & mortuus est. Si uero aliquando pituitosa eductio fiat, cum leuiore tussi, aut etiam excreatione, & quod effertur spumosum fuerit

Sputum sanguinis

Frigidũ uenarum ruptoriũ

Lapides cum sanguine reiecti

 ac leue,

ac leue, ab aspera arteria eductionem esse scito. Atsi niger fuerit sanguis & A grumosus, & doloris significationem circa locum de se præbeat, de thorace elatio indicatur, transsumptione per pulmonem aut guttur contingens: quæ uero cum exscreatione cõtingit elatio, ex partibus circa fauces per palatum educerur. Si uero aliquando à capite destillet, cum irritatione aliqua ac tussi emittitur, defluente ipso ad summum guttur, & arteriæ caput, ita ut rursus sursum efferatur. Verum in his plerunq; acris defluxus, aut capitis dolor, aut grauitas præcedit. Contingit etiam aliquando per palatum sanguinis euacuatio, & propter hirudinem deuoratam, & adhærentem in aliqua eius loci parte. Sed de hac in tractatione de uenenis dicetur.

Curatio. Eis qui ob defluxum sanguinem spuunt, statim uenam secabimus, si nõ ualde acris fuerit defluxus: & moderate pro uiribus detrahemus. Extremæ partes deligentur ac confricentur cum oleo ueteri calido aut sicyonio, capite excepto. Cibus detur frumentaceus, cui additus sit succus alicuius ex austeris, uelut mali punici, pomorum, pirorum: aut illa ipsa simul coquantur. Dormire uero uolenti pastillum ex succino dato. Et tertia die mellis cocti parum delingendum dato. Si uero hæc superata fuerint, morbo diuturno facto, raso capiti medicamentum ex stercore syluestrium columbarum impone, & post tres horas ablato pharmaco, ad balneum ducito, nequaquàm illinens caput. Deinde sorbitionibus nutrito, ad somnũ theriacen antidotum dato. Et ubi rursus postridie dederis, similiter confricato totum corpus, capite excepto. Huic autem ceratum ex thapsia imponendũ est, aut aliud quoddam. Et rursus sorbitionibus utendum, perseuerante malo etiam cucurbita ad occiput affigatur. Si uero ualde acris defluxus fuerit, uenæ sectio reprobetur. Cibis uero & auxilijs antea in capite de defluxu relatis utendum est, & his quæ paulò antea relata sunt cõmodis. At his qui ob frigiditatem sanguinem spuunt, thoracem calefacere oportet cũ his quæ simul siccant. Et medicamentum ex duobus piperis generibus dare, una cum pastillo ex succino. Sed & qui ex spiratorijs partibus, ob ruptionem aut apertionem uasorum, sanguinem educunt, his uena secanda est, si B non sanguinis copia feratur. Omnes porrò decumbere oportet in locis ad aërem expositis, in lecto immobili, figura sursum uergente, ita ut uitent uehementem respirationem, & ne loquantur. Affectis autem locis injiciendæ sunt spongiæ ex posca tepida. Post septimum diem lanæ succidæ cum rosaceo, aut myrteo, aut lentiscino, quandoq; cum aceto, quãdoq; cum uino austero. Si uero multa elatio contingat, pollinem & mannam thuris cum aceto imponemus. Aut alumen, & acaciam, aut malicorium, aut gallam cum aceto, aut palmulas cum polenta & malis cydonijs coctas in uino austero. Postea uero etiam emplastrum ex salicibus imponendum est, præsertim si moderatior elatio existat. per os uero accepta hæc faciunt, portulaca comesta. Efficacior autẽ succus ipsius est potus, balaustium, rubi fructus, & flos, quercus mẽbranosa sub cortice pars, & quę sub putamine glandis est membrana. Maxime uero his coctis utantur fagi autem & ilicis membranæ efficaciores sunt: samius aster ad omne sanguinis sputum facit, lemnium sigillum, lapis hæmatites leuissime tritus, cum succo mali punici, aut polygoni. Quantitas autem lapidis sit scrup. I. Composita uero hæc faciunt. Pastillus ex succino, & qui ex corallio constat, & qui ex Aegyptia spina, Item puluillus siccus ex terra astere, lemnio sigillo, corallio, symphyto & amylo, omnibus æqualibus portionibus. Verum in his qui ex corrosione sanguinem spuunt, & maxime defluxu prægresso, etiam opij partem dimidiam ammiscemus. Sed & id medicamentum quod accipit samij asteris, lapidis agerati, lemnij sigilli, æquales singulorum partes, commodum est si duorum cochleariorum mensura bibatur in duobus cyathis succi plantaginis. Aliud. Sigilli lemnij drach. XVI. samij asteris drach. XVIII. amyli drach. VIII. sarcocollæ drach. IIII. gummi drach. II. puluilli ex his sicci cochlear. I. cum

Figura sursum uergens

decocti

A decocti palmularum cyathis duobus datur. Sorbeant etiam poscam frigidam, aut palmularum, aut malorum, aut pirorum, aut uitis pampinorũ, aut eiusmodi cuiusdam decoctum. Cibum uero accipiant si uires urgeant, circa secundam aut tertiam horam. Sin minus, circa quartam. Sit autem panis lotus ex aqua frigida, aut alica, siue chondrus, cum aliquo ex succis astringentibus, uelut mali punici, aut myrti baccarum, aut omphacomelitis: aut oua sorbilia, aut placentæ ex lacte cum aliquo ex adstringentibus. Ex oleribus intybum, cichorium, plantaginem sumant, cocta cum oleo crudo & aceto. Ex fructibus, mala, pira, mespila, mala punica, corni fructum. Potus non febrientibus sit uinum aquosum, modicum, febrientibus aliqua ex relatis potionibus, aut hydromelum cebyraticum. Ad eos uero qui sanguinem uomunt, eodem ductu utendum est, solum ut uitemus ne frequenter cibum capiant. facile enim hi curantur, eo quòd auxilia quę præbibuntur, statim ipsis partibus unde sanguis erumpit occurrunt. Porrò si sanguis in uentre in grumos coactus fuerit, coagulum bibatur, maxime leporinum, aut lixiuium ficulnũ cum aqua, aut thymus, aut thymbra cum aceto. Aut etiam per lac scissum euacuentur, aut per aloën. At in his qui de palato per screationem sanguinem spuunt, gargarismis ex adstringentibus utendum est: & fronti ac capiti adhibenda ea, quę his quibus ex naribus erumpit sanguis adhibentur. Atq; hæc est sanguinem spuentium curatio, quam studiose facere oportet, propter instans ex immodica euacuatione periculum. Nam copia eius qui euacuatur, quemadmodũ in his quæ mactantur, breui mortem inducet. Si uero affectio perseueret, transitionem ad tabem minatur. Omnibus igitur secundum rationem peractis, & desinente sanguinis latione, reficere ipsos oportet, ita ut piscem exhibeamus, & ex iuuenculis suibus pedes, & cerebella: & corpus confricemus, ac iubeamus ut uitent assiduum balneorum usum, & uini potum, & iracundiam, ac Venerem.

Cebyraticũ hydromelum

Sanguis grumosus in uẽtre

B

De suppuratis & tabe. Cap. XXXII.

SVppuratio in uacuis thoracis partibus, aut circa membranam succingentem costas consistit, quandoq; ob sanguinis eductionem ulcere ad cicatricem non perducto: in quo etiam tabes statim sequitur, si ex pulmone eductio fiat: quandoq; inflammatione prægressa, deinde ad abscessum permutata, ac rupta: quemadmodum in pleuriticis etiam aliquando cõtingit. Aut etiam ob cõfluxionem ex capite obortam. Signa igitur suppurationis quæ adhuc colligitur, sunt, grauitas thoracis, & tussis iugis sicca cum dolore, quandoq; etiam cum humiditate, ex qua etiam leuari sibi uidentur. Et febres ab initio ipsis fiunt debiles, & inordinatæ, ac quæ ægrè iudicantur. Vbi uero prope ruptionem est abscessus, uehementius febriunt cum quodam horrore, & inter loquendum impelluntur dum à spiratione uexantur. Rupto autem abscessu, pus educitur, quandoq; purum, quandoq; fœculentum. Et aliquando sursum rumpitur abscessus, quando etiam periculosior est: aliquando etiã deorsum. Et in quibus deorsum rumpitur, partim ad uentrem & intestinum transsumitur, partim ad uesicam, transsumptione per uasa quædam cõtingente. febriunt autem semper hectica febre, usq; ad repurgationem. Quæ si non diligenter procuretur, cito in tabem transit suppuratio, pulmone ulcerationem sustinente. Qua iam consistente, & genæ liuescunt, & circa frontem ac collum exudationes fiunt, & carnes colliquescũt, & ungues incuruantur, & pingues, & exalbidi, aut ualde pallidi apparent. Cæterùm affectione prædominante, & uenter exturbatur, & præcordium reuellitur. Et sitis ipsos diutius tenet, & cibi inappetentia, & quod effertur sursum, ualde graueolens est.

Suppuratio thoracis

Tabes

Curatio. Oportet igitur primum quidem suppurationis concoctionem adiuuare, & per spongiarum fomẽta, & per cataplasmata ex farina hordeacea, cum caricis coctis, & modica resina, & columbino fimo, & nitro ac hibisco. Adiuuat ruptionem etiam decubitus ad latus non affectum. Sorbeãt

Rumpẽtia thoracis suppurationem

autem ex interuallis aquam mulsam, & ptisanæ succum cum melle. Qui uero robustiores sunt, etiam hyssopi ac thymi decoctũ bibant cum melle. A Adiuuat item iuptionem salsamentorum esus, & hieræ ex colocynthide catapotia ad somnum accepta. Vbi uero pus excerni cœpit, rursus dandũ est hyssopi decoctum, & iridis ac glycyrrhizæ, sint autẽ hæc cocta in aqua mulsa. Aut glycyrrhiza trita cũ sesamo. Cataplasma sit ex polline, in aqua mulsa & oleo cocto. At si ulceratio ægrè repurgetur, compositis utendum est. uelut est quod ex marrubio paratur simplex ac compositum, & quod ex eruo, & dodecatheon, & philoxeni appellatum. Verũ ad tabem dilapsis, porrum capitatum in alicæ aut ptisanæ sorbitionibus eliquatũ dato. Imò etiam per se bis coctũ dandum est. potus sit aqua pluuia, & aqua mulsa ex illa parata. Ab initio uero remissionum, cataplasmata adhibeantur ex lini semine ac polline, cum decocto fœnigræci aut maluæ, oleoq; ac melle, & folijs althææ. Tempore uero progresso, ad cerata transeundum est ex butyro, & cyprino, & laurino, & iride. Sed & Mnaiææ emplastro utendum est. Thorace uero fluxionibus infestato, emplastrum ex salicibus imponendum est. præbibant etiam antea relata ad suppuratos simplicia, & quædam ex compositis.

Tussis grauis

Cæterum tussi grauiter obtinente, thymum & hyssopum cum glycyrrhizæ succo melle cocto excipe, & efformata sub lingua tenẽda præbe. Conueniet ipsis etiam Mithridatis Antidotus ex interuallis, & quæ ex uiperis paratur. Optimum uero his auxilium est Armeni boli potus, & Antidotus Esdra non minus quàm prædicta.

De pleuritide. Caput XXXIII.

Pleuritis

QVæ proprie pleuritis dicitur, inflammatio est membranæ intrinsecus costas succingentis, cui adest spirandi difficultas, & tussis, & febris continua, & dolor pertingens usq; ad clauiculam, & præcordiũ. Discernes autem pleuritidem ab hepatis inflammatione, nam & in illa omnia hęc apparent; eo quòd in pleuriticis punctorius est dolor, & tussis aliquando sine B

Hepatis inflãmatio differt à pleuritide

sputo, quando etiam crudus indicatur morbus, aliquando uero etiam sputum efferunt, quod indicat humorem morbum efficientem. Rubicundum enim & subferuentum educitur, sanguine redundante: flauum uero & cum pallore subuiride, bile: quemadmodum rursus album & subspumosum, pituita: In atrabiliario uero humore, nigrius: & pulsum durũ, & secantis quippiam modo se habentem habent. At in hepatis inflammatione, neq; punctorius est dolor, neq; pulsus adeò durus. Sed & tussis semper sicca & sine sputo est, & facies decoloratior apparet. Quæcunq; uero pleuritides propter

Pleuritis nõ uera

externorum musculorum fiunt inflammationẽ, quæ sanè neq; propriæ sunt pleuritides, in his unà cum hoc quod neq; tussiunt, neq; spuunt, neq; durum pulsum habent, si quis manu affectum locum contingat, dolent ægroti, & si non fuerit discussus, tumor suppuratus ad hoc deuenit, ut forinsecus incidatur, quũ pleuritis ex membranæ costas succingentis inflammatione oborta, ad hoc nõ deueniat. Illa enim si non fuerit expurgata aut foras, aut intus, in suppurationem, & multò prius in peripneumoniam transit.

Curatio. Si quidem igitur ad clauiculam dolor se extendat, uena ipsis secanda est. Si uero ad præcordium, purgandum. Recentiores autem omnibus uenam secãt, ueriti ut arbitror turbationem ex purgatione. At uiribus non permittentibus, neutrum faciendum est, sed acribus per clysterem infusis utendum. Et si quidem moderatus fuerit dolor, post infusum danda est ipsis aqua mulsa, & ptisanæ, aut alicæ succus. Declinante uero affectione, porrum ad succos injciatur. Aut calaminthen, aut pulegium, aut urticæ semen, cum melle delingant. Verum uehemẽtes dolores post euacuationem

Lana sulphurata

mitigandi sunt, lana calida, aut sulphurata imposita, aut etiam fomentis ex milio, aut furfuribus, in sacculis admotis: aut per calidam aquam, aut oleũ in uesica. Lanæ quoq; succidæ imponantur cum oleo, ac uino marinam aquam ammixtam habẽte, aut sale ad ipsum iniecto. Aut cataplasma ex medica-

A dicamento ex ſeminibus adhibeatur, cum decocto chamæmeli, & althææ, caricarũ, iridis & abſinthij, cum modico melle, & oleo nardino. Circa quartum autem diem ſorbitionibus nutrito, cum pauco melle. poſt ſeptimũ diẽ eclegma ex amygdalis & urticæ ſemine, in melle cõtritis dabimus: & quod ex butyro ac melle ſimul coctis fit eclegma, & hypoglottide ex melle cocto utemur. Epithematis uero, & graueolente, & eo quod ex ſampſucho paratur, & rutaceo emplaſtro, ad locos dolentes utemur. Sed & bulbi cum axungia impoſiti ſæpe ſatis fecerunt. Infuſumq́ ex butyro ac terebinthina ipſis per clyſterem immittatur. Ex efficacioribus autem eclegmatis dabimus id quod ex nucleis piceæ, amygdalis amaris, ſemine lini, nucleis pineę nucis, & amylo, ſingulis æquis portionibus, cũ melle paratur. Vigilijs ſi infeſtentur, medicamentum ex capitibus papaueris delingere conueniet. Antidotis item & Athanaſia, ac alijs ad hoc compoſitis utemur. At poſt decimum quartum diem permanente affectione, cucurbitæ ipſis affigantur, & in uictu tenuiore conſeruentur. Et poſtea declinatione facta, ad balneum ducantur, ita ut frigidum uitent, & ſolidiore ac pleniore uictu utantur. Si uero non diſcuſſa ſuccingentis coſtas membranæ inflammatio, tranſmutationẽ ad pus oſtenderit, ſupra relatis utemur.

Ad dolores laterum ſine febre.

Laterum dolores ſine febre ſanant bdellium, & coſtus, ad braſſicæ caulium uſtorum cinerem, & adipem ammixta. Eſt enim hoc medicamentum forti diſcuſſoria facultate præditum.

De cordis affectionibus. Cap. XXXIIII.

COr ipſum primaria affectione affectum, longè ab eo abeſt ut medicorũ auxilium admittat, citam mortem inducens, & in inflammationibus ipſius, & in igne ſacro, & intemperamento uehementi in acutiſſimis febribus, & in ſanguinis eruptione, ubi uulneratum eſt circa ſiniſtrum maxime *Cordis primaria affectio deſperata*
B uentriculũ. At ex conſenſu affectum, & ex cerebro, & hepate, & ore uentris, triſtitiaq́ ac timore, & alijs pluribus, animi conciſionem, ſyncopen appellatam inducit, quæ aceruata uirium collapſio exiſtit, & exolutionibus ac animi deliquijs, & pulſuum paruitate, & extremarum partium perfrigerationibus, & exudationibus cognoſcitur. Atq́ hęc ſanè etiam ipſa auxiliũ non admittit, ſi fortis exiſtit. Si uero uires adhuc aliquo modo conſiſtunt, aliquando auxilium ſentit. *Syncope quid ſit* Sed & palpitationes cordis uehementes ſæpe fiunt, ob ſanguinis in ipſo copiam aut feruorem. Hoc uero calefactum quidem, magnam & denſam efficit reſpirationem. frigefactum uero paruã & raram. *Palpitationes cordis* Quomodo igitur cordis ſyncopas in totum corrigere oporteat, in febrium ſymptomatis libro ſecundo diximus: Tantum tamen hic addendũ eſt, quòd inualeſcente ſymptomate, poſt extremarũ partium defrictiones, & unctiones, & pauimenti purificationes, ac reliquum refrigeratorium ad reuocandam animam ductum, inſpergenda eſt exudantibus corporis partibus myrtus trita, aut terra cimolia, aut ſuccinum, aut malicorium cum thuris manna, aut ſamia terra cum gummi. Extremis uero partibus perfrigeratis uſq́ ad inguina ac ſub alas, cataplaſma imponendũ eſt ex ſinapi, aut pyrethro, aut adarce. Cibus aũt ſit panis ex aqua, aut ex uino frigido diluto, pedes ſuilli, articuli, ac roſtra uolucres, omnia frigida. Capiti ac fronti illinendum eſt omphacium, aut aliquid adſtringendi uim habẽs cum gummi, aut roſarum decocto. Cataplaſma conuenit præcordijs & ſtomacho, ex palmulis, roſis, œnanthe, acacia, hypociſthide, alumine.

De palpitatione cordis.

Noui quendam inquit Galenus, qui ſingulis annis uerno tempore, palpitationis cordis ſymptoma patiebatur. Et poſtquàm tribus annis expertus eſſet uenæ ſectionem ſibi cõmodam, quarto anno uenam ſecuit ante quàm ſymptomate corriperetur, & correptus non eſt, atq́ ſic conſequenter fecit per plures annos, unà cum hoc quod conueniente uictu utebatur. Attamen *Hiſtoriæ palpitantis cordis*

& hic

& hic mortuus est ante senectutem, quemadmodum & alij omnes, quorum aliqui in febribus acutis aceruatim in syncopen collapsi, similiter mortui sunt: aliqui uero ipsorũ etiam citra syncopen, syderationis modo, derepente uitam cõmutarunt. Plerique uero ex ita affectis ætatem agebant inferiorẽ quidem annis quinquaginta, uerum quadragesimum annum transgressi. A

De affectionibus circa mammas. Cap. XXXV.

Mammarum affectiones POst partum lac sæpe uelut in caseum concrescens, inflammationes circa mammas efficit. Ab initio igitur his utendum est. Spongiam tenerã posca tepida imbutam ac expressam imponito, ac apposite deligato. Aut palmulas cum pane & posca tritas. Aut ouo toto utendum est, cum rosaceo ac modico cerato. Aut alumine & psyllio, cum coriandro. Aut portulacã impone. Aut lapidem pyriten cum cerato impositũ deligato. Distentione uero aut grumositate contingente, panem ex aqua & oleo, aut uino mulso imponito. Aut panem cum perdicia de uiridi, unà cum cerato, bis in die. Aut farinam fabaceam cum aqua mulsa, aut sapa. Si uero grauitatem nõ ferant, irrigatione ex oleo dulci calido utendum per molles lanas. Fomentum autem ipsis adhibeatur ex aquæ calidæ uapore, aut fœni græci, aut althææ, aut seminis lini decocto. Cataplasma ipsis imponatur ex polline cum lini semine, aut ex fœnograeco cum aqua mulsa, aut ex sesamo cum melle aut butyro trito. *Mãmarũ exsuctio reprobata* Reprobare uero oportet mammarum exsuctionem, ut quæ per suctum amplius ad ipsas attrahit. Declinante inflammatione, cerata adhibeantur hæc. Betam donec flaccescat in oleo coquito, & ipsam quidẽ abijcito, ad oleum uero ceram cõmoderatam adijcito ac utitor. Aliud. Ouorum crudorum uitellos decem, ad ceratum ammisceto, quod habeat ceræ sextantem, & unciæ dimidium, & rosacei trientem, & ad hæc cum spathula agitata, muriæ quantum admittere possunt affunde, & rursus spathula agitatis utere. *Mammarum duricia* Cæterũ ad mammarũ duricias facit emplastrum ex melle, & omnia mollientia medicamenta. Si uero tumor ad abscessum uertatur, B his quæ ad parotidas relata sunt, & quæ in tractatione de abscessibus referentur, utendum est.

Archigenes ad erosiones mammarum cum malignitate.

Vinum Adrianum *Mammarum erosio* *Galla omphacina* Vini Adriani boni sextar. XX. rhois coriarij lib. I. pilularum cupressi lib. I. gallæ omphacinæ nigræ sexuncem. cassiæ sexuncem. Contusa in uino ad dies decem macerantur. Deinde coquuntur, & spathula cupressina agitantur, ad dimidiæ fermè partis consumptionem. Et tunc quidem herbę reijciuntur. Succus autem ad mellis spissitudinem coquitur, & uase uitreo, excipitur. Vtere in ulceribus proserpendo depascentibus meraco. Si uero crassius fuerit, uino humectetur. Accommodatum est medicamentum, utpote cuius usus aduersus nomas in mammis resistere possit, & ad aures purulentas, & gingiuas humentes ac putridas, & dysenterias. Mitigat etiam dolores lacte dilutum. Aliæ porrò mammarum ulcerationes communi reliquis ulceribus modo curandæ sunt.

Mammas conseruantia.

Mammis conseruandis Cuminum in aqua tritum mammis imponito. deinde spongia ex posca extrinsecus imposita, pectus fascia constringito. post triduum uero ablato cumino, lilij bulbos cum melle mammis imponito, & deligatos rursus ad triduum sinito. Atque hoc ter in mense facito. Aliud. Cicutam tritam ad dies nonẽ impone, & spongiam uelut dictum est, forinsecus adhibe, & paucis interpositis diebus idem facito. Quin & coctis Naxiæ dum ferrũ in ipsa acuitur detrimentum, mammas uirginum conseruat.

Ad grauem alarum fœtorem ac exudationes. Cap. XXXVI.

Alarum fœtor ALuminis liquidi partes II. myrrhę partẽ I. uino dissolutis utere. Aliud. Plumbaginem ustam & uino odorato extinctam, cum uino terito, modica myrrha adiecta, donec strigmentitia fiat crassitudo, & utitor. Aliud. Spumæ argenti drachmas XVI. myrrhæ drach. II. amomi drach. I. uino excipe.

A cipe. Aliud. Aluminis liquidi drach. VIII. amomi, myrrhæ, ſpicæ nardi, ſingulorum drach. IIII. uino tritis utere.

De affectionibus circa ſtomachum, præcordia ac uentrem. Cap. XXXVII.

DE ciborum quidem in febribus inappetentia, & de fame magna, ac de canina appetẽtia. Itẽ de ſtomachi debilitate, ac animi deliquio. Et inſuper de ſiti, ſingultu, nauſea, ac ſyncope, in tractatione de febribus lib. 2. hũc præcedente ſufficienter dictum eſt, nec tempeſtiuũ eſt rurſus de iiſdem ſermonem inſtituere. Cæterùm inflammationes oris uentriculi & hepatis, adſtringentium ammixtione opus habent. Si enim quis per ſolum laxatorium ductum curet, periculum uitæ inducet. Oportet igitur ſiue oleum fuerit id quod affunditur, ſiue cataplaſma, aliquid ex adſtringentibus ammiſcere, uelut eſt abſinthium, nardinum aut melinum ungentum, aut malum cydonium incoctum. Ceratum uero quo aſſiduè utor hoc eſt. Ceræ albæ unc. I. æſtate uero drach. VII. aloes, maſtiches, ſingulorum drach. I. olei omphacini, aut melini, & nardini, uſus tempore quantum ſatis eſt ad compagem. Si uero ampliore adſtrictione opus ſit, ut neq; cibos retineant, ammiſceatur etiam omphacij drach. I. aut ſucci abſinthij tantundem, & tertiũ inſuper hypociſthidis & œnanthes & rhois ſuccus. Cerati uero copiam augere oportet, pro reliquorum pharmacorum numeri proportione. Diuturna autem iam inflammatione ac indureſcente, magis uaria medicamenta adhibere oportet, quæ & aromata quædam habent, & mollitoria, ac diſcuſſoria, uelut eſt quod ex meliloto paratur, & philagrianum, & odoratum dictum: & uiridis Iaſpidis torques de collo ſuſpenſus, ut ſtomachum contingat, magnifice prodeſt. At in calidis ſtomachi intemperamentis, & ardore, cum exolutione aut animi deliquio, aut aliqua ciborum inappetentia, ex qualicunq; cauſa, excepta febre, frigidam aquã dato cum uuæ acerbæ ſucco, aut malorum cydoniorum decoctum, aut pampinorum uitis, aut cucu-
B meris ſemen tritum cum frigida. Stomacho uero imponito ueſicam aqua frigida plenã, aut cucurbitæ ramenta. Sed & catapotia ſitim eximentia danda ſunt, uelut capite de ſiti dictum eſt. Refrigeratorium autem & corroboratorium humecti ſtomachi hoc eſt. Foliorum roſarum ſiccarum drach. VI. ſucci glycyrrhizes drach. IIII. Excipe uino dulci, & fac catapotia ſub lingua tenenda. Verum in his qui ob pituitæ craſſitudinem, calefacientibus ac ſecantibus opus habent, commodum hoc eſt. Corticis radicis fœniculi ſextantem, aceti ſextar. IS. aloes quadrantem, mellis lib. IIII. Radices cum aceto coctæ exprimuntur, ac reijciuntur: & mel additum ad compagem coquitur, & tunc aloë trita inſpergitur. Dato cochlearia tria cum aqua. Quidam ſine aloë ipſum præparant. Et medicamentũ ex calamintha in his commodum eſt. Quibus autem cibus aceſcit, coriandri ſeminis drach. I. uelut polentam aquæ inſperſam bibendam præbe, aut maſtiches cochlearium I. aut lactucæ albæ ſeminis cochlearia duo. Compoſitum uero hoc. piperis drach. I. ſeminis anethi drach. III. cumini drach. IIII. trita dato cochlearij menſura ad ſomnum, in uino diluto. At in his qui bilem generant atram, & ſtomacho inflatis, in aggreſſione ſpongias imponito acerrimo aceto imbutas, poſt has uero ſi permaneant affectiones, alumen cum ære trito melle exceptum imponito. Bibat autem intybi ſuccũ. Aut mentam potui inſpergito. Quibus uero ſtomachus inflatur ac diſtenditur, his calaminthæ decoctum ammixto melle, ac modico pipere dato. Verũ ad ſtomachi ſubuerſiones, ſucci nucleorum mali punici acidi partes III. ſucci mentę partem I. coquito ad ſpiſſitudinem, & ante cibum, myſtrum I. dato.

Ventriculi ac hepatis inflammationes adſtringẽtia requirunt

Iaſpidis uſus

Cibus in uẽtriculo aceſcens

Stomacho inflati

Stomachi ſubuerſio

Ad ſtomachi ſaliuationem.

Acetum ſcillinum, aut oliuarum muria conditarum iuſculum, aut oliuæ frondium decoctum colluat. Aut etiam minimum quid ex ipſo deglutiat. præ omnibus uero facit aloë aqua diluta. Verum ad eos qui cibum nõ continent, quos ueteres priuatim ſtomachicos nominant, fœni græci farinam, & maluæ

Stomachi ſaliuatio

Stomachici quifint & maluæ femen tritum ficcum, melle ammixto pro cataplafmate impone. A Ceratum uero facit, ex cera, olei irini fece, & caftorio.

De ciborum inappetentia.

Ciborum inappetentia Ciborum inappetentia eft ciborum auerfatio, aut intemperie in ftomacho exiftente, aut humorum redundantia. Calidam autem intemperiem cognofces, & fiti, & nidorofis ac cœnofis ructibus, fi coacti aliquid ederint: & ex eo quod frigidiora, & concoctu difficilia, magis concoquere poffunt. frigidam uero contrarijs. Neq; enim fitiunt, neq; frigida fuftinent, & ructum acidum aliquando habent. Qui uero propter humores, cibos auerfantur, qui quidem ob tenues ac mordaces hoc patiuntur, ftomacho morfum percipiunt, & naufeant magis, & fitiunt. Quibus autem computruerint humores, aliquando etiam febriunt. Qui uero ob craffos ac uifcofos humores, morfum & fitim omnino non percipiunt, uerum commune fymptoma omnibus eft naufea. Verum fi in cauitate uentris fuerint humores, etiam hos ipfos reuomunt. Si uero in tunicis ipfius infarcti aut imbibiti, naufeant folum, non uomunt, præterquàm cibos fi forte affumpferint. Qui igitur ob calidam intemperiem cibus auerfantur, his uictus ex refrigerantibus conftituendus eft, & maxime ex his quæ parantur cum aceto. Panè igitur ex pofca dare his conuenit, & ipfam pofcam bibendam, & lac acidū, & apud Ro-

Melca quid fit manos Melcam appellatam. Eft autem ofonium quoddam ex lacte & intyba, & lactucas, & aliquando etiam frigidam aquam, omnia moderate iuxta præfentis intemperiei oppofitionem. Nam immoderatus horum ufus non folum non prodeft, fed etiam incurabilem fæpe fecit affectionem. Qui uero ob frigiditatem, eos contrarijs fanare conuenit, ita ut uinum uetus bi-

Conditum Hydrogarum bendum præbeamus, & conditum, & hydrogarum, & anifi ac rutæ & petrofelini decoctum. Et piper ex aqua calida comuni, aut etiam ipfum ex tribus piperis generibus medicamentū, aut quod ex calaminiha paratur. Dabis etiam theriacen ex uiperis, quæ neq; his qui ob humorū copiam cibos auerfantur, incommoda eft. Allium uero his & in cibus, & ut medicamentum, commodum eft. At fi ob humorum copiam ciborum faftidium fiat, tenues quidem & mordaces euacuabis, aut per uomitus, aut per inferiam alium. Vomentigitur facilius, fi temperatam aquam, aut aquam mulfam aquofiorem præbuerint. Melius autem fante hæc humectantes cibos dederis, ueluti ptifanæ fuccum, aut oborum uitellos. Verum quomodo quis facile uomat, libro primo dictum eft. Si uero æger difficulter uomat, melius eft ad inferiorem uentrem materiam promouere, uberiore ac temperato cibo hos præhumectando. purgatorium autem medicamētum fit, aut ex aloë amarum appellatum, aut id quod ex malis cydonijs paratur ac recipit fcam-

S. ammonia noxia moniam, aut quod fit ex rhodomelite. Quòd fi fieri poffit ut citra fcammoniam, ex aloës copia magis ipfos euacues, melius feceris, propterea quòd fcammonia eft ftomacho infefta. At uero craffos ac uifcofos humores cibo rum faftidium inducentes, attenuabis ac fecabis per acetū mulfum, & quæ ex hoc, & muria componuntur, ueluti eft capparis, oliua, finapis, & fimilia. Nec uero incommoda his funt ea, quæ ad eos qui ob frigidam intemperiē cibos auerfantur relata funt, & maxime poft euacuationem. Euacuabis autem ipfos per acetum mulfum fuhanium. Forinfecus autē calfacere ac corroborare ftomachū potentibus utendum eft ungentis ac malagmatis, qualia funt maxime, & quod ex uua acerba paratur, & Marciaton appellatum, & confueta ungenta. Epithemata uero Baium, & odoratum, & fimilia. Exercitia etiam ac frictiones maxime adhibeantur. Cæterum his qui ægrè concoquūt ac cibos auerfantur, propter humorem frigidum ac humidum, aut talem intemperiem, quæ ex malis cydonijs parantur conueniunt, dico

Meloplacunton autem id quod Meloplacunton appellatur, & quod ex fucco fiī malorū, & quod ex carnibus ipforum, & quod ex citrio præparatur. Malagmata uero Marciaton, & quod ex uuæ acerbæ fucco paratur, & Baiū, & polyarchion, & quæ

A & quæ eiusdem cum his generis sunt. Si uero ulcus est in stomacho aut uentre, ab omnibus abstinendum est acribus cibis ac potibus, & medicamentis. Vtendum autē mitigantibus, uelut sorbitionibus absq; oleo, & his quæ ex amylo fiūt, & terra samia, & lemnio sigillo, & lacte ac melle paucissimo, quo citra mordacitatem perpurgent. Epithema cōuenit ex palmulis, & malis cydonijs ac polenta. Ceratum ex melino aut rosaceo cum ammoniaco, & thure. Et Nilei epithema, & emplastrum ex salicibus, ac Icesium. Cognosces autem ulcus, ex eo quod sanguis, aut pus, aut etiam ulceris tectorium uomitu reijcitur. *Stomachi aut uentris ulcus*

Ad exolutos ac debiles stomachos, & propterea non coquentes, aut etiā cibum uomentes. Aloës, masticha, mastiches, styracis, singulorum sextantem, absinthij trientem, œnanthes quadrantem, glecinij sexuncem, melini quadrantem, uini quod satis est. Quidam etiam cypheos & rosarum, singulorum sextantem. Trita hæc purpura aut lana excipiuntur, & stomacho imponūtur. Quidā etiam ceræ sexuncē admiscentes, epithema ex ipso faciūt. *Masticha*

Ad uolnulosas stomachi affectiones, hoc est uehementes ac cōuulsorios dolores, optimum medicamentum est Amazonum pastillus. At huius descriptionem, itemq; reliquorum stomachicorum compositorum materiam, reperies libro ultimo, in tractatione decōmpositis medicamentis.

De uentris inflatione. Cap. XXXVIII.

Flatum in uentre generatio, humoribus aut cibis, præ tepida caliditate in uapores dissolutis, contingit. Nam frigiditas eo quod attenuare ac dissoluere non potest, nihil flatuum gignit. Vehemens uero caliditas, non attenuans solum, sed etiam discutiens, flatus collectionem impedit. At minor caliditas, diffundit quidem ac transmutat cibum, uerum desectuosius, atque inde est flatuum generatio. Conuenit igitur ipsis per calefactoria medicamēta attenuare, cumino in oleo cocto, & apio, & spondylio, & dauci semine Si uero frigiditas affectioni adest, ruta, & lauri baccæ, & melanthium, & fœniculum, in oleo coquatur, & ammisceatur bitumen, ac oleum laurinum. Quod si etiam inflammatio doloribus adsit, pro calefactorijs uteris laxatorijs, anethum coquens, ac miscens adipem gallinaceum ac anserinum. Facit etiam ad inflatos, polij fasciculus coctus, aut calaminthæ decoctum, ammixto modico melle, & piperis drachma una. Atq; hæc quidē uehementi dolore irruēte adhibenda sunt. In mediocri uero sufficient fomenta ex milio. Cæterum cucurbita bene magna umbilicum complectens, sæpe acerrimum symptoma submouet. Prodest ipsis etiam castorium potū ex posca, & forinsecus cum oleo sicyonio impositum: & si cum tormine sunt inflationes, ipsas sanat. Sed & talus suillus ustus & potus, tormina ac inflationes sanat. Aristolochia item rotunda. Verū dolores ob alui obturationes, aut inflationes ob crassiciem, aut ob frigiditatem, uinum meracius potum post cibum sanat. Si uero somnus accedat, etiam perfectè ipsas summouet. *Ventris inflatio* *Flatuum generatio* *Tormina*

B

De cholera. Caput XXXIX.

Cholera immoderata est uentris exturbatio, & inferne, & per uomitum contingens, propter assiduam ciborum cruditatem. Fit autem cruditas quandoq; ob multam ciborum prauitatem, quandoq; ob prauorum humorum redundantiam. Siquidem igitur nauseat, & lancinatur æger, manentibus adhuc cibis crudis in uentre, aquam tepidam ipsos bibere iubebimus, ac reuomere, digitis aut pinnis immissis. Adiuuanda est etiam uentris excretio. Post superfluorum euacuationē, quiete & calefactione partium circa præcordia utendum est, per oleum dulce cum modico uino, aut per mastichinum, aut nardinum, si hyems fuerit: & ut dormiāt permittendum est. post perfectam autē concoctionem, balneis utendum est, & cibis boni succi. Si uero euacuatio immoderata fiat, sufficit in principio etiam ea quæ libro secundo de uentris exturbatione dicta sunt. Perseuerāte uero lationis impetu, & uentre collabēte, & pulsu imminuto ac deiato, cataplasma adhibeatur *Cholera quid sit*

A

hibeatur ex palmulis, cũ œnanthe, & acacia, & hypocisthides succo, ac malicorio. Detur autẽ aquæ moderatè frigidæ cyathus sorbendus. Melius autem est si decoctum fuerit rosarum, aut œnanthes, aut rhois, aut pampinorum uitis: aut mali punici acidodulcis succus detur, modica menta inspersa. Si uero acriora fuerint quæ excernũtur, ardoreq́ ac siti accedente, cucumeris semen dandum est cum aquæ cyathis tribus. Intybaq́ ac lactucas coctas in posca, in cibo accipiãt. At si lationis impetus siti non possit, uinum aliquod austerum dandum est, non febrientibus Palmatianum, aut Aminæum, aut spathites, aut omphacomelites. febrientibus uero ex malis punicis, rhoites appellatum, aut myrtites, aut Cebyraticum hydromelum, & in potu, & cum micis, aut alica, aut chondro. Si uero frumentacea edulia auersentur, ex fugacibus fructibus aliquos manducantes, mespila uidelicet, aut pira, aut mala cydonia, aut mala punica, id quod carnosum ac durum est expuant. Quòd si cibum non contineant, cucurbitam maximam leuem stomacho affigant, & hac incumbente ex aliquo ex relatis nutriantur. Cæterùm ad conuulsorias contractiones, oleo imbuta linteola calida musculis circundare oportet, & cerata liquida, quæ & castorij, & sicyonij quid habeant. Ante hæc uero, artus calida aqua perfundantur. Si uero uigilijs uexentur, ad uigilias descriptis utantur. Et si uires non prohibeant, medicamentum quoq; ex papaueris capitibus bibendum detur. Declinatione uero cõtingente, ad balneum perducantur, & reficiantur pullis gallinaceis, aut columbæ, aut pedibus suillis, aut similibus. Quin & alui profluuium, quod ciborum corruptio est, plerunq; sua sponte sedatur, si non alantur ipsi usq; ad perfectam concoctionem ac euacuationem eorum quæ corrupta sunt. Si uero perseuerct, utendum est his quæ ad choleram relata sunt.

Punicum acidodulce — *Vinum Palmatianum* — *Cebyraticum hydromelum* — *Contractiones conuulsoriæ* — *Alui profluuium*

De læuitate intestinorum, & cœlica affectione. Cap. XL.

Intestinorum læuitas

QVum duplex sit intestinorum leuitas, altera ob superficiariam intestinorum ulcerationem, uel ut aliqui sentiunt, ob cicatricem ex dysenteria plerunq;, aut ex alijs fluxionibus obortam. Altera ob facultatis cibũ retinentis in uentre debilitatem: secundam differentiam arbitror cum cœliaca affectione copulandam esse. Nam in hac, debili existente uentre ad concoquendos ac distribuendos cibos, læuia & cruda ac liquida egeruntur, aluo in omnibus fluxione laborante. Verum in læuitate intestinorũ, & transitus ciborum uelox fit, & cruditas magis intenta est, ut acceptus cibus manifestus fiat: & per hæc maximè à cœliacis discernuntur. Imponendum igitur ipsis est lini semẽ cum palmulis. Egregie facit etiam lentiscus & rubus, si in acero mulso coquantur. Si uero etiam inflatio adest, cuminum & anethum, & ruta ammisceantur. Augescente autem fluxione, adijcimus etiam mala cydonia, alumen liquidum, acaciam, hypocisthidem, gallam, aut quędam ex his, aut omnia. Cerata faciunt ex oleo myrteo, cum aliquo uino adstringente. Epithemata autem calidiora, & quod ex baccis lauri paratur, & quod ex seminibus. Magis aũt adstringũt, & quod ex œnanthe fit, & quod ex uinaceis, & Antylo inscriptum. Sed & id quod Erythrion inscribitur mirifice facit. Diuturno uero euadente morbo, etiam dropace ad uentrẽ utendum est, & cerato ex sinapi, & ipso sinapi. In potiones conueniunt, simplicia quidem, plantaginis semen, rumicis semẽ, malicorium, sorba sicca, uua aminæa acerba sicca trium obolorum pondere, febre carentibus cum uini austeri cyath. VI. febrientibus cum aqua pluuiali. Minus autem stomachũ offendit uentriculus gallinarum siccus potui inspersus. Sed & utinam cientia, apium, adiantum, & similia si bibantur, fluxionem transferunt. Ex compositis autem est sigillum polyidæ, & pastillus ex succino, & ex spina Aegyptia, & Clidion appellatum, & ex seminibus constans. Sed & hoc optimum est. Seminis rumicis syluestris unc. I S. seminis plantaginis unc. I. succi hypocisthidis drach. VI. gummi aut acaciæ drach. III. Excipe malorũ cydoniorum decocto ad tertias redacto. Aliud. Cumini, piperis, rhois syriacæ

B

Cœliaci — *Gallinarum uentriculus*

A riacæ, balaustij, singulorum unc. I S, malicorij unc. I. silphij unc. S, aut pulueris eius sicci drach. I. Inspergito in potum, aut aceto mulso ammixto dato mane ac uesperi. Aliud. Myrti baccarum nigrarum cochlear. I S, anisi, rosarum siccarum, œnanthes, singulorum cochlear. S. palmulas XX. fac pastillos, & præbe drach. I. cum aqua aut uino diluto. Theriaca quoque ijsperis optimum his auxilium est. Cibus si actis & biliosa est excretio, ex alica, chondro, & oryza, ac similibus sit, ita ut adstringentium quid simul coquatur, pirum, malum cydonium, mespila, & similia. Coctum quoque lac his conuenit Potus autem uel uini aquosum tenue, aut aliqua ex iucundis sit potionibus. Si uero pituitosiora excernant, ad cotraria cibum transmutamus, & semina quædam stomacho grata ammiscemus, anisum, aut cuminū, aut apij semen. Sed & lenticula bis cocta sæpe ipsis profuit, comesta cū modico aceto, aut aceto mulso. Brassicæ quoque & ipsæ bis coctæ. Præstat aūt secundam ipsorū coctură in posca facere. Vinū uero uetustius ac calidius bibat.

De tenesmo. Caput XLI.

Tenesmus aliquando dysenteriam præcedit: aliquando etiam ipse solus non diu durans cessat. Est autem affectio ad excernendum promptitudo, quæ differri ac deuitari non potest, nihil educens præterquàm pauca cruentū aspectum habentia, aut etiam mucosa, quæ fere totius morbi sunt causa, & inflammatio laxi tumoris in intestino recto oborta, incumbentis stercoris suspicionem ipsis præbet, quod excretionem quærat. At uero Galenus narrat etiam lapidem quendam per sedem excretum esse, circa tenesmi affectiones. Sæpe uero etiam ob stercoris obturationem in tenui intestino consistentem, tenesmus sequutus est, ex adstringentibus & meatus obducentibus amplius augescēs. Verum ex infusis per clysterem acrioribus, uelut est aqua mulsa cum sale: aut ex aliquo aluū molliente per os accepto: uelut sunt damascena, aut caricæ, mercurialis, serum lactis: stercore excreto, statim sedatus. Citra igitur eiusmodi causam tenesmo oborto, conuenit inflammationem cruda ordeacea farina calida, & irrigationibus ex uino, & oleo myrteo, aut rosaceo, aut omphacino, ad lumbos ac pectinem adhibitis mitigare: & mucosa quæ intestino recto infarcta sunt, per aquæ mulsæ infusum detergere. Sed & muria infusa per clysterem sæpe quod opus sunt effecit. Satis autem est ut salis drach. VI. in heminam calidæ aquæ iniectis muria fiat. Mitigare uero oportet dolores ac distentiones, per infessus fœni græci, aut maluæ, aut seminis lini. Sæpe uero & hic infessus successum habuit. Rubi, myrti, floris mali punici, lauri & cupressi ramulorum uiridium, singulorum æquas portiones coquito in aqua. Est autem Marcelli. At in profundo si est inflammatio ac irritationes, frumentacei succi cum aliquo adstringente cocti infundantur. Sed & oleū dulce infusum & pluribus horis retentum, dolorem soluit. Si uero frequens ad egerendum surrectio fiat, etiam glomerem ex staminibus calidis sedi apponant, aut furfures calidos in fasciculum deligatos, aut spongiam, aut tale quippiam.

Tenesmus

Lapis excretus in tenesmo

B

Muriæ parandæ modus

Glomeris ex staminibus usus

De dysenteria. Caput XLII.

Dysenteria est exulceratio intestinorum, quandoque ex tenesmi transmutatione, aut alicuius ex relatis aluī exturbationibus ortū habens: quandoque uero ipsa affectionem auspicatur. Et in ipsa excretiones fiunt primum biliosæ, uariæ. Deinde pro ratione cruentæ, & ad finem saniosæ, quales à mortuis corporibus defluere solent. Quæ uero ab atra bile initiū sumit dysenteria, letalis est, cum exulceratione cancrum indicans. Si igitur ulcerationis signa stercori ammixta excernantur, cum doloribus ac torminibus: in tenuibus intestinis ulcerationem esse scito, quæ auxilijs per os acceptis maxime opus habet. Si uero sine mixtura stercus exeat, crassorum est intestinorum ulceratio, quæ infusis per clysterem magis cedit. Quum uero multi sanguinis per se excretio contingit, affectionem ipsam sanguinolentam dysenteriam uocant. Excernitur tamē quandoque etiam sanguis nigrior quàm

Dysenteria

Cancer exulceratus

A pro natura sua, & splendidus, hepate non probe concoquente alimentum quod distribuitur. Quin & ob debilitatem retentricis aut alteratricis ipsius facultatis, excernuntur per uentrem similia carnium recens mactatarum loturæ: hepaticam autem hanc uocant dysenteriam, de qua in sermone de hepate dicetur.

Hepatica dysenteria

In communi igitur his quæ ad cœliacos, & alias præter naturam excretiones, relata sunt, utendum est. Priuatim uero lemnium sigillũ, etiam depascendo proserpentem iam dysenteriam sanat, & potum, & per clysterem infusum, intestino prius per aquam mulsam eloto, deinde per muriam. Et portulacæ succus, commodus est dysentericis potus. Et ipsa portulaca cocta in posca comesta. Conuenit etiam plantago, & rubi fructus ac folia, & radicis althææ decoctum, hippuris ex aqua aut uino pota, & succus ipsius, Mori immaturus fructus siccatus, & hoc magis rubi mora similiter siccata. Siccant etiam fluxiones per aluum, oua aceto cocta & comesta. Melius autem est si miscueris ipsis aliqua ad dysenteriam commoda, & in sartagine fricta ad edendum dederis. Vtilissimũ est ad hæc omphacium, rhus ruber, & succus ipsius, malicorium, galla, uinacca, mespila, myrti baccę, corna, cochlearum integrarum ustarum cinis. Compositũ uero hoc. Cochlearum cineris partes IIII. gallarum partes II. piperis partem I. In puluillũ redacta obsonijs inspergito, aut in aqua, aut uino albo bibenda dato. Generose auxiliatur hoc dysentericis, quibus nondum putredinosum factum est ulcus. Sed & canum qui ossa comederunt stercus siccum, cum lacte per candentes silices immissos feruefacto potum, magnopere prodest. Composita uero, pastillus ex spina Aegyptia, & Philippi pastillus, & qui fit ex cornu ceruino, & qui ex seminibus, & trigonus. Et ex macere catapotia admitanda sunt.

Ex macere catapotia

Optimus est & hic, opij, croci, lycij indici, acaciæ, rhois, thuris, gallæ, hypocisthidis, malicorij, myrrhæ, aloës, singulorum æquales portiones aqua excipe. & obol. III. præbe. Aliud. Rhois drach. VIII. gallæ, malicorij, singulorũ drac. IIII. dato cochle. I. ex uino. Aliud. Rhois drach. B VIII. gallę, acaciæ, gũmi, singulorũ drac. II. opij drac. I. dato drac. I. in uino diluto. Eclegma uero ipsis conuenit hoc. Myrti nigræ baccarum sextar. I. rhois syriaci sextar. I. palmularum Thebaicarum lib. II. carnis malorum cydoniorum lib. I. mala punica acida cum ipsis corticibus X. Vini adstringẽtis sextar. XII. coquito ad tertias, & excolato ac inijcito mellis lib. VI. & ad spissitudinem coquito ac delingenda dato. Manifestum uero est quòd etiã cataplasmata ex adstringentibus erunt, quorum materiam habes. Infusa autem per clysterem dysentericis commodant, propter tenesmos uexantes, succus oryzæ, aut alicæ, aut alicuius huiuscemodi, cum adipe caprino aut hircino, & quæ in capite de tenesmo relata sunt. Si uero sanguis destillat, infundatur succus polygoni, aut plantaginis, cum acacia, aut hypocisthide, aut tali quopiam.

Sanguinem sistentia

At si res urgeat, etiam ex sanguinẽ sistentibus aliquod infundatur uelut est cinis lanarum succidarum, aut spongiæ nouæ, pice liquida, aut sanguine bubulo, aut alumine liquido, aut stercoris asinini succo imbutæ, & ustæ. Sed & Andronis pastillus bonum medicamentum est, & Musæ inscriptus, & cõsimiles.

Collyria subdititia

Sed & subdititia collyria ex efficacissimis existunt, maxime in quibus etiam dolores circa excretionem fiunt. Vlcere uero depascente circa intestina consistente, quod & fœtore, & putredine corũ quæ excernuntur cognoscimus, & quòd non statim ab initio, sed post tempus fiat, crustam inducentibus infusis utemur. Velut sunt pastilli faustini appellati, & qui ex charta fit, & bithynus, & thronius, & qui ex subere paratur, per lenticulæ, aut alicuius ex adstringentibus decoctum, per clysterem infusi. Sed & hoc infusum ex his est quorum multam experientiam feci.

Omphacitis quid sit

Omphacitidis ustæ: est autem cauum illud ex quo quercina glans enascitur, quo coriarij utuntur: auripigmenti, symphyti, rhois syriaci, singulorum æquales portiones. De his contusis cochlear. II. excipe succo oryzæ, aut succo anchusæ: quæ spinosum & latum ac nigrum folium habet, quam

cbœ,

A chœrospelethron, id est iugerum porcinum uocant: & candido ouorũ, ita ut de singulis ex æquo sextantem, aut quadrantem accipias, & per clysterẽ immitte. Epithemata uero faciũt quæ ad cœliacos relata sunt. Sed & uẽtris illitiones, quæ adstringentem ac siccantem materiam habent, cum aliquo ex glutinosis, gummi, thure, glutine, polline, in his quæ cataplasmatis similes sunt locum habeant. Cibus his ab initio sit lac ouis permixtum deinde ex frumentaceis sorbitiones, per se, & cum lacte coctæ. Ipsum quoq; lac moderatè coctum optimum est. Olerum usus non est necessarius, attamen gustanda dentur, seris cocta, intybus, & plantago, & brassica bis cocta: & ex fructibus adstringentes, carnibus ipsorum sputo reiectis, aut his quæ aliàs intestina exasperare possunt. Si uero multa fuerit calida intẽperies, etiam intybus crudus detur. Et aquam frigidam sorbeant Reliquus uero potus sit aqua pluuialis. Languente uero stomacho, etiam uinum. postea uero etiam de uolucribus sicciores & concoctu faciles sumant. Et balneis utantur dulcibus. Si uero ab ipsis fluxione infestentur, spongiam magnã, aut panis siliginei micas, uino Ascalonite, aut aliquo adstringente calido imbutas, per totum superiorem uentrem imponito, deligato, atq; sic lauare iubeto.

Anchusa ingerum porcinũ dicta

Vinum Ascalonites

De colica affectione. *Caput* XLIII.

COlon quod crassi intestini pars est, exortum quidem à dextera lateris mollitudine habet, fertur autem ad sinistram, instar cinguli. Verum dolores huic grauissimi fiunt, ob plures causas. Aut enim ob crassum ac pituitosum humorem intra tunicas ipsius interclusum: aut ob spiritum crassum ac flatuosum, qui transitum non habet: aut ob intestini inflammationẽ, aut ob acres ac mordaces humores. Qui igitur ob crassum ac pituitosum humorem dolent, his dolor per totum abdomẽ in profundo sentitur, maxime circa coli situm, doloris sensu uelut à terebellæ perforatione contingente. Tormina autẽ hos uexant, & ructus, & nauseæ, & uomitus omnigeni, maB xime pituit;. Et uenter ipsis sistitur adeò grauiter, ut neq; flatus pertranseat. Excretum uero quandoq; stercus bubulo simile uidetur, leue, & flatu plenũ. Præcedit in his maxime frigidorum ac crassi succi eduliorum assidua ingestio, repletioq; ac cruditas, & ocium, & quæ his consona sunt. His autem qui ob spiritum flatuosum dolent, tensionis magis sensus contingit. Qui uero ob inflammationem, feruoris in loco sensum percipiunt, & febris adest non ingenerosa, suppressioq; stercoris & urinarum. & pulsus uexat circa uentrem, & sitis ac ardor hos infestat, & nauseæ, & bilis magis uomitus nihil alleuantes. Et in summa, grauissima hæc est ex colicis affectionibus, transitionem ad uoluulum minans. At ob acres ac mordaces humores dolentibus, quemadmodum etiam his qui ob inflammationem, ardor, & sitis, & uigiliæ adsunt, Febriunt autem omnino, aut minus quàm illi, & acre lotium emittunt, & biliosa egerunt, & sæpe in alui egestione magis dolent. Et calidiorum eduliorum ac potuum ingestione magis exacerbantur. Dolores igitur ob frigidos & uiscosos ac crassos humores sanare conuenit, nõ uehementer calfaciendo. Nam à calfacientibus multũ diffunduntur, & magis inflantur tales humores. Conuenit igitur ipsos secare ac cõcoquere per ea quæ flatus discutiunt, & attenuant, ac siccant, citra uehementem caliditatem, ab initio morbi. Stercoribus igitur ex uentre per conuenientia infusa prius eductis, infundendum est oleum, in quo coctum est cuminum, aut ruta, cum adipe anserino, aut gallinaceo. Aut radicum cucumeris syluestris decoctum, cum myrrhæ drach. I. & melle, ac oleo. Sed & oleo sæpe cõmuni infuso, pituita uitrea coexcreta statim dolorem sedauit. Si uero ob doloris uehementiam, etiam infusum retineãt, glandula indatur ex melle, cumino, nitro, rutæ semine sicco. Aut brassicæ caulis probe derasus, & muria maceratus. Aut brassicæ cinis melle subactus. Aut colocynthis trita cum melle, & nitro, ac cumino. Sint autem glandulæ digitorum sex, quo musculum adstrictorium transgrediantur. Illinatur etiam sedes cyclamini succo, cum

Colica affectio

Coli situs

Glandulæ uariæ subdititiæ

A

melle & nitro. Aut centaurio cum melle & nitro. Dolore perseuerante supra relata infundatur resinæ terebinthinæ unc.I. aut opopanacis drach.I. aut galbani drach.IIII, bituminis tantundem, cum nitri drach.I. & aquæ unc.I. & olei rutacei quincunce, aut amplius. Irrigationes autem partibus dolentibus adhibeantur ex oleo rutaceo, aut anethino, aut sicyonio. Cataplasma sit, ex medicamento trispermo, cum cumino, baccis lauri, apij semine. Epithemata sint, & quod ex seminibus constat, & quod ex baccis lauri, & quod ex meliloto paratur, & polyarchium. Insideant autē in decocto fœnigræci, althææ, chamæmeli, artemisiæ, anethi, lauri, & similium. Sed & in oleum calidum, aut aquam & oleum demittendi sunt. Potiones sint absinthium & cuminum, æquis portionibus. Aut panax cum aqua, aut castoriū & anisum. Aut piperis drach.I. cum aceto mulso. Dolore uero non remittente, medicamentū ex tribus piperis generibus bibendum detur, aut theriace. Sed & sinapismo & dropace utendū est in remissionibus, & balneis naturalibus. A balneis autem aquæ potabilis abstineant, nisi ob doloris afflictionē cogantur, quando sane præimmisso aliquo ex relatis medicamentis lauare oportet, & iubere ut calorem admittāt intra feruidos parietes, inspersis quibusdam nitrosis smegmatis. Si uero dolor uehemēs est, etiam moderate mitigantibus utendum est. Velut est pastillus ex castorio, tum infusus, tum potus, & medicamenta eiusdem generis. Nam uehementia stupefactoria uitanda sunt, ut quæ ad breue quidem tempus mitigent, diuturniorem autem affectionem faciunt, eo quod materiam crassefaciunt, & intestini meatus densant. Attenuata uero iam pituita, per hieram amarā ipsos purgamus. Aut per hęc catapotia. Aloës, euphorbij, grani cnidij puri, scammoniæ, singulorum æquales partes. Dantur huic scrupuli II. Victus autem calidior ac siccior his conuenit, ut qui ab initio à cibo abstinent, postea uero etiam acrium esum assumūt. Porrum igitur his dandum est coctū cum condito, & apium, & asparagus palustris, allium crudum, maxime his qui hæc non moleste admittunt. Et ipsum Conditum bibant, & panem ex ipso accipiant. postea uero etiam reliqui boni succi & cōcoctu faciles cibi ipsis dentur, ita ut uitent repletionem & cruditatem. At si fuerit spiritus flatuosus qui dolorem efficit, post infusa, & potiones flatus discutientes, etiam cucurbitæ maximæ leues ignitæ, per totum superiorem uentrem affixæ, ad curationem sæpe suffecerunt. Si uero inflammatio in intestino sit, uenam in cubiti flexura secabimus. Et si urinæ difficultas inualescat, etiam eam quæ ad malleolum est secabimus: & relatis auxilijs utemur, exceptis acribus ac uehementer purgantibus. Verum mitigantibus magis infusis, & cataplasmatis, & irrigationibus, & demissione in oleum utemur, cucurbitasq; etiā his affigemus. Ceratum quoq; superiori uentri imponemus, quod habet ceræ quincuncem, olei chamæmelini sextantem, rosacei sextantem, farinę fabaceę unc.S. uitellos ouorum V. cum succo feminis lini terito. Victum autem tenuem & febricitantium ipsis constituimus, usq; ad inflammationis solutionem. Quod si ob acres & mordaces doleant humores, infundatur ipsis oleum in quo coctum est fœnumgræcū, aut althæa, cum simplici adipe recenti anseris aut gallinæ. Aut etiam ptisanę succus cum rosaceo, aut succus feminis lini. Detur ipsis in potu amara ex aloē antidotus. Et balneis utantur aquarum dulcium. Et cibis sorbilibus ex alica, aut ptisana, piscibusq; petrosis. Et in summa totus uictus humidior sit ac frigidior. Abstineant autem ab acribus omnibus edulijs ac pharmacis, & ab irrigationum ac cataplasmatū fomento, uiniq; potu, & præsertim ueteris. Inualescente uero dolore, etiam sensum stupefacientibus utendum est. Minime enim præ alijs has affectiones lædunt, ut quę tenues & mordaces humores crassefaciunt, & moderate perfrigerent. Porrò arbitror etiam eam quæ nunc inualuit colicam affectionem, ex talibus humoribus generatā esse, quæ ab Italiæ quidem regionibus initium cœpit, sed & in alijs multis Romanæ reipublicæ locis grassata est

Parietes feruidi balneorum

Conditum

Colica affectio tempore Pauli

A ta est, pestilenti quadam distributione: in qua plerisq; ad morbũ comitialẽ, alijs ad artuum resolutionem, seruato sensu, quibusdam ad ambo, delapsus contigit. Et qui quidem ad comitialem delapsi sunt pleriq; perierũt. Qui uero ad resolutionem, pleriq; seruati sunt, uelut in iudicatione causa translata. Sic igitur ægrotantes medicus quidam in Italia curauit, incredibili quodã ac temerario frigefactorio uictu constituto. Lactucas enim ipsis exhibebat non coctas, frigefaciens ipsas, intybaq; similiter supra satietatem edenda; uuas item & mala, & pisces duræ carnis, omniaq; testa intecta, & pedes bubulos, & bulbos, & similia, non solum potentia, sed & tactu frigida. Vinum uero raro, aliquando tamen dabat, & frigida aqua miscebat. Sed & frigidã aquam, aut etiam poscam frigidam dabat, ab omni alio calido ac medio cibo abstinens. Et plurimos hoc modo, præter omnem opinionem sanauit, & ex his aliquos qui iam ad comitialem, aut resolutionem delabi cœpissent.

Medicus quidam temerarius felix

De uoluulo. *Cap.* XLIIII.

QVum acutissima & dolorosa affectio sit uoluulus, habet quoddã symptoma periculo grauius. Nam superati miserrima morte pereũt, stercus andem per os reddentes. Conflatur autem affectio ex cruditatibus & obturationibus, ubi corrupta permanserint, & ex uenenosis medicamẽtis, & ex intestinorum ad scortum delapsu, & ex inflammatione intestinorum, plerunq; colica affectione malũ auspicata. Pueros igitur irrigationibus, cataplasmatis, infusis, glandulis, & fomentis, uelut de colicis dictum est, curabimus. Adolescentibus autẽ & in uigore constitutis, uenam secabimus citra dilationem, repetita sanguinis detractione. Sin minus, cucurbitas affigemus per totum superiorem uentrem multas & leues. Ad dolentes uero partes, etiam cum scarificatione. Defricentur autem & constringantur ipsorũ artus, & tunc efficaciora infusa adhibeantur, & in oleum calidum demissiones, antidotiq; ac purgationes, & in summa, omnia ad colicos relata, exce-
B ptis his quę adhibentur ob acres ac mordaces humores colum dolentibus. Mirifice uero facit, etiamsi uomant, anethum coctum ac potum. Post potũ uero, pane in calidam aquam iniecto, statim calida frusta edenda dato. Cibum uero non continentibus rhoẽm & cuminum simul trita, in aceti mulsi cyathis VI. bibenda dato. At eos qui ex ueneno accepto uoluulum inciderunt, ab aquæ calidæ potu ad uomitum cogere oportet. Habes autem omnium uenenorum acceptorum notas libro quinto. deinde bibendum detur oleum calidum, aut iuscula pinguia, ut rursus uomant. post aliquot dies etiam theriace detur. Perseuerante uero obturatione, lacte scisso cum modica scammonia, aut aloë, aut aliquo purgatorio aluum euacuato. Si uero ob delapsum intestini in scortum affectio facta est, statim ipsis sursum uergente figura reclinatis, delapsum intestinum ad inguem retrudemus, & ligamento hoc retinebimus.

Voluulus

Stercus per os redditum

De rhenum ac uesicæ affectionibus. *Caput* XLV. *De calculo.*

ORdinem hunc docendi persequi nos cogit morborum cognatio. Commune enim est colicis, & lapidem in rhenibus habentibus, ut & ab initio aluus sit adstricta, & uehementer doleant, & cibum fastidiant, & nõ concoquant, & tormina habeãt. Proprium uero colicis quidem, ut hæc omnia magis intenta fiant: Nephriticis uero minus: Et quòd colicis circa dexterã lateris mollitudinem magis sint dolores, & ascendant ad stomachum usq;, & hepar, ac splenem: & quòd stercus penitus sit suppressum, ut neq; flatus penetrent, & si ad necessitatem ipsum excernant, quòd flatuosum sit, similiter uelut bubulũ: & quòd aliquando pituita uitrea excernatur, & urina copiosior ac pituitosa reddatur. Nephriticis autẽ dolor circa ipsos rhenes firmatus est grauis, instar pali impacti: & testem è directo dolent, & torpor fœmoris è directo fit, raroq; sua sponte aluus excernit, omnino autem infusis per clysterem immissis, flatus & stercus biliosus: Vrinæ uero paucæ & arenosæ magis redduntur, & meatus urinarius est adstrictus. Hæc sunt calcu-

Calculus rhenum

Nephritici

 lorum

lorum in rhenibus signa, quæ in uiris perfectis magis fiunt. At calculorum A

Calculus uesicæ

in uesica coactio, pueris magis fieri solet. Notæ horum sunt, cruda & subalbida urina cum arenosa subsidentia. Fricant assiduè ac contrectant pudendum, & arrigunt, & assiduè ad urinam reddendam urgentur, & urinæ stillicidium habēt. Materialis igitur calculorū generationis causa est crassus ac terreus humor. Efficiens uero, feruida rhenum aut uesicæ caliditas. Cæterū ad rhenes, atterentibus calculos, & secantibus medicamentis utendum est, absq; hoc ut manifeste calfaciant. Talia autem sunt, asparagorum regiorum radix, & rubi radix, & uitrum ustum, & graminis radix, & adianton, & bdellium, radicis lauri cortex, althææ semen, cicer nigrum arietinū,

Carpesia Prionitis

lapides spongiarum, acetum scilliticum, phu, meon, asarum, carpesia, saxifraga, sion & comestum & potum, cardui radix, erysimon, & prionitis. Balneis etiam assiduè utantur, & post balneum statim aliqua ex relatis bibant. Irrigationibus quoq; & cataplasmatis, & fomentis ac insessibus laxatorijs ac mitigatorijs utendum est, ex colicis ipsa transferendo. Compositæ potiones sunt. Rutę syluestris, maluæ syluestris, & apij radices coquito in uino, & expressum liquorem aqua temperato, & cyath. II. bibendos dato. Insper sile uero hoc est. Fructus balsami, lapidis spongiarum, pulegij sicci, seminis maluæ agrestis, singulorum æquas portiones contundito, & cochleariū I. cum uini diluti cyath. II. dato. Sed & siccatus sanguis hircinus, & cicadæ

Cicadarum usus

Passer Troglodytes

siccæ sine alis ac pedibus, & lapis Iudaicus siue tecolithos ex uino mulso, in calido balnei solio dentur, & quæ ex ipsis parantur composita medicamenta. Et posca nephritica, & condita ad hoc composita. Quin & troglodytes laudatissimum auxilium existit. Est autem auicula siue passerculus omniū uolucrium minimus, solo regulo excepto. Nam ut paruus sit, illo tamen solo maior est, & ipsi similis, colore inter cinereum & cum uirore pallidū, tenui rostro præditus, in parietibus maxime ac sepibus degens. Hic totus sale seruatus, & crudus assiduè comestus, & calculos natos per urinam expellit, & de cætero generari uetat. B Sed & usti totius uiuentis unà cum pennis cinis, totus per se, & cum pipere & folio modico, ex uino mulso potus, idē efficere solet. Cæterùm ad dolorum acumen, & uigilias, antidotus Sotira, & Philonis, bona sunt pharmaca. Venæ quoq; sectio adhibita sæpe dolorem leuat, uelocem lapidis excretionem faciens. Præseruantia uero à calculi generatione sint, primum boni succi & moderatus cibus, & exercitia. Deinde à leguminum omnis generis, & à frumentaceorum assiduo usu prohibeantur, & à caseo ac lacte, & obsonijs quæ ex ipso parantur. A` uino itē nigro, & carnium multitudine. Et in summa, ab omnibus crassi succi cibis abstineant, & à ualde calidis & acribus, hydrogaris inquam, ac conditis, & similibus. Hæc enim non solum nondum generatos lapides cōcrescere prohibent, sed etiam iam generatos atterere & excernere solent. Bibant autem acetum mulsum, cum aliquo ex simplicioribus urinam cientibus, adianti, apij, graminis decocto. Et post balneum ieiuni, ante uinum, aquam temperatam bibant. Et in medio prandio frigidam insuper sorbeant, si nihil prohibeat. Si uitiatorum humorum copiam simul sentiāt, per uenæ sectionem aut purgationem euacuētur. Omnium uero optimum est ad præseruandos calculos, post balneum, prius quàm uinum aut alium cibū capiant, aquam temperatam bibere. Porrò uesicæ calculos in pueris, fortioribus auxilijs conficies, quæ ex relatis deliges. Nimium uero aucto lapide, aut etiam iuxta uesicæ collum obturato, catheteris instrumento, aut etiam lapidis exsectione utendum est, uelut in chirurgia dicetur.

De inflammatione.

Rhenū aut uesicæ inflammatio

Si rhenū aut uesicæ inflammatio fuerit, quæ & ex feruore loci cum grauitate, & dolore cognoscitur: & quod febriunt, & mente mouentur, & uomunt biliosa meraca, & meiere non possunt, & præsertim uesica inflammata: uena statim secetur. Et mitigatoriæ irrigationes, ac cataplasmata ex ruta, & ane-

A & anetho, & fœnograeco, & althææ radice adhibeantur. Et per clysteres infusa ex oleo, papauere, & adipe anserino. In uesica autem & opij obolus dimidius, cum myrrha, & croco, & oleo, in sedem immittatur. Aqua etiam mulsa ipsis præbibenda detur, ita ut abstineant à fortibus urinam cietibus, & multo potu, præterquã si acris & biliosus humor in ipsis redundet. Tunc enim & multo potu utendum est, & aceruatim, ex aliquo urinam cientium citra mordacitatẽ. Bibant item de seminis lini partibus duabus, amyli parte una, cochlearium unum ex aqua. Cucumeris quoq; ac peponis semen accipiant. Si uero feruoris sensum circa rhenes percipiant, linteola ipsis inijciãtur ex uino & rosaceo, aut aqua & rosaceo, aut melino. Aut ceratum ex cera, & rosaceo, & chamæmelino, aut melino, & uitellis ouorum compositum, cum modico aceto aut polygoni succo. Postea uero etiam emplastro ex succis, cum chamæmelino utendum est. Abstinendum autem à ualdè calidis, propter mutationem in pus: & à ualdè frigidis. Nam ab his rhenes facile in scirrhum indurantur. A balneis quoq; inflammatione instante abstineant, & uictu febricitantium & inflammationem arcente utantur.

De abscessu & ulceratione urinariarum partium.

Vrinariarum partium ulceratio

Dolores circa laterum mollitudines, & horrores inæquales, & febres inordinatæ, abscessum in rhenibus significant. Verum circa uesicam abscessum, supra relata indicat etiam dolor circa locum. Affectum autem rhenem comperies ex eo quod in sanum latus decumbens homo, ex opposito dolet, uelut rhene dependente. In quibus insessibus ex aqua & oleo utendum est, & cataplasmatis ex polline, oleo, ac resina. Aut ex erui farina cum melle: Aut ex nasturtio, aut fimo columbino, cum caricis. At uero pus per urinas excretum, abscessus ruptionem, & ulcus in parte esse indicat. Quandoquidem uero etiam absq; abscessu partes urinariæ ulcerantur, ob uasis ruptionem, aut corrosionem ex materia acri, aut ex lapidis derasione, distinguẽda est ulceratio in rhenibus, ab ea quæ in uesica est, aut iuxta urinarios meatus, hoc modo. Rhenibus exulceratis circa lumbos dolent cum grauitate, & citra impedimentum urinam emittunt, & pus urinis ammixtum reperitur, carnosis particulis in ipsis innatantibus. Vesica uero ulcerata, pectinẽ & imum uentrem uehementer dolent, & ægrè urinam eijciunt, & pus post mictionem deorsum subsidet, & squamæ in ipso graueolentes aut laminosæ feruntur. furfuraceæ uero subsidentiæ scabiosam esse uesicam significãt. At meatibus urinarijs ulceratis, & puris ammixtio medio quodã modo se habet, & pilis similia magis in urinis feruntur, & dolor in medio loco inter rhenem ac uesicam fit. Si uero pus aut sanguis excernatur, etiam citra urinarum emissionem, nullius relatorum, sed pudendi ulceratio indicatur. Qui igitur partes urinarias exulceratas habent, aquam mulsam aut fœnigræci decoctum præbibant cum melle: aut cucumeris semen cum passo. Qui uero pus mingunt, eis detur armenica bolus, aut ferularum ustarũ cinis, quantum tribus digitis præhendi potest, cum passo. Lactis quoq; potus magnopere his prodest. Composita uero hæc. Seminis lini, seminis cucumeris, tragacanthæ singulorum drach. II. in pastillos efforma. Aliud. Nucis pineæ nucleos XX. seminis cucumeris satiui grana XL. amyli drach. I. Excipe duabus heminis decocti nardi ac seminis apij. Archigenes autem in epistola ad Atticum, ad urinæ difficultatem urgentem se accepisse ait, papaueris albi tosti drach. I. inspersam in decoctum iunci rotundi odorati, aut calami, aut glycyrrhizæ. Vlcerosos autem dolores eximit hoc. Seminis cucumeris purgati grana XXX. nucleos pineos XII. amygdalas amaras dealbatas XXXV. croci quantum ad colorem satis est. Ieiunus accipiat quotidie cum lacte, aut uino pro tropo. Mitius autem fiet, si pro nucleis pineis, maluæ semen pari mensura accipiat. Sanare uero potest inquit, ulcerationes in uesica cyphi, & cyphiformes antidoti. Ego uero in uetustioribus hoc utẽs, nõ opus habui uariegatiore. Chamædryos, chamæpityos, singulorũ drach.

Protropum uinum

B

XXIIII. asari, piperis albi, singulorũ drach. VII. cinamomi drach. I. lenissime quantum eius fieri potest triti cochlearia duo præbeo, ex cretico passo. A Si uero febriat, aquæ cyath. III. Quòd si morsus ulcerosus adsit, etiam amyli cochlear. II. & seminis cucumeris grana XV. adijciens, quod experto assequor. Atq; hæc ex Archigene. Sed & ex physalide medicamenta, & antidotus ex semine maluæ, & ex bellarijs constans antidotus cõmoda est. Ad intercapedinem ani ac scorti, & ad pectinẽ imponantur cerata ex œsypo loto, butyro, adipe anserino ac styrace. In uesicam uero infundatur per paruũ clysterem aqua mulsa aquosissima, aut lac cum paucissimo melle, aut cũ cucumeris semine. Aut oui candidum cum pompholyge, aut aliquo ex relatis medicamẽtis. Vlcere uero pascendo proserpente, pastillus ex charta immittatur, aut birhynus. Et cataplasma ex palmulis, uua passa, cum galla, acacia, hypocisthide, alumine imponatur.

De sanguinis ex rhenibus eruptione.

Sãguinis è rhenibus eruptio Rhenes debiles sæpe urinam retinere nõ possunt, sed ampliores existentes, aliquid sanguinis ex uena emittunt, simulq; alias quasdã crassitudines. Erumpit etiam sanguis sępe ex rhenibus per circuitum, quemadmodum in hæmorrhoidibus. Euacuati uero alleuantur. In his nihil cito interturbare oportet, si sanguis rursus sistatur. Si uero perseueret, uena in cubito secetur, & medicamenta ad sanguinem spuentes, & alias sanguinis eruptiones destinata, etiam ad rhenes ac uesicã, unde sanguis erumpit, in usum assumantur. Maxime uero symphyti radix, & tragacantha uino macerata ipsis detur, & polygooi ac plantaginis succus cum posca. Aut amygdalæ amarę est passo. Aut hoc: aluminis scissi drach. I. tragacanthæ drach. II. gummi obol. V. Excipe passo. Imponatur autẽ cruda ordeacea farina cum posca & rosaceo. Aut cataplasma ex palmulis, & pane siligineo, cum acacia, aut hypocisthide coctis in uino adstringente, aut posca. At sanguine ex uesica erumpente, etiam cucurbitis ad laterum mollitudines ac coxas affixis utemur. B Dinoscitur autem affecta pars, dolore circa locum, aut quòd ammixtus est urinæ sanguis, aut nõ, uelut de pure dictum est. Si uero grumosus factus est sanguis in uesica, cognosces quidem hoc, ex eo quòd aceruatim suppressa est urina post sanguinis mictionem: & quòd uibices quidam sanguinis, uelut par est, exeunt, aut cruentæ humiditates. Dato autem artemisię decoctũ bibendum. Et elichrysi, aut conyzæ, aut raphani semẽ: aut silphij succũ, aut cyrenaicum, aut apij succũ, singula aceto diluta: aut leporis coagulum, aut hinnuli aut hœdi, in aceto mulso: aut lixiuium cum oleo. Et foris spongia muria aut lixiuio calido imbuta imponatur. Si uero non soluatur, intercapedo ani ac scroti secetur, ueluti in calculosis, & grumis sanguinis ablatis, congrua curatio adhibeatur.

De duricia rhenum.

Duricia rhenum Quæ uero duricies circa rhenes fiunt, dolores quidem non amplius exhibent, uerum uidentur ipsis uelut ex laterum mollitudinibus pendere. Et coxę quidem ipsis stupore torpent, pedum uero impotentes sunt. Mingunt pauca, toto uero corporis habitu similes sunt his qui aqua inter cutem laborant. Hos igitur mollire oportet ceratis, & malagmatis, frictionibusq; ac fomẽtis, & urinam cientia exhibere, & uentrem infuso per clysterẽ subluere.

De diabete.

Diabetes Diabetes uelox est eorum quæ bibuntur transitus, ut quæ talia minguntur, qualia pota sunt. Quapropter etiam immodicè sitiũt, unde & dipsacos *Dipsacos* appellata est affectio, quę constatur ubi debilis est facultas retentrix rhenũ, fortis autem magis attractrix, quæ totum corpus humore priuat ob immodicam caliditatẽ. Aduersus hanc igitur instantes, cibos plures & ægrè com*Rosatum*mutabiles, & non adeò humectos dabimus, uelut est alica cum rosato, aut rhodomelo, aut hydromelo, aut uino non uetere, aut aliàs calido aliquo. Ex oleribus intyba, seridem, lactucas. Ex piscibus petrosos. Et pedes ac uuluas

suillas

A suillas, pira item ac poma, & mala punica. Bibant autem frigidam. Præbibant etiam polygoni succum, & helenium in uino nigro, & palmularum ac myrti baccarum cremorẽ. Cataplasma adhibeatur præcordio ac rhenibus, ex polenta in aceto & rosaceo. Item ex folijs uitis, cotyledone, helxine, ac portulaca. Sudores ipsis excitentur, & uomitus, ex aquæ frigidę potu. Et ab omnibus urinã cientibus abstineãt. Neq; absurdũ est ab initio uenã secare.

De urinæ stillicidio eiusq; reddendæ difficultate.

Vrinæ stillicidium

Vrinæ difficultas

Si neq; inflammatio, neq; calculus, neq; aliud quicquam ex relatis adest, & acris fuerit urina, & totus habitus, aut etiam reliqua signa, bilem ostendunt, ob hanc sanè aut urinæ difficultas, aut eius stillicidium consistit. Et oportet alterantibus ac temperantibus hanc uti, ptisanæ succo, piscibus, balneis, & uictu congruo, ita ut ab acribus abstineamus, & à uino ac exercitijs, & ab iracundia, & tarda cibi acceptione. Si uero urinarum tenuitas, & albedo, ac reliqua signa, frigidam indicant intemperiem, uinum calidũ cõueniet, & condita, & urinam cientia medicamenta ac cibi. Et insessus calidiores. Si uero supra albedinem etiam crassiores appareant urinæ, pituitosum humorem esse opinandum est, qui uesicæ collum obturauit: & oportet aceto mulso uti, & hyssopo, ac pulegio, aut origano, aut thymo, aut silphio, coctis in aqua mulsa: & irrigationibus calidioribus. Siue autẽ humor crassus, siue lapis, siue grumus, aut huiusmodi quiddam obstructionẽ induxit, & urinarum transitum impedit, catheterem adhibere oportet, si non inflammatio partis adsit. At uero urinæ in febribus difficultatem sanat irrigatio ex rutaceo, aut anethino, aut ueteri oleo. Si adstricta sit aluus, fœni græci aut maluæ decoctum infundatur. Insideantq; etiam hi in aquam & oleum, aut in decoctum quoddam ex relatis speciebus, cum oleo. Ceratum uero ipsis conuenerit hoc. Maluæ syluestris radices in oleo sicyonio cũ modica aqua coquuntur, donec torrefiant, & ipsæ quidem abijciuntur, ad oleum uero
B ammiscetur rutæ succus quarta parte, & ceræ, & castorij quod satis est.

Vesica resoluta

De resoluta uesica, ad quam aliquando urinæ difficultas, aliquando inuoluntaria urinę excretio sequitur, in tractatione de resolutione antea dictũ est.

De permingentibus stratum.

Permingentes stratum

Laxatio musculi circa uesicæ collum, hanc affectionem inducit. Quapropter pueris maxime contingere solet. In communi igitur corroborantibus quàm maxime utendum est, uelut uinum ac oleum calidum est, ac consimilia, ita ut uitemus uehementer frigefacientia, magis uero concalefaciamus ipsos, quantum eius fieri potest. Nam perfrigeratio uelut resolutionis imaginem repræsentat. Naturaliter autem hæc efficacia sunt. *Naturalia auxilia* Galli guttur ustũ ieiuno bibendũ dato ex aqua calida. Aut leucanthemi flores similiter. Aut leporis testem derasum in uinum odoratum bibendum dato. Aut calamintham & myrrham ante cænam bibenda dato. Aut rutæ syluestris semen tostum bibendum dato ad triduum. Illinatur etiam pudendum ipsius cimolia terra cum succo perdiciadis.

De hepatis affectionibus. Cap. XLVI.

Hepatis uariæ affectiones

QVum uarias sustineat hepar affectiones: nam & debilitate, & inflãmatione, & igne sacro, & induratis scirrhis, & abscessibus, & ulceribus, & obturationibus corripitur: primum de debilitate ipsius dicendum est, à qua propriè hepaticos uocare affectos solent. *Hepatici* Si igitur in succum quidem commutata, uerum liquidiora euacuentur alui excrementa, distributione ad hepar defectuosius, aut omnino non contingente, si ab affectione immunis est uenter, attractricem hepatis facultatem debilem esse opinandum est. Si uero similia loturæ carnium recens mactatarum, alteratricem & sanguificatricem appellatam. At si ob calidam debile fuerit intemperiem, temporis progressu recrementum feculentius apparet, & ualdè graueolens, & bilis abundè colorata crassa. Iam uero etiam essentia hepatis cum ipsa colliquescente, & totum corpus colliquescit, & febriunt, & cibum fastidiunt, &

bilem

bilem uomunt. Si uero frigida intemperies est, neque assiduae, neque multae ex- A
cretiones fiunt. Diuturna enim est affectio, & per aliquos dies uenter magis
aceruatim erumpet, uerum minus graueolentia erunt excrementa, ueluti li-
mus sanguinis crassi propinquus atrae bili. Quin & plures & uariegatiores
colores, frigidam intemperiem indicant, & febris ipsis languida apparet,
& facies collapsa, & magis cibos appetunt. Vtrauero hatum intemperie-
rũ fuerit, si sicca fuerit ipsi adiuncta, sicciora apparent excrementa, & sitiunt
magis. Si uero humida, liquidiora ac plura, & minus sitiũt. Porrò si inflam-
matum est hepar, dolor in communi omnibus adest in dextro praecordio,
transiens sursum ad clauiculã usque, deorsum ad spurias usque costas, & febris
acuta, & tusses siccae, & sitis, & cibi inappetentia, & spirandi difficultas, &
lingua primũ quidem rubicunda apparet. postea uero nigra. uomuntque bi-
lem & aluus suppressa est. Quum autem consimilia quodam modo sint si-
gna etiam in pleuriticis, differentiam ipsorum in capite de pleuritide dixi-
mus. At si erysipelas siue ignis sacer constitetit in hepate, & inflammatio-
nis ardor extenditur, & exuruntur, & marcor succedit. Priuatim uero simis
hepatis partibus inflammatis, nauseae, uomitus, ciborum auersationes, flam
mei ardores, & animi deliquia interdum ... Et saepe perit igeratur, ut aquae
praeterfusiones hinc initium sumant. Gibbis uero ipsius inflammatis, ad re-
liqua relata, etiam tumor manifestus certa descriptione ad uisum ac tactum
expositus adest. Atque haec quidem si uehemẽs & magna est inflammatio. Si
uero obscura fuerit, iubebimus aegrum ualde respirare: & si circa dextrum
praecordium dolere se dixerit, moderatam hepatis inflammationẽ esse cen-
sendum est. Si uero iuxta incumbentium musculorum situm, oblongus in-
flammationis tumor apparuit, nullo ex relatis praesente, illos ipsos inflam-
matos esse cognoscimus. Grauitatis autem cum distentione ac dolore sen-
sus in dextro pręcordio, citra tumorem ac febrem, obturationem uenarum
significat, qua parte uenae in porta & simis hepatis partibus, cum his quae B
in gibbis sunt cõmittuntur. Proinde si in abscessum inflammatio uertatur,
& dolor, & distentio ipsis augetur, & rigores praeter rationem accedunt, &
in sinistrum latus decumbere nõ possunt hepate magis dolentes. Rupto au
tem abscessu, aut per urinas, aut per uentrem, aceruata puris excretio con-
tingit. Si uero ad scirrhi duram affectionẽ tumor transmutetur, dolores qui
dem minuuntur, tumor autem cum duritia manifestus est. Corpora uero
circumsita attenuãtur. progressu uero temporis difficilis fit cognitio. Nam
aqua inter cutem accedit, & totum praecordium abhumiditate contegitur.
Ad calidam igitur hepatis intemperiem utendum est perfrigerantibus ac
corroborantibus uiscus moderate, qualis est setis, & cichorium, quandoque
crudum comestum, quandoque coctum cum coriandro. Decoctũ item ipsius
potum, & succus, & ipsum adeò siccum aquae mulsae inspersum, & ad cali-
das & ad frigidas hepatis intemperies facit. Intybum autem troximum ap-
pellatum, & sonchus, ex consimilibus sunt. facit & citri succi cyathus ex
aqua mulsa. & filicis succus similiter. Si uero etiam cum moderata obstru-
ctione intẽperies fiat, cum uino aliquotenus & urinam cientes, illa dato. Ca-
tapotii uero sumitur hoc. Cichorii drach. IIII. radicis chamepityos drach.
IIII. Excipe melle cocto, & nucis ponticae magnitudine praebe, & aquam
calidam insuper sorbeat. Et ex opio ac hyoscyami semine facta ipsis praebi-
benda dentur, & ipsa Philonis antidotus. In quibus autem calor intẽditur,
etiam tolaceum optimum aut melinum ipsis bibendum dato. Cibum uero
ptisanae succum, aut alicam, cum hydrorosato accipiant. & panem similiter
ex aqua, cum aliqua eiusmodi iucunda potione. Et in summa, cibos mode-
ratè perfrigerantes citra obstructionem sumant, à uino in totum abstinen-
tes, praeterquam si ob aliam causam, uelut est stomachi debilitas, utantur, &
tunc tenue quoddam, & parum aquae ferens, aquosum ipsis detur. Sed & i-
gnem sacrũ in hepate similiter curare oportet. At uero si frigida est intem-
peries,

Hepar inflammatum

Hepatis erysipelas

Intybum troximum

Hydrorosatũ

A peries, per cōtraria procedendum est. Panis igitur ipsis cum uino detur, & bis aut ter cocta brassica. Castaneas item gustent, & uuas passas, & de gallinis quod satis est, & uinum bibant. Præbibendum uero ipsis detur eupatorium, aut asarum, & medicamentum ex pipere, & ex descriptis antea ad cœliacos ac dysentericos commoda deligantur. At cōfectiones cyphiformes appellatæ, ad calidas quidem intemperaturas omnino non conueniunt, nisi modicus quidam calor cum largiore humiditate fiat: Verum ad frigidas optima sunt auxilia, & magis si cum humiditate aut obturatione hepatis fiant. Si uero à crassis ac uiscosis humoribus obturatio fiat, myacantha, & maxime ipsius fructus detur, & radicis lauri cortex, & eupatorium ex aceto mulso, aut lupinorum amarorum decocto, cum ruta & pipere. facit & farina lupinorum pota, & radicis capparis partes II. costi pars I. cum uino, & medicamentum ex cacano, ad crassorum ac uiscosorum humorum obturationes: iris item, & pistaciorum fructus ac cortex, & marrubium, & amygdalæ amaræ, & pastillus ex ipsis, dracontij quoque ac ari radix, & agaricum, & acetum scilliticum, & acetum mulsum. Hepar autem lupi siccum tritum cochlearij mensura datum, omnibus hepatis affectionibus conducit, cum uino dulci. Quin & Theodoretus antidotus optimū est medicamentū, & in obturationibus hepatis, & in scirrhis induratis, & in diuturnis inflāmationibus, in colicis itē, ac morbo regio. Similiter & picra ex aceto mulso. Cibi porrò his dandi sunt calidiores & ab obturatione liberantes, uelut est porrum ex aceto mulso, & palustris asparagus, & capparis similiter. Sed & reliqua obsonia cū aliquo ex calfacientibus ac aperiendi uim habentibus condimentis cocta. Et uinum sit tenue ac uetus, ita ut crassi succi omnia uitemus, & balnea assidua, & maxime post cibum. Diuturna uero euadente affectione, etiam uenæ sectionem ac purgationem assumemus, si nihil prohibeat. Inflammato uero hepate citra dilationem uena secetur de cubito

Ex cacano medicamentum

Lupi hepar

Hepatis inflāmatio

B dextero, & multus sanguis detrahatur, uiribus sufficientibus. forinsecus autem cataplasma imponatur uisceri, ex farina ordeacea, fœnogræco, semine lini, cum palmulis, aut malis cotoneis, & flore meliloti, & absinthio, ac chamæmelino. In uniuersum ita ut mollitorijs adstringētia ammisceantur. Epithemata uero sint, Nili, & odoratum, & Philagrianum, & Apollophanis, & ex melilotis, & tusile, copton appellatum. Ad maximas autem inflammationes ualde multæ experientiæ hoc est. comæ absinthij, nardi celticæ, asari, croci, singulorum unc. I. iridis, myrrhæ, styracis, bdellij, ammoniaci thymiamatis, singulorum sextantem, medullæ uitulinæ trientem, cerati lentiscini lib. IIII. Dandum etiam ipsis acetum mulsum, & simplicia auxilia, uelut est asarum, nardus celtica aut Indica, iuncus rotundus odoratus, petroselinum. Et uentrem irritare oportet per urticam & mercurialem, cocta in cibo accepta. In declinationibus etiam epithymū ac polypodium dentur in aqua mulsa. per clysterem quoque aluus euacuetur, in principio ex aqua mulsa infusa cum sale aut nitro. Verū declinatione contingente, misce hyssopum, aut origanum, aut cnicum, aut centaurium, & colocynthidem. Et in summa, simæ hepatis partes per uentrem, gibbæ per urinas expurgantur. Cibus uero his detur ptisanæ succus, in quo apium coctū est. Quod si inflammatio sacri ignis speciem præferat, curationem antea diximus. Si uero abscessus fiat, ruptionem eius adiuuabimus cataplasmate ex trispermo, cū resina, manna thuris, pice, althææ radicibus, fimo columbino, stercore caprino. præbibendum uero detur decoctū polij, fumariæ circa sepes nascentis ad tertias redactum. Item thlaspis decoctum, aut cichorij, & radicis chamædryos. Ruptione autem facta aqua mulsa, & quę ad ulceratos rhenes relata sunt. forinsecus emplastrum Mnasææ, & reliqua mollitoria, & Icesium imponatur, aut quod ex salicibus constat. At si in scirrhum induratū est hepar, modica curationis spes est, ad aquam inter cutē affectione transla bente, attamen ad mollitoria ammiscenda sunt, ammoniacū, bdellium, medul-

Copton medicamentum

Hepar induratum

læ, & adipes, & quæ his parem uim habent. Bibenda uero dentur quæ ab obturatione liberant & extergunt ipsum uiscus, uelut est piper, urinã cientia, & calculos atterentia, cum his quę paulò ante ad hepatis obturationem relata sunt, ciborum quoq; esu conuenienter exhibito. A

De malo habitu. Cap. XLVII.

Habitus malus PRincipium affectionis hydropicorum malum habitum uocare consueuimus. Curare uero ipsum oportet uenæ sectione, si nihil prohibeat, partita sanguinis detractione, ad tertium usq; ac quartum diem faciendo detractionem. Euacuandi autem maxime sunt qui ob hæmorrhoidum, aut mensium purgationis suppressionem, in affectionem collapsi sunt: quemadmodum qui ob plenitudinem humorum, à uenæ sectione abstinere debent, omnino autem purgandi sunt per hieram ex colocynthide. Victus tenuis sit & resiccatorius. Et naturalium aquarum usus assumatur, aluminosarum ac nitrosarum magis. deinde sulphurulentarũ. Reliquum uero balneum ex longioribus interuallis assumant, & uarijs modis se exerceant, maxime per *Iatraliptæ* iatraliptas, unctionis doctos medicos. postea uero etiam ueratro utantur. Mirifice ipsis prodest & absinthij præpotatio, & sinapismi, & dropaces. Si uero ad hydropem affectio delabatur, ad hydropicorum curationem deducatur, iuxta modum qui referetur.

De aqua inter cutem. Cap. XLVIII.

Aqua inter cutem HEpate uehementer perfrigerato, quandoq; primaria affectione, aut inflammato, aut in scirrhum indurato, aut alio quopiam modo affecto: quandoq; per consensum cum alijs partibus, sanguificationis successus nõ contingit, & uocatur affectio Aqua intercus. In qua aliquando flatus copia cum paucissima humiditate coaceruatur, inter membranam peritonæũ appellatam, ac intestina, adeò ut si uerberetur superior uenter, instar tympani *Tympanites* sonitum edat. Vnde etiam tympanites hydrops uocatur, conflatus ab inflatione circa stomachum, & uentrem, & colon, & à febribus diuturnis: quandoq; uero etiã à duricia peritonæi membranæ, aut uteri in mulieribus, aut scirrhi indurati. Aliquando uero uiceuersa humoris copia cum paucissimo flatu, in ijsdem locis coaceruatur, uelut in utre quodam compræhensa. Vnde *Ascites* affectio Ascites hydrops nominatur, conflatus & ipse ex relatis causis: plerunq; uero à duricia & scirrho, circa splenem & hepar, & à diuturnis circa intestina fluxionibus, in quibus uentrem in tumorem eleuari contingit, reliquum autem corpus alimentum non sentiens consumi. Quandoq; uero etiam per totam corporis molem frigidior ac pituitosior sanguis continetur, qui interdum ab hepate talis affertur, interdũ etiam omni corporis carne uelut exaquescente generatur, adeò ut albũ ac pituitosum appareat cor*Leucophlegmatias* pus, mortuo simile, & uocatur Leucophlegmatias, hydrops sub carne, aut intercus, conflatus à longis febribus, & malo stomachi habitu, & diuturnis hæmorrhoidibus suppressis, & à fluxu muliebri, & spirandi difficultate, & uigilijs præter rationem obortis, & ab alijs his similibus causis. Curantes igitur ipsos in communi quidem ab euacuatione initium facimus. Verum in ascite ac tympanite, per medicamentorum aquam ducentium exhibitionem. In intercute uero, per uenæ sectionẽ, maxime si ob hæmorrhoidũ aut menstruæ purgationis suppressionẽ conflata fuerit affectio, nisi dum in malo habitu constituti fuerunt uenæ sectionem præmiserint. Et tunc igitur uelut in malo corporis habitu euacuationem partiri oportet. Deinde bubulũ bouis armentarij stercus siccum exactè tritum, in posca aut aceto mulso coquito, & sulphuris quarta parte inspersa, toti uentris capacitati imponito. Aut caprinum stercus, in urina pueri aut capræ, ad strigmenti spissitudinẽ redactum impone. Hæc per uentrem summè ipsos purgant. Quin & ex fermento cataplasmatis, & ex caricis, & calce, & nitro, & iride, & nasturtio, & sulphure uiuo, & ammoniaco, lauriq; baccis ac staphide syluestri, & syluestrium columbarum stercore, aut omnibus aut quibusdam ex his assumptis, cum

A ptis, cum aceto mulso utendum est. post hæc epithema spongiola appellatum, ex caprino stercore, mirifice humiditatem euacuat, tum per obscuros meatus, tum per uentrem. postea uero reficcantia emplastra imponantur, id quod ex salicibus constat, icesis, tonsoris, ex baccis lauri: aut epithema polyarchium, aut ex seminibus. Sed & hoc mirum in modum efficax est. Ex profundo enim abripit humiditatem. Lapidis pyritæ drach. XII. sulphuris uiui drach. XII. ammoniaci thymiamatis drach. XII. cumini drac. XVI nitri drach. XII. Excipe modica cera ac terebinthina, & pelli inducta per totum uentrem impone. Præbibenda uero ipsis detur sambuci radix in uino cocta. Aut cucumerem syluestrem in uino austero maceratum ad triduum dato, ita ut de uino cyathum unum bibat, additione quotidie facta usque ad cyathos III. Multæ uero mixturæ hoc est. Balsami, nardi, casiæ, cumini, glycyrrhizæ, hyperici, iunci rotundi odorati, asari, dauci, amomi, smyrnij, petroselini, calami aromatici, piperis, seselis, spondylij, singulorum æquales partes. facit & unumquodque ex his per se. Similiter etiam omnia urinam cientia. Citra grauitatem uero urinam ciet scilla assata cum melle trita, & ueluti eclegma delingenda exhibita. Potest etiam aquis quæ bibuntur incoqui. Bonum est & hoc. Internæ scillæ partis lib. II. in uini austeri sextarijs III. ad tertias coquito, & de uino bibendum dato quotidie, initio à mystro facto usque ad unciam unam. Optimum est & hoc ad ciendam urinam. Aluminis liquidi magnitudine fabæ aqua diluito, & per linteum excolato, & ad triduum, aut alternis diebus bibendum dato. Conuenit etiam his picra ex aceto mulso, & antidotus Theodorctus, & ex amaris amygdalis pastillus.

Cæterum aquã ducentia plura sunt, experimento uero cognita hæc. Grana cnidia XL. aut L. aut lathyrides XX. uel XXX. Aut euphorbij siliquæ V. aut VII. Aut squamæ æris drach. II. aut III. Excipiuntur micis panis, & in catapotia efformantur. Aut corticis radicis sambuci succus potus cum B condito. Aut foliorum chamelææ, & squamæ æris, & anisi, singulorum pares partes dato ex aqua, ab initio quidem drach. I. interposito autem interuallo etiam II. & plures. Sed & hæc catapotia admiranda sunt. Aloës, euphorbij, grani cnidij, singulorum unc. I. Rhei unc. S. excipe brassicæ succo, & catapotia efforma. Dato de his siliquas VII. aut IX. Quin & antidotus ex charyophyllo mirifice aquam ducit. Sed & ut uinum aquam duces ipsis demus conandum est. Est autem optimum hoc. Scillæ quadrantem, seminis apij, capparis radicis corticis, piperis, singulorum drach. IIII. grani cnidij decorticati drach. I. folij malabathri pilulas II. Vini optimi heminas XII. mellis crudi lib. VI. contusa ac cribrata uino macerantur, scilla uero simul conteritur. Dantur huic cyath. III. At post humoris euacuationem etiam theriaca utendum est. Bubuli quoque stercoris usti cochleari mensura, quotidie ex uino pota magnopere prodest. Infusis etiam per clysterem utendũ est, nisi aluus sua sponte liquida egerat. Tunc enim magis reficcare ipsum conuenit. Porro in mulieribus hydropicis etiam pesso hoc subdititio ad uuluam utendũ est. Anisi, cardamomi, cumini, nitri, aristolochiæ, fœnigræci, pulegij, ficuum internæ partis, singulorum pares portiones, susino excepta apponantur. post hæc etiam naturalibus balneis utendum est perseueranter, & arenæ ingestione, ab alijs uero balneis abstineant. Et ubi lauerint, in balneo utatur inspersionibus ex nitro, sale, sinapi, calce, ac similibus. Atque hæc quidem etiam citra balneum commoda sunt, si sicca cum oleo uenteri affricentur. At in hydrope subter cutẽ etiam alijs partibus se exerceant, quantum eius fieri potest, & sicca frictione in sole utantur. Sed & reliquus uictus siccior assumatur. Salsamenta igitur edant, & sinapi, & allium, & ex uolucribus syluestres ac siccas. Et ex oleribus asparagum, gingidium, porrum, sinapi, caucalidas, & reliqua syluestria. Et salem theriacum aut Iamblichi obsonijs adspergant. Vino quoque utantur, ueteri, tenui, urinam ciente: & si adsit, mari mixto, ita ut ab omni largiore potu abstineant, & ab aqua in to-

Spongiola epithema

Aquam ducentia

Folij malabathri pilulæ

Pessus uuluæ subdititius

Arenæ ingestio

tum. Si uero cũ febre consistat hydrops, ab omnibus calidioribus & acrioribus edulijs ac auxilijs abstinendum est. Verum mixtim his utendum, aduersus id quod urget instando. Cæterùm in tympanite hydrope, & purgatoria, & quæ totum corpus colliquãt tollantur, & quæ efficacius urinã cient. Quæ uero flatus attenuare ac discutere possunt, intrinsecus ac extrinsecus utenda dentur. Et cucurbitæ leues assiduè toti uentri affigantur. Qui uero hydropem asciten habent, si non relatis cesserit auxilijs, ad perpunctionem deducantur, quæ nulli alij hydropi conuenit. A

Perpunctio in ascite

De splene. Cap. XLIX.

Splenis morbi

Icterus niger

QVum splen ab hepate trahere soleat atrabiliarium humorem, qui uelut sanguinis fex existit, si quidem attractoria huius uis debilis fuerit, aut obturatus meatus, per quẽ prius illum traxit, Icterus niger conflatur, dum sanguis impurus per totum corpus fertur. Verũ si quidem grauitas, aut distentio fuerit circa splenem, aut etiam dolor, obturatio indicatur. Si uero nihil horum, attractoriæ facultatis debilitas. Vomitus autem atræ bilis, absq; febre & alia malignitate contingens, retentricem splenis facultatem debilẽ esse indicat. Expulsorię uero ipsius facultatis debilitas, inappetentiã inducet, dum non amplius atrabiliarium recrementum ad os uentris affertur, appetentiamq; excitat. Quòd si atrabiliarius humor in ipso splene obturatur, primum quidem inflammatio huius fit, quam & feruor, & dolor, & tensio indicat, postea uero etiam in scirrhum induratur, ubi feruor quidem ac dolor cessauit, manet autem tumor ac duricia. His igitur & os graueolens fit, & gingiuæ corroduntur, & ulcera in cruribus absq; cicatrice manent. In quibus hepate coaffecto, uelut diximus, hydrops oboritur. Intemperies itaque ipsius similiter uelut hepatis curabimus. Inflammatione uero præsente, uena de sinistro cubito secetur, aut circa summam manum, eo quòd ex longiore distantia reuulsio fiat, aut etiam ob naturalem quandam cognationem. Deinde imponantur cataplasmata attenuantia citra manifestam caliditatẽ, B ita ut etiam nũc aliqua adstringentia ammisceamus. Talis autem est ex sua natura salis flos appellatus. Est & hoc cataplasma admirandum. Fœnigræci trientem, farinæ ordeaceæ, nasturtij, singulorum unciam I. ficuum pinguium lib. I. herbæ uerbenacæ siccæ unc. I. ficus aceto acerrimo macerare oportet, & cum alijs prius contusis coquere, & postea rursus coquere. Aut stercus caprinum cum cruda ordeacea farina in posca coctũ imponito. Habeat autem si uoles, etiam salis florem. Vbi uero prius cyprino cum aceto modico foueris, utere malagmatis primũ simplicioribus, quale est hoc. Ceræ sesquilibram, adipis taurini lib. I. nitri quadrantem, terebinthinæ, seminis uiticis, corticis radicis capparis, singulorum quincuncem, coctis quæ liquari possunt sicca inspergito. Sed & Nili malagma optimum est. Si uero inflammatio in scirrhum delabatur, fortioribus utendum est, ut etiam cutẽ lancinent, quale est quod ex stercore caprino paratur, & Citrinum, & Macharionis, & Tonsoris, & quod ex lauri baccis constat, & quod ex salicibus. Hoc uero etiam ipse cum successu expertus sum. Auripigmenti sextantem, sandarachæ sextantem, ceræ, terebinthinæ, singulorum lib. I. picis siccæ lib. I. galbani unc. I. opopanacis unc. I. corticis radicis capparis, myrobalani, singulorum trientem, ammoniaci thymiamatis sexuncem, nardini aut cyprini quadrantem. Sed & ammoniacum cum aceto illitũ spleni sæpe profuit. Itemq; potum scrupulorum III. aut IIII. pondere, cum castorij scrupulo I. in balnei solio, ubi caricas præmanducarunt ac exspuerunt. Aut ammoniaci partem I. castorij partem I. dato drach. I. Hæc etiam in scirrhũ induratis prosunt, quemadmodũ etiam capparis cortex aceto tritus ac impositus: qui etiam bibitur cum aceto aut aceto mulso, & crassos ac uiscosos humores euacuat: quandoq; uero etiam sanguinem. Salicis quoq; cortex similiter illinitur. Facit & cinis ex officina fabrili, cum cruda ordeacea farina impositus ex aceto mulso. Et centaurij succus forinsecus impositus, & potus.

Oris graueolẽtia ex splene

Splen inflammatus

A potus. Et supinorum amarorum decoctum, cum ruta & pipere potum, & farina ipsorum pro cataplasmate imposita. Et aqua in qua sæpe ferrum extinctum est, febrientibus per se data cyathorum III. mensura, nõ febrientibus cum uini & aceti cyath. I. Aut rumicis syluestris radicis cum scilla obol. III. Aut chamædryos aut serpilli acetabulum, omnia cum aceto, aut aceto mulso. Aut anagallidis ceruleum florem habentis succi obol. II. cum posca bibendos dato. Aut acetum scilliticum, aut acetum mulsum. Composita ue ro hæc. Radicis panacis, ammoniaci thymiamatis, corticis radicis capparis, herbæ lanariæ, scillæ assatæ internæ partis, singulorum æquas portiones permisce, & præbe drach. I. facit & ad anhelosos ac hydropicos. Aliud. Myricæ fructus drach. IIII. piperis drach. IIII. spicæ nardi drach. II. ammoniaci thymiamatis drachmas II. tere cum aceto scillitico, & præbe drachmam unam ex aceto mulso.

Ad induratum splenem.

Cyclamini drach. XX. bryoniæ drach. III. dictamni drach. II. scillæ assatæ drach. VIII. herbæ lanariæ drach. VI. radicis capparis drach. VI. Dato de his pastillum trium obolorum cum aceto mulso. Quin & ex erica pastillus commodus est. Cibi horum sint attenuantes, acres, sicci, & parcissimus potus. Exercitia item ac frictiones, & sinapismi assumantur. Quandoque etiam cucurbitæ cum scarificatione. *Splen induratus*

De morbo regio. Caput L.

Morbus regius Icterus appellatus, diffusio est bilis in toto corpore contingens, quandoque atræ, de qua in splenicis diximus, quandoque flauæ. Differentiæ uero horum plures sunt. quorum causæ & dignotiones hę sunt. *Regius morbus*
Si enim ex febrili morbo aceruatum obortus regius morbus sedauerit febrẽ, indicatorius est, materia ex profundo extrinsecus translata consistens, neque medicamentis opus habens, sed ex balneis, ac moderata frictione cito

B decedens. Si uero cum febre fiat, & biliosis egestionibus, & grauitas sit circa dextrum præcordium, inflammatio feruens indicatur ipsius hepatis, ob quam bilescens sanguis per totum corpus fertur. Si autem citra grauitatem feruor sit in ipso, ob solam calidam intemperiem hepatis, affectio cõstatur. Si uero citra febrem fiat, sintque albæ alui egestiones, uesicæ bilem suscipientis affectio indicatur, aut meatibus ipsius obturatis, siquidem grauitas est circa dextrum præcordium: aut absque hac, uiribus suis debilitatis, siue attractoria eius qui ex hepate trahit, siue expulsoria eius qui ad intestina expellit. Dum enim non purgatur sanguis biliosus, in totum corpus distribuitur, quemadmodum in nigro ictero diximus. Statim autem his etiam urinæ biliosissimæ abunde coloratæ prodeunt. Fit etiam icterus ob intemperiẽ calidam solidorum corporum, dum in bilem mutantur ea quæ alimenti ratione ad ipsa deferuntur: quemadmodum in hydrope subter cutem consistente, ad pituitosam humiditatem transmutatio fit. Talis autẽ morbus regius cognoscitur ex eo quòd non aceruatim, sed particulatim fit, nullo relatorũ præsente. Quin & ex ueneni medicamenti potu, & propter uenenum extrinsecus ex aliquo uenenum eiaculante allabẽs, morbus regius conflatur. Calidæ igitur hepatis intemperiei, & inflammationis ipsius, & facultatum debilitatis curationem, antea in tractatione de ipso recensuimus, quæ etiã citra permutationem huc transferenda est, ut ne eadem sæpe dicamus. Obturatis autem uesicæ bilem suscipientis meatibus utrisque, aut altero solo, uena secetur in cubito dextero. Quidam uero & in his, & in illis qui ob inflãmationem hepatis morbum regium contraxerunt, uenam propè paruũ digitum dextræ manus secant. Cataplasmatis autem inflammationem arcentibus utendum est, & ipsi per hieram purgandi sunt. Commodi sunt etiam clysteres præbibendum uero detur morbo regio affectis, apij, aut adianti, aut rumicis, aut serpilli ad tertias decoctorũ decoctum. Aut absinthium potui inspergatur. Summè uero faciunt succi raphani cyath. II. cũ uini cyath. *Icterus niger*

A

I. poti, Itemq; succi cichorij cyathi II. aut III. per se, & cum uino. Verũ ob hepatis inflammationem ictericis uinum mulsum bibendum præbe, aut decoctum aristolochiæ tenuis, aut hyperici, aut adianti, aut herbæ lanariæ, aut rubiæ tinctorum. Aut ramenti cornu ceruini drachmam unam cum uino. Aut pastinacæ in uino ad tertias coctæ decoctũ. Aut sulphuris uiui drach. I. in ouis sorbeant. Hæc etiam ob obturationẽ ictericis magnificè prosunt.

Passum chrysattieum

Seminis autem atriplicis scrupuli VIII. cum chrysattico aut alio passo, in balnei solio poti, sufficientem euacuationem faciunt. Recte etiam picra datur, & arida, & ex aceto mulso constans, & Theodoretus antidotus, & ex amaris amygdalis pastillus. Dato etiam cinamomi quantum tribus digitis præhendi potest, in uini mulsi cyath. I. aut aqua temperata. Aut myrrhæ magnitudinem fabæ, cum piperis granis V. pariq; cinamomo. Qui uero ob calidam solidorum corporum intemperiem icterici sunt, simplicibus frictionibus, & exercitijs moderatis, & unctione, & balneis utantur, & humectante ac moderatè frigefaciente uictu, ptisanæ succo, intybis, seride, cichorijs, piscibusq; ac uino tenui aquoso. Cæterùm de his qui ex ueneni potu, aut ob uenenum eiaculantium morsum, ad hanc affectionem deuenerunt, libro V. dicetur. Porrò bile circa oculos & faciem recepta, elaterij erui magnitudinem cum lacte muliebri instilla in nasum in balneo, & statim in solium demitte, ac præcipe ne caput mergat, & post balneum refectorio uictu dato, rursus in nares infunde in sole. Facit & cyclamini succus, & marrubij, & melanthij. Sed & acetum acerrimum naribus attrahat dum sedet in solio, & parumper nares comprimat, & mirificè euacuabitur.

De umbilici prolapsu. *Cap. LI.*

Vmbilici prolapsus

CAusam & chirurgicam curationem umbilici prominentis, in chirurgiæ tractatu dicemus. Quandoquidem uero & per medicamentorum usum quidam ad naturalem statum reuersi sunt, de hoc hic dicendum est. Aluminis scissi drach. V. fecis uini rhodij drach. X. gallarum omphacinarũ drach. II. uino diluta, & ad mellis spissitudinẽ redacta impone, forinsecusq; spongiolam posca imbutam superadde, & fascia deliga. Aliud. Corticum fabæ fresæ, gallarum, balaustij, singulorum æquales partes in aqua coquito. Vbi uero dissoluta fuerint, diligenter trita imponito, cum spongia quemadmodum dictum est. Aliud. Ramenti plumbi drach. XVI. cicutæ, mannæ thuris, cerussæ, succi hypocisthidis, singulorum drachmam unam, uino dissolutis utere quemadmodum dictum est.

B

Quomodo quis impubis ac imberbis diu permaneat, & de pudendorum ac testium custodia, & simul psilothra. *Caput LII.*

Imberbis ut quis maneat

CImoliæ terræ & cerussæ æquales partes hyoscyami succo excipe, ut strigmentitiam spissitudinem habeant, deinde oleo lentiscino quantum satis est addito concute, ac utere. Aliud. Cicutæ succum, & solani, hyoscyami, lupini foliorum tenerrimorum, & psyllij, singulorum pares portiones terito ac utitor, ubi prius deterseris ac laueris. Oportet autem prius aliquot diebus aquam bibere.

Psilothron pilos disperdens.

Psilothron

Asellorum domesticorum qui in globulum se conuoluunt drach. II. sandarachæ drach. IIII. calcis uiuæ drach. VIII. aceti ueteris cyath. I. lixiuij ficulnei cyath. I. coquito in olla, & utere in balneo. Aliud. Calcis uiuæ partes II. auripigmenti partes II. cimoliæ partẽ unam. coctis in aqua utere uelut dictum est. Aliud simplex & sine odore. Calcis uiuæ sextar. I. sandarachæ unc. I. coquito uelut dictum est, ac utere. Cæterùm depilatoria inter oculorum morbos relata habentur.

De Herniæ speciebus. *Caput LIII.*

Herniæ species

QVæ ex peritonæi membranæ ruptione fiunt intestinorum delapsiones, ualdè graues sunt. Quæ uero ob rarefactionem, facilius curantur, pueris magis uelut humidioribus contingentes: & multi sanè ex his citra chirurgiam

A rurgiam, & per medicamenta quæ imponuntur, & per conuenientem deligationem curati sunt. Vtendum autē est subscriptis compositionibus, ubi hoc solum addiderimus, affectiones has solo loco differre. Quum enim adhuc supernè circa inguen, intestinum manet, bubonocele, hoc est inguinis ramex siue hernia appellatur. Vbi uero ad scortum iam delatum est, enterocele, hoc est intestinorū ramex nominatur. Proinde malicorij drach. X. gallæ omphacis drach. V. in uini austeri cyath. III. coquito, tritaq; præfricto ac retruso intestino imponito, ubi frigida aqua prius perfuderis. Et per dies decem soluito, ita ut in lecto maneat æger ad dies triginta, & cupressi decoctum cum uino bibat. Aut pilularum cupressi obol. III. in uino diluto. Hoc medicamentum in pueris efficax est.

Bubonocele
Enterocele

Aliud agglutinatorium. Radicis symphyti, succi marrubij, amygdalarum amararum, gummi, singulorum pares portiones. Aliud. Terebinthinæ unc. IS. ceræ, thuris, myrrhę, glutinis piscium, cochlearū unà cum testis, singulorum unc. I. gluten ad triduum aceto præmacerato. Aliud. Cupressi pilularum unc. I. gallarum unc. I. malicorij unc. S. glutinis quadrantem, mannæ thuris unc. S. symphyti unc. S. cochlearum unà cum testis unc. I. pilulas & malicorium uino adstringente diu coquito ac terito, & reliqua ammisceto, & exceptis utitor. Aliud. Aloës, malicorij, thuris, succi hypocisthidis, glutinis fabrilis, picis, bituminis, singulorum unc. IS. uini dulcis, quod satis est. Aliud uariegatius, facit & ad perfectę ætatis homines, malo non diuturno. Chrysocollæ, glutinis, taurini, sarcocollæ, glutinis piscium, lapidis gagatæ, lapidis hæmatitę, rhois syriaci coriarij, acaciæ, singulorum unc. IS. lapidis pyritæ, sulphuris ignem nō experti, magnetis spirantis, aluminis scissi, mannæ, thuris, singulorum unc. I. picis brutiæ quincuncem, cochlearum unà cum testis unc. I. recrementi argenti trientem, gallarum unc. I. squamæ stomomatis ferri unc. I. æris unc. I. bituminis sextuncē,
B olei myrtei quod satis est. Vino adstringente sicca excipito, & manus non inquinante utitor. Quòdsi decumbere non sustineant, triangulari crassiore ligamento, quod intestinum adstringere potest, secure deligato. Abstineāt à flatuosis cibis, & uino largiore, & assiduis balneis, & intento motu; uelut est cursus, saltatio, uociferatio, & similia.

Magnes spirans

Ad hydrocelen, hoc est aquosum ramicem, ut humor euacuetur. Piperis grana C. baccas lauri LXXX. nitri drach. XX. ceræ drach. XL. olei heminā dimidiam, exceptis utere. Aliud optimum. Floris lapidis asij drach. VI. uuæ passæ uinaceis exemptis sextantem, cumini æthiopici drach. VIII. nitri rubri drach. VIII. trita imponito, fomēto mane ac uespeti adhibito. Quidam etiam sulphuris drach. VIII. addunt. Aliud. Calcem uiuam strigmento exceptam, cum cerato impone, & parum nitri ad calcem ammisce.

Ramex aquosus

Aliud. Brassicæ radices urito, & cinerem adipe porcino ueteri eliquato excipito. Soluito autem per tertium diem. Quo uero non rursus ualdè multa fiat humoris collectio, hoc malagmate utere. Cerę lib. IIS. picis trientem, ammoniaci thymiamatis trientē, aluminis liquidi unc. IS. facit etiam emplastrum ex populo nigra, & reliqua attractoria.

De testium inflammatione, itemq; scorti, & de alijs ipsorum affectionibus. Caput LIIII.

SCorti inflammatio cognoscitur ex eo quòd circa primum manus contactum dolent, & quòd feruor ac duricia intenta appareant. Teste uero inflammato, neq; ad leuem contactum dolent, sed digitis innitentibus: & rubor, & duricia, circa superficiem minus apparet. Si uero quis digitis innitatur, duricia in profundo occurrit. & febris aliquando oboritur. Proprie igitur testibus inflammatis conuenit uenæ sectio circa malleolum. In communi uero omnibus cataplasmata & cerata. Cataplasma itaq; imponēdum est ex fabacea farina cocta in uino diluto, cum uuis passis pinguibus uinaceis exemptis. Aut cuminum, aut asphodeli radicem coctam ac tritam, ad parē

Scroti inflamatio
Testium inflammatio

polentæ pollinem ammisceto ac imponito. Aut lini semen in uino diluto. A Aut fœnum græcum in aqua mulsa. Aut lilij radicem in aqua mulsa. Aut fecem uini recentem cum polline polentæ. Aut senecionem & coriandrum uiride, cum uuis passis uinaceis exemptis. Si uero multus sit feruor, folia hyoscyami cum triticea aut cicerum farina imponito. aut harundinis folia. Aut cucurbitam crudam. Si uero diuturna est affectio cum duricia, cucumeris syluestris radicem coctam in aqua mulsa, & cum farina loliacea tritã imponito. Sed & hoc bonum est auxilium. Vuarum passarum exemptis uinaceis quincuncem, cicerum feruefactorum unc. 1 S. cumini unc. 1. sulphuris dodrantem, nitri unc. 1 resinæ quadrantem & semunciam, terito omnia cum melle, & pro cataplasmate utitor. Cerata uero hęc faciunt. Olei cyath. 1. colophoniæ sexuncem, plumbaginis, cumini, uuarum passarum, farinæ fabaceæ, singulorum trientem, cerę sextantem. plumbaginem cum oleo coquito ad aliquam compagem, deinde ceram & resinam adijcito, & ablata ab igne semifrigefacta, ad uuas passas tritas. & ad farinas affundito. Aliud. Olei anethini & rosacei, ceræ, resinæ pinus, singulorum quincuncem, cumini sextantem & semunciam, stercoris asinini unc. 1 S. Cuminum cum stercore asinino terito, & ceratum frigefactum ammisceto ac conterito simul, deinde linteo exceptis utitor, lanam superimponens. Aut oleo omphacino, aut butyro & resina, æqualibus portionibus utitor. Si uero ex sudoribus ulcera in scorto fiant, gallam tritam aut alumen, pinguedini & felli hircino insperge, ac obline. At uero ad testes feruido ulcere infestatos, ubi cimoliam terram cum aqua prius illenisti, siccari permittito, & ablutione cũ calida aqua facta, myrtum siccam, & smyrnij parum, terito ac imponito. Cęterum carnium in testibus excrescentias, cinis sarmentitius cum nitro & aqua subactus, impositus sanat. Si uero prutitus circa scrotum est, nitrum, staphidem syluestrem, alumen liquidum, aceto & rosaceo trita in balneo illine. post balneum uero, oui candidum cum melle illine. B

Scorti ex sudore ulcera

Prurilus scroti

De seminis profluuio, & eiusdem in somnis effusione. Cap. LV.

Seminis profluuium

SEminis profluuium inuoluntaria est excretio assiduè contingens, citra pudendi tentiginem, propter retentricis facultatis debilitatẽ. In qua conuenit in quiete asseruare, ita ut lumbos & pubem lana conuoluta integant, uino & melino oleo, aut œnanthino imbuta. Consequenter aũt cataplasma imponatur ex palmulis, malis, œnanthe, acacia, hypocisthide & rhoe, ac similibus. Insideant autem lentisci & rubi, ac similium decoctis in uino, aut etiam aqua. Cibis uero utantur resiccatorijs. Post prima uero tempora ad exercitium deducantur, per quod & totum corpus, & affectæ partes ad robur deducantur. Cæterum ad seminis redundantiam facientia, sufficienter relata sunt libro primo in tuendæ sanitatis tractatione. Vbi etiam de his qui coire non possunt scriptum est. Verum ad seminis in somno effusiones profuerit ipsis etiam lectus frigidior, & decubitus in dextrum aut sinistrum latus, & quæcunq; medicamenta frigida lumbis sublinũtur, qualia sunt, coriandrum, cicuta, cerusa, portulaca, omnia cum aceto.

De Satyriasi. Caput LVI.

Satyriasis

SAtyriasis est palpitatio pudendi, ad inflammatoriam quandam uasorum seminatiorum affectionem consequens, cum tentigine: & si non desinat palpitatio, ad uasorum seminalium resolutionem, aut conuulsionem delabi solet, & pereunt celeriter conuulsi, morientes autem uentre inflantur, & frigidum sudorem excludunt. Contingit autẽ hic morbus, sed raro: etiam mulieribus. Vena igitur statim secanda est, & uictus tenuis ac sine uino constituendus, & quotidie quidem aluus mollienda est, uehementer nunquam, sed placide ac leniter. Optima igitur est beta, & malua, & mercurialis parum, & concharum iusculum. Non malum est etiam simpliciter clysterem adhibere. Verum urinas cientes medicinæ uitentur. Lumbis autem frigefacientia adhibeantur, uelut est solani succus, aut portulacæ, aut hyoscyami,

aut

A aut cicuta. Necesse est etiam colem, & ani ac scorti intercapedinem, ex aliquo mitigante frigefactorio illinere, uelut argenti spuma, terra cimolia, cerussa, aceto dilutis, aut aqua, aut uino dulci, aut sapa. Decubitus supinus noxius est, Bibat autem nymphææ radicem, & iridem, & adiantum. Ruta autē & seminis profluuio, & satyriasi laboranti prodest. Cibus detur frumentaceus modicus. & siti premantur. Si uero perseueret affectio, cucurbitæ affigantur cum scarificatione. Et si plenitudo adsit, etiam per hirudines enacuatio fiat. Venter autem cruda ordeacea farina integatur.

De priapismo. Cap. LVII.

Priapismus

PRiapismus est auctio pudendi perseuerans, in longum ac circulum intumescentis, citra rei ueneree appetentiam. Est autē flatuosus spiritus qui membrum tumefacit, ex humoribus uiscosis ac crassis præ moderata caliditate generatus. Manifestum igitur est quòd partes calefacere non oportet, sed leniter frigefacere, cerato rosaceo cum aqua conquassato: & per chamęmelinum ceratum pudendo ac lumbis impositum. Victus & medicamenta adhibeantur attenuantis facultatis, citra manifestam calefactionem. Adhibeantur etiam quæ naturaliter efficacia sunt, per experientiam comperta. Nymphæa igitur etiam his bibenda detur, & niticis semen, & rutæ niridis, obsonijs misceatur. Ab initio uero hoc ne detur, multū enim calefacit, sed postea post aliorum attenuantium usum. Si euacuatione utendum sit, per uomitus ea fiat. Nam per infernum uentrem contingentes, sępe fluxionem concitant ad uicinas partes. Sed & exercitium, & frictio assumatur, ad flatus discutiendos. Nulli ex relatis cōuenit coitus, præterquàm in quibus ob huius abstinentiam, semen redundare coniectamus.

De membrorum genitalium impotentia. Cap. LVIII.

Genitaliū partiū impotentia

QVi hanc affectionem habent, ad Venerem non stimulantur, & propterea tristes sunt. Causa autem horum est, partium resolutio, aut seminis inopia.
B Quum igitur semen generantia libro primo in sanitatis tuendæ tractatione relata sint, itemq; quæ ad coitum stimulent secundum simplicē facultatem, nunc fortiora apponenda sunt. Communiter igitur acopis ad resolutionem commodis, etiam hic utendum est. Priuatim uero stellionem ustam terito, deinde addito oleo dextri pedis magnum digitum illinito ac coito. Si uero cessare uoles, digitum abluito. Sed & ex stellionibus multæ mixturæ medicamentum efficax est. Præbibenda uero dentur tentiginem cientia, uelut est primum hoc. Piperis, nucleorum nucis pineæ, petroselini, ramenti pudendi ceruini, terebinthinæ, singulorum æquales partes excipe melle. Aliud. Cicerum crudorum, nucleorum nucis pineæ, singulorū sextantem, erucæ, piperis, singulorum unc. I. excipe melle. dato drach. II. cum uino. Sed & Satyriaca appellata multiplex compositio conueniet, & quæ his similia sunt. Considerare uero oportet etiam alias affectionis causas, & correctionem ipsis conuenientem adhibere.

Stellionum medicamentum

Tentiginem cientia

Pudendorum ac sedis affectiones. Cap. LIX.

Pudendorum affectiones

VLcera in pudendis & circa sedem, si sunt citra inflammationem, ualdè siccantibus opus habent medicamentis, qualia sunt id quod ex charta usta constat, & anethum ustum siccum, & cucurbita usta. Non humidis autem & recentibus ulceribus, etiam aloë bonum pharmacū est, sicca in puluillum redacta inspersa. pręomnibus uero dolorem eximit, & nullo minus efficax est pompholyx. Si uero humidiora fuerint ulcera, pinus cortex per se, & lapis hæmatites. Si autem & profunditas aliqua ipsis affuerit, ad relata manna thuris ammiscenda est. At si nome depascendo proserpat, lenticula imponatur cum malicorio. Vtendum etiam emplastro coraco ex aceto mulso appellato, & pastillo bithyno, & qui ex charta constat. Rimas autem in pudendis ac sede iuuat resina fricta cum rosaceo trita, ut strigmentitia crassitudo fiat, ammixto etiam oui uitello, & opio. Aut foliorū hederæ siccorum ustorum cinis tritus cum rosaceo in plumbeo mortario adhibeatur.

Rimæ pudendorum

Pastillus

Pastillus quoq; ex uino & oleo, & qui ex lapide phrygio paratur, ualde cō- A
moda sunt medicamenta, & ad rimas, & ad sordida circa coronam ulcera,
& maxime quum detrahere præputium nō possunt. Alius simplex, quod
etiam acrimonias obtundit. Cadmiæ ustæ ac lotæ sextantem, foliorum ro
sarum exunguium sexuncem, sicca insperge, abluens prius uino. Ad con-
dylomata uero facit hoc. Chalcitidis, œsypi cerati, medullæ ceruinæ, folio-
rum rubi, singulorum pares portiones cum cerato. Et pastillus ex uino ac o-
leo similiter. Si uero in cole, intra pudendi foramen, inconspicuū ulcus fiat,
cognoscitur ex eo quòd aut pus, aut sanguis euacuatur, citra mictionē. cu-
ratur autem primum quidem aqua mulsa a quosa collutum. deinde lacte. po
stea ammixto etiam ad lac Astere collyrio. Aut pastillum album, aut eum
qui ex loto fit, in plumbea pila tritum immittito, aut etiam pinna in eo tin-
cta illinito. Deinde linamentum tortum illitum indito. Optimū est & quod
gallam recipit & pompholygem, amylumq; & aloën, æquis portionibus
trita cum rosaceo, & plantaginis succo.

Ad dolores in pudendo.

Butyrum & resinam pari modo liquata imponito. aut lini seminis succo
pares partes myrrhæ & resinæ frictæ terito ac imponito.

Ad tumidum pudendum.

Vitis foliorum tenerorum drach. I. cerussæ drach. V. trita impone. Vtere
etiam aquæ marinæ frigidæ perfusione, & quiete, & colis deligatione.

Thymi in pudendis Verrucæ omnes Verrucas in pudendis, Thymos appellatos curat, & augeri rursus nō si-
nit cinis sarmentorum uitis cum aceto impositus. Item corticis salicis usti
cinis. In summa uero, uerrucarum genera omnia, & thymus, & formicaria,
& quæ quasi ex chorda pendet, per medicamēta quidem uehementer exul-
cerantia auellentur, per putrefacientia uero ac erodentia mortificātur. Pro-
priè uero facit elaterium cum sale impositum, grossi cum aceto, nitro, & fa-
rina. fici succus illitus. smaridis caput salsum ustum. ærugo cum sulphure ui B
uo usta. Tithymalli succus illitus. ocymi folia cum atramento sutorio. He-
liotropij magni semen cum uino impositum.

Ad inflammationem ani.

Ani inflammatio Cerussæ trientem, pompholygis aut cadmiæ teneræ unc. I. thuris unc. I.
feridis succi hemiinam unam. Dilue paulatim succum instillans donec con-
sumptus fuerit. Deinde cerato facto ex ceræ sextante, & rosacei lib. I. ubi
eraseris ammisce, & fortiter emollito. Immittito autem per instrumentum
puris tractorium, & superne deligato facit etiam ad imas inflammatas, &
ad ulcerationes sedis, cum feruore aut morsu.

Ad ignem sacrum circa sedem.

Ignis sacer circa sedem Emplastri ex succis lib. I. rosacei quod satis est, panis puri lib. I. crocium
ciam I. opij unc. I. Crocus & opium macerantur passo, panis aqua Dein-
de ad ipsa trita adijcitur emplastrum ex succis, & rosaceum, & emollitur fa
cit etiam ad calidissimas podagras. Aliud faciens etiam ad inflammatio-
nem ani. Cerussam uino, & rosaceo, in plumbea pila, plumbeo pistillo tri-
tam illine. Aut cerussam & oui candidum, & rosaceum in eadem pila, do-
nec strigmentitiam crassitudinem habeant trita illinito.

Ad sedis dolores.

Hyoscyami foliorum tenerorum, portulacæ foliorum tenerorum, mica-
rum panis uino maceratarum, uitellorum ouorum assatorum, singulorū pa-
res portiones, rosacei quod satis est. postquàm fomentum adhibueris ad lo
cum ex rosaceo ac meliloti decocto, cataplasma imponito. Aliud optimū.
Ad ani inflammationes, & exuberantias. Cerussæ, spumæ argenti, ammo-
niaci thymiamatis, bdellij, singulorum sexuncem, terebinthinæ unc. I. ceræ
unciæ dimidium. Arida succo solani, hyoscyami, aut portulacæ terito, quæ
liquari possunt liquefacta ammisceto & excipito, & rosaceo mollitis uti-
tor. Sed & emplastrum Phicoryche appellatum, & quod ex plumbagine
paratur,

A pacatur, & pastillus ex loto, & ex halicacabo, & ex rosis, ad sedis inflammationes, inter clara sedis ac pudendorum medicamenta habentur.

Ad extuberantias ani.

Extuberantiæ ani

Si inflammatę sunt extuberantiæ, & relatis in communi utendum est, & priuatim hoc pastillo. Cerusæ quadrantem, pompholygis unc. I. spumę argenti sextantem, mastiches sexuncem. excipe hyoscyami succo. Si uero nō sunt inflammatæ, uino prælotis pilularum cupressi ustarum cinerem insperge. Aut corticis cucurbitæ siccæ usti, aut ossium palmularum cinerem similiter. Aut testarum ouorum & fœniculi cinerem. Aut mali punicæ foliorū succo, pari uino albo ammixto prolue ad dies septē. Verū ad callosas extuberātias, calcē & auripigmentū cū aceto acri trita, in sole illinere bonū est.

De hæmorrhoidibus.

Hæmorrhoides

Si hæmorrhoides plus quàm oportet euacuantur, corporis habitū aquosum fieri contingit, & ut praue cibos auersentur. periculum est etiam si larga sanguinis eruptio flàt: quemadmodum etiam si penitus supprimatur. unde operosa est curatio. Quare cum plures sint hæmorrhoides, unam relinquere oportet, purgationis gratia. Quædā uero sunt quæ in superiore parte non apparent, & propterea ægrè curantur. Cæcæ uero nihil quidem excernunt, uerum magis dolorosę sunt. Ad has igitur cyclamini succum illine, & aperiuntur. Ad eas uero quæ immodicè euacuantur, spinæ Aegyptiæ, sambuci foliorum, artemisiæ, singulorum quincuncem, sideritidis trientem, in aquæ heminis VIII. ad dimidias coquito. Deinde herbas quidem reijcito, ad aquam autem siccum hoc ammisceto. Melanterię, aluminis rotundi, singulorum drach. VIII. spumæ argenti drach. IIII. gallæ quadrantem, misyos drach. II. soreos drach. II. Soluto hoc sicco in decocto, septies in die irrigationem facito. Sequenti uero die similiter alia facta eiusdem ponderis præparatione, similiter irrigationem facito. Et tertia die eodem modo. Si uero
B reliquiæ aliquæ manserint, quarta die per acum facta compunctione, si senserint, aut sanguinem fuderint, decoctum quidem similiter facito, de sicco uero dimidium ammisceto. Vbi autem irrigasti, cum sicco contingito, quo exacte exurantur. Verū propter inflammationē panem imponito. Aliud. Panem purum in garo primario macerato, & in noua olla ustum ac tritum imponito, abluens antea uino. facit & ad extuberantias. Aliud. Soreos drach. II. chalcitidis drach. I. misyos drach. I. atramenti sutorij drach. III. aluminis scissi drach. IX. æris usti drach. I. melanteriæ drach. I. utere sicco. Cibi uero sint in his quæ nimium euacuantur, qui paucum sanguinem faciunt ac minimum superfluitatis, siccantesq; ac adstringentes, qualis est lota alica ex posca, & oryza & chondrus. Ex oleribus inyba, cichorium, & portulaca. Et uina adstringentia. At in excæcatis hæmorrhoidibus conueniunt cibi his contrarij. Maxime autem lolliginum, & sepiarum, & polypodum, torpedinisq; ac chartilagineorum esus probe commodat. Hæc enim sanguinem turbant. Sed & quæ menses ducunt, his commoda existunt.

Garum primarium

Ad procidentes anos.

Anus procidens

Myrrha minnæa

Ericæ fructus, gallarum, cerussæ, acaciæ, succi hypocisthidis, corticis pinus, thuris, myrrhæ minnææ, singulorū æquales partes, sicca insperge prælatis uino austero. Aliud. Recrementi plumbi, rhois syriaci, singulorū drach. VIII. floris rosarum drach. IIII. myrrhæ minnææ drach. II. utere uelut priore. Aliud. Corticis pinus, mannæ thuris, spumæ argenti, singulorū drach. VIII. pilularū cupressi siccarū, plumbaginis, singulorum drach. II. utere uelut dictum est. Et urina ipsius ægri adhuc calida affusa prodest.

De uteri affectionibus, & primum de mensium purgatione. Cap. LX.

Vteri affectiones

Mensium purgatio

PLerisq; purgatio mensium contingit circa decimumquartum annū. Paucis citius circa decimumtertium, aut duodecimum. Non paucis autē tardius quatuordecim annis. Tempus uero unicuiq; purgationi statutum non est. Multæ enim ad duos aut tres, plurimæ ad quinq; dies purgantur. Aliæ

ad se-

ad septimumusque diem. Paucæ etiam ad duodecimum usq; purgatæ sunt. A Desinunt autem purgari, aliquæ circa quinquagesimum annum. Paucæ usque ad sexagesimum. Quibusdam à trigesimo quinto anno, & maxime pinguibus, menses desinere cœperunt. Si igitur remoratur purgatio, circa præfinitum tempus lauato, & sesanum, aut porrum capitatū præbibendum dato, cum pipere, & ruta simul coctis. Edat autem lolligines, sepias, polypos, & quæcunq; eius generis sunt. priuatim enim sanguinem turbant.

De mensium suppreßione. Cap. LXI.

Menses suppreßi

SVpprimitur menstrua purgatio, aliquando toto corpore male affecto, aliquando ubi uterus ipse propriam affectionem suscepit, propter loci frigiditatem, aut plagam, aut intemperiem ex natiuitate, aut ob acquisititiam uexationem. Plerunq; uero ex abortibus, & ob partem aliquam principaliorem primario affectam, uelut est hepar, aut uentriculus, aut thorax, aut eiusmodi quędam in diuturna affectione constituta. Suppressa uero multarum & diuturnarū affectionum causa fieri solet. Quum igitur ob aliquam uiscerum interaneorū affectionem primariam purgatio intercepta fuerit, aut moram traxerit, maxime operæprecium est primario affectam partē curare, & post ipsam uteri meminisse. Notas autem illarum partium affectarū in superioribus tradidimus. ubi uero nihil illorum affuerit, manifestum est ipsum uterum primario affectum esse. Si igitur non prohibet ætas, aut habitus corporis, aut aliud quiddam, uena secetur, non ante præfinitū mensium tempus, sed prætetito iam dies decem adijciantur. detrahatur aūt non plus duabus libris & dimidia, neq; minus una, si sanè uenam secuerimus: sin minus, hiera ex colocynthide purgētur, duabus drachmis datis in sex cyathis aquæmulsæ. Febre uero præsente hiera uti non expedit. Commodum autē est uenam secare in primis febrium diebus. post purgationem reficiātur ad paucos dies. In sequentibus autem exerceantur deambulationibus, frictionibus infernarum partium, & lauentur. Cibi conueniunt qui facile concoqui ac distribui possunt, & olera humida ac dulcia omnia. Ex piscibus petrosi. Ex uolucribus teneriores. Lactis potus, dulciaria ac mellita liba. Vinū tenue album, non ualde uetus. Ineptæ sunt carnes, & legumina, excepta ptisana. Vbi uero propinquum est præfinitū tempus, ex marinis dentur chartilaginea ac mollia, uelut dictum est, & testa intecta. Et porrū capitatū cum ruta & pipere coctum, & decoctum ipsorum bibant. Tunc quoq; ligamentis infernas partes adstringant ad tres aut quatuor dies. Instante autē præfinito tempore, ligamenta quidem tollantur. Præbibant autem myrrhæ obolum, aut fabæ magnitudinem. Aut castorium ex passo, aut aqua mulsa: aut artemisiæ decoctum, aut saluiæ, post balneum ex passo & uino absinthite. Absinthites autem uinum per totam curationem præbibatur. Præterito autem tempore præfinito, & nulla, aut non memorabili purgatione facta, ad malleolum uena secetur, & repetita detractio fiat. post septimum uero aut octauum diem, purgatione ex hiera utatur. Et post quartum diem dropacē adhibeat ad pectinem, lumbos, ac fœmora. Et ubi per triduū aquam bibit, cataplasma ex sinapi ac pane madefacto, paribus portionibus imponat, usque ad æquinoctij tempus. deinde lauet. Sequenti mense caricæ pro pane ammisceantur in decoctum fœnigræci, maluæ, pulegij, rutæ & artemisiæ. In sinum uero infundatur susinum, aut amaracinum, & pessus subdatur enneapharmacus, à nouem quas recipit rebus appellatus, aut libanius uoca- B

Pessus quid sit

tus. Est autem pessus lana carpinata, & in rotunditatem ad digiti figuram redacta, in qua continentur medicamenta. Atq; hæc curatio plurimis suffecit ad purgationem. Si uero fortioribus opus habuerit medicamentis, sunt hæc Iris illyrica pota cum uino, cyperus, ari radix, casia, iunci rotundi odorati flos, nardus, radicis helenij decoctum, myrrhæ fabæ græcę magnitudo. Hæc cum passo bibuntur, in aquæ mulsæ cyatho dimidio. Et dictamni decocti cyath. II. & ammoniacum, & sagapenum. Quæ uero stomachū minus

noxæ

A noxæ expositum habent, his & opopanacis parum in pilulam coactum, & melle cocto tinctũ dari potest. Quin & familiaria nobis semina menses mouere solent, sed minus, uelut est, fœniculum, cuminum, apium, daucus creticus, seseli, ammi, sinon, cicer, cedri baccę, & omnia urinam cientia. Apposita autem & subdita faciunt hęc. Myrrha, absinthij aut lupinorum decocto trita, aut etiam rutę succo trita. Bdellium eodem modo. Styrax item & oleę syluestris gummi, cum rutæ succo similiter. Aut aristolochia longa ad collyrij formam exsculpta. Similiter etiam magni centaurij radix, aut ueratri, aut scammoniæ succus, & colocynthidis medulla per se, & artemisia imposita cum ruta. Et galbanum suffitum. Eadem etiam fœtus ejicere solent. *Fœtus ejicientia*

De nimia purgatione uteri, & sanguinis ex eo eruptione. Cap. LXII.

NImiæ purgationes mulieribus fiunt, quandoque dum menses augentur, & aceruatius feruntur: quandoque in partu perfecto, quæ plerũque etiam sua sponte cessant. Frequenter autem & ex abortibus uehementer sanguis erumpit, ut sæpe periculum incurrant. Primũ igitur constringendi sunt artus, ab alis & ab inguinibus. In potu uero danda est posca nõ frigida, & posca quoque affundenda. Imponendæque locis lanæ multæ ex uino & oleo aut rosaceo, aut melino, aut myrteo expressæ. Cibus detur chondrus lotus ex posca, aut oryza, aut alica, hydromelum quoque austerum, aut omphacomeli, aut talium quiddam ipsis detur. Præbibant autem balaustium in posca, aut hypocisthidis aut acaciæ succum, aut lycium, aut samium asterem, aut uuam acerbam siccã, aut rheon, aut suberis ex Italico uase usti cinerẽ. Aut sesamum edant in posca maceratum donec mollefiat. Apposita uero & in pudenda subdita sanguinis eruptiones sistunt, hypocisthidis succus aut acaciæ, triti cum manna in aceto. Mirificè uero auxiliatur spongia uino aut pice liquida imbuta ac apposita. Aut ustæ ipsius cinis cum acero aut posca appositus. Similiter etiam suberis ex Italico uase usti cinis. Forinsecus autem *Vteri nimia purgatio* *Suberis ex Italico uase cinis*

B imposita prosunt epithemata adstringentia, & cataplasmata ex palmulis ac malis cydonijs, in quæ addita sunt malicorium, ilicis glandes, rubi uirgulta, lentisci folia, balaustium, acacia, hypocisthis, gallæ parum, alumen. Maxime autem hoc. Glutinum maceratur in posca donec fuerit dissolutũ, deinde in robustum linteũ inducitur, & lumbis agglutinatur. Efficaciter quoque ad hoc faciunt emplastra glutinatoria, uelut est, Harmonia, Icesium, Athena, Melinum, Indicum, & similia. pessis autem utendum est ad sanguinis eruptionem his. Gallæ internam partem tritam, & thus, aqua dilue, ac appone. Aut flores mali punici dulcis similiter. Aut polygonum tritũ. Composito uero hoc. Aluminis scissi, gallarum internæ partis, succi acaciæ, mannæ, singulorum drach. IIII. ouorum assatorum uitellos quinque. Sicca teruntur succo plantaginis, & miscentur. Vsus autem tempore in pessum laneum excipiuntur, & in rosaceum tinguntur, ac apponuntur. Sed & cucurbitæ leues, magnæ, sæpe sub mammas appositę, abunde reuellunt. Insessus autem his quibus sanguis erumpit conueniunt hi. Iunci acuti capitulorum, myrti, rosarum, rhamni foliorum, rubi uirgultorum, singulorum æquales partes in aqua coquito, & insidere iubeto. Aliud. Corticis radicis mali punici dulcis, myrti, corticis cupressi, singulorum partes III. gallæ partem I coquito in aqua sufficiente. Cæterùm per clysterem uterifusorium plantaginis succum infundito, aut seridis, aut polygoni, aut solani, aut perdicij, aut psyllij, aut hypocisthidis, aut acaciæ. Indantur etiam hæc per lanam, aut digitum, aut specillum, aut pennam in longitudinem formatam, usque ad uteri osculum. Sed & Andronis pastillus per uterifusorium clysterem, cum aliquo ex prædictis succis, aut cum uino adstringente immissus, efficax est medicamentum. *Sanguinis ex utero eruptio*

De fluxu muliebri. Caput LXIII.

FLuxus muliebris est fluxio uteri, per quam totũ corpus expurgatur. Tali autem specie præditũ est id quod euacuatur, quale est id quod redun- *Fluxus muliebris*

dat. Aliud enim est rubicundum, uelut serosus sanguinis humor: aliud al- A
bum, à pituita: aliud pallidũ, ab amara bile: aliud aquosum. Si uero aliquan
do sanguis purus, uelut in uenæ sectione feratur, diligenter animaduertere
oportet, an'ne aliqua erosio facta est in utero. Notæ fluxus sumuntur, ex eo
quòd assidue loci humectantur, humoribus colore diuersis: & ex eo quòd
ægrota decolor est, alimentum nõ sentit, cibum auersatur, & in deambulan
do difficulter spirat, & tumidos oculos habet: & ex eo quòd aliquãdo cum
dolore, aliquando sine dolore fit, & aut cum ulceratione, aut citra ulceratio
nem, aut inflammatam, aut sordidam, aut puram. Proinde toti corpori opi-
tulari oportet, quum humida sit affectio, per siccantia citra manifestam cal
factionem, & per frictiones totius corporis, & per unctiones ex melle abun
de cocto. Danda sunt etiam urinam cientia medicamenta, uelut est aqua, in
qua asarum & apium sunt incocta. Euacuandum quoq; totum corpus per
aluum. Ad hæc portula comesta, & succus eius potus prodest. Item balau-
stiũ, rubi fructus & flos, quercus membrana illa quæ sub cortice trunci est,
& quę sub cortice ipsius glandis hippuris rubicundum maxime fluxum si-
stit pota ex aqua aut uino. Item hypocisthis, lentisci fructus torrefactus est
uino potus, simius aster, lemnium sigillum, coagulũ leporis, aut hœdi, aut
agni, aut uituli, aut cerui. Vinacea trita, myrti baccæ, uua acerba cisa, pi-
nus cortex, & quæ in sanguinis ab utero eruptione dicta sunt, quæ non ual-
de efficacia existunt. Quum uero cum dolore fertur, per uterisusorium aut
aluum clysterem, succum alicæ, aut ptisanæ, aut tragi, aut oryzæ infundito,
cum aliquo dolorem sedante medicamẽto. Et in exacerbationibus quidem
mitigatoria adhibeantur. In interuallis autem: per circuitus enim aliquan-
do affligit: ex alto euocare ac meatus transmutare oportet, per diuersas ge-
stationes, deambulationes, uociferationes, unctiones, cucurbitas, dropa-
ces partium superincumbentium, insolationes, frictiones, psilothra, sme-
gmata, sinapismos, uomitus à raphanis, uictum refectorium, balnea, ui-
num, uarium cibum.

De inflammatione uteri ac declinatione. Caput LXIIII.

Vteri inflam-matio INflammatio uteri fit ex pluribus causis. Nam & ex plaga, & mensium sup
pressione, & frigiditate, & inflatione. Non minus etiam ex abortu, & par-
tu, propter malam partus editionem. Sequitur ad uteri inflammationem fe
bris acuta, dolorq; capitis ac tendinis, & basis oculorum, iunctur.eq; ma-
nuum, ac digitorum: & colli detractio, & declinatio ad contraria, stomachi
per consensum affectio, osculi uteri conclusio, pulsus parui, densi. Etsi obtu
sa fuerit inflammatio, non uehementer uterum dolent. Si uero fortis, etiam
ipse totus pulsatorio modo dolet per totũ, si totus est inflammatus. Sin pars
inflammata fuerit, circa hanc magis dolor de se significationem præbet. Si
enim posteriores ipsius partes solum inflammatæ sunt, dolor circa lumbos
fit, & ster cora supprimuntur ex recti intestini compressione. Si anteriores,
dolor circa pectinẽ fit, & urinæ stillicidium ac emittendæ difficultas, ex ue-
sicæ compressione. At lateribus inflammatis, & inguina tenduntur, & cru-
ra grauantur. Si uero fundum ipsius inflammatum fuerit, circa umbilicum
dolor maxime consistit cum tumore. At si circa osculũ est inflammatio, cir-
ca superum uentrem dolet. & digito immisso durum ac renitens osculum
occurrit. In curatione igitur primum irrigatione ex uino & oleo, aut uino
& rosaceo utendum est, circa pectinem & lumbos, per hapsos lanæ purę, ci
tra deligationem. Cibi abstinentia indicitur usq; ad tertium diem. Post quã
tiena secunda est in cubito, similis prohibuerit. Nutriantur autem alica ex
aqua mulsa, aut pane, aut ouo sorbili alternis diebus. Post quintum diem
cataplasma imponatur ex polline, semine lini, fœnogræco, ex aqua mulsa,
Inflammatio in qua papaueris capita cocta i efecta sunt, & oleo. Si uero indignetur ad-
ignis sacri na- ueisus caliditates inflammatio, imponere ignis sacri naturam habens, ad meli-
turam habens. lotum in passo coctum ac tritum, adijce uitellos ouorum assatorum, cum
rosaceo,

A rosaceo, aut melino, aut crocino, & impone. Aut palmulas uino diluto feruefactas cum polentæ polline terito, addito aliquo ex relatis ungentis, & imponito. Declinatione uero contingente, ceratum nardinum aut cyprinū adhibeto. Per totam uero curationem etiam insessibus utendum est, ex decocto fœnigræci, aut seminis lini, maluæ, artemisię, & ex oleo. In his autem quæ ferre nequeunt calorē, ex aqua calida, affuso rosaceo. Pessi uero & infusa assumantur ex œsypo, butyro, medulla ceruina, adipe anserino, ungento susino, & cera Tyrrhenica. Verum quæ calorem sustinere possunt, in his etiam aureus appellatus pessus conueniet, & enneapharmacus. Quæ uero non sustinent, cum ouo, & rosaceo, & adipe anserino aut gallinaceo. Ad feruidiores autem inflammationes, emplastrum ex succis in duplici uase cum rosaceo liquefacito, & succū plantaginis, aut seridis, aut cichorij, aut intybi misceto. Aut hoc utitor. Adipis anserini aut suilli recētis drach. IIII. cerati rosacei aut susini sextantem, uitellorum ouorū assatorum unc. I. croci drach. I. myrrhæ obol. III. opij obol. II. aut pro opio, papaueris capitum decoctum. Si uero multus uexat dolor, succi papaueris magnitudinem fabæ, cum lacte muliebri, ac succo fœnigræci, apponendam præbe. Cæterū ad inflammationes cum duricia, emplastrum tetrapharmacum rosaceo dilutum apponito, aut infundito. Quin & declinationes uteri circa exacerbationes quidem, similiter uelut inflammationes curētur. Verum in remissionibus & mali declinatione, his quæ magis molliunt utendum est. In inueteratis autem, his quæ ex alto euocant, & meatus transmutant. Si uero extrinsecus duricia est, malagmatis utendum, eo quod ex meliloto paratur, & Mnasææ inscripto: & Icesij, & Melino Serapionis, aut pyrino emplastris. Victus ab initio quidem sit tenuis. Declinatione uero modica contingente, ad balneum ducantur, & pleniore cibo utantur. *Vteri declinationes*

De abscessu uteri. *Caput* LXV.

B SI inflammatio in abscessum mutatur, relata signa intendentur, insuperq; inordinatæ exacerbationes cum horrore ipsis fiunt, primis quidem temporibus intensæ, cum doloribus: perfecte uero suppuratione facta aliquantum remittūt. Verum circa ruptionis tempus, & dolores acriores sæpe punctorio modo irruere putantur, & febriculæ uehementiores uexant, & aliquando urina supprimitur, aliquando stercus, circa affectam uteri partē impedimento contingente: aliquando uero tumor circa pubem, & uelut fluctuatiōis sensus, ubi abscessus maior fuerit. Qui uero in expeditis locis est, etiam per diopram instrumentum immissum, aut per digitorum contactū depræhenditur, supra hoc quod etiam dolores uehementiores habent, propter osculi neruositatem: quemadmodum sanè in fundo abscessus, & in sinu, minorem dolorem inducit: & digitis quidem tumor non occurrit, osculum autem gracilius comparet. proinde quo citius suppuretur, auxilium ferendum est, per cataplasmata ex fœnogræco, semine lini, ordeacea aut triticea farina, ammixtis ficubus coctis, quandoq; etiam columbino fimo: Sed & insessibus inflammationi congruis assiduè utendum est, & pessis ex terebinthina, myrrha, œsypo, & butyro. Rupto autē abscessu, si quidem ad uesicam pus delatum fuerit, lactis potu utendum est, & cucumeris semen bibendum. Si uero ad intestinum rectum eruperit, lentis ac malicorij decocto colluatur per clysterem infuso. At si ad sinum ruptus fuerit abscessus, siquidem purum pus fuerit, rosaceum infundatur, aut oleum inalbatū, aut tetrapharmacum regium emplastrum, aut butyrum recens: si uero sanies tenuis graueolens feratur, uelut ab ulcere depascendo proserpente, adstringentius sit infusum, ex myrti baccis, palmulis, lenticula. Et post humorū excretionem si inflammatio permaneat, in cataplasmatis ac insessibus perseuerandū est. Cæterùm si circa uteri osculum abscessus fiat, & non rumpatur, postquàm tenues factæ fuerint partes puri incūbentes, ad puris excretionem per chirurgiam nos conuertemus, uelut in chirurgiæ tractatione dicetur. *Vteri abscessus* *Dioptra*

De ulceratione uteri. Caput LXVI.

Vteri exulceratio

VLceratur sæpe uterus, ob partus difficultatem, aut fœtus extractionem aut corruptionem, aut ab acribus medicamentis, aut à fluxione, aut ex abscessibus ruptis. Si igitur exposita fuerit ulceratio, per dioptræ usum deprehenditur. Si uero in profundo, ex his quæ excernuntur. Humor enim diuersus excernitur, inflammato quidem ulcere, paucus cruentus aut feculentus cum dolore: si uero sordidum est ulcus, copiosior, & sanies cum minore dolore: si uero depascendo proserpit, graueolens niger, cum uehementioribus doloribus, & alijs inflammationis signis, & irritatio ad laxatoria medicamenta, ad contraria uero, alleuatio. purum uero si est ulcus, humor paucus, æqualis, sine odore, crassus, albus, cum sensus facilitate. Si igitur inflammatum est ulcus, his quæ ad inflammationem relata sunt utendum est. Si uero sordidum, ptisanæ succus cum melle infundatur, aut tetrapharmacum emplastrum cum susino, aut aqua mulsa cocto in ipsa fœnograeco, aut malua, aut furfuribus, aut lente decorticata, aut quo magis repurgetur, marrubio, aut eruo. Aut ammixtam melli erui farinam, aut iridem, aut alumen rotundum, aut simile quiddam immittito. Hæc ipsa etiam forinsecus cataplasmatis modo imponũtur aqua mulsa subacta peculiarius autem prodest hoc medicamentum. Crocus optimus teritur cum lacte muliebri, deinde rosacco cerato exceptus cum adipe anserino illinitur lanæ tomento. Præstantius hoc est quod etiam ad dolores conducit. Capita papaueris in passo diluto macerantur ad triduum, deinde coquuntur donec flaccescant, postea teruntur cum foliorum rosarum drachmis V. croci drach. III. ammixto capitum papaueris decocto. deinde ceræ drach II. cum rosacco liquatæ affunduntur, & in pesso apponuntur illito ex rosaceo. Facit etiam id quod ex ouis, croco, rosaceo, adipe anserino, & medulla ceruina paratur. Et emplastrum Aegyptium absq; ærugine mirificè ad ulcerationes facit. Si uero ulcus depascendo proserpit cum inflammatione, imponatur panis purus maceratus cum aqua mulsa, oleo, althæa, fœnogræco, & palmulis pinguibus. Infundatur autem succus plantaginis, solani, polygoni, s ridis, primum per se, postea cum uino austero aut aceto. Si autem sine inflammatione nome depascitur, fortiora infundantur. uelut est decoctum malicori, rosarum, oleæ uirgultorum, cupressi, malorum cydoniorum, rubi, baccarũ myrti, lentisci, rhamni, rhois coriarij, ex uino adstringente. postea uero etiam decoctum aluminis, acaciæ, lycij, hypocisthidis. Ex ijsdem uero decoctis fit etiã insessus. Si non succedit medicamentum aridum ex charta immittito, primum cum posca, deinde cum aceto. Aut pulullum Antherum hoc est floridum appellatum. Aut chalcitidem, aut atramẽtum sutorium, cum ijsdem liquoribus Item ea quæ dysentericis conueniunt. Dato autem cibum boni succi modicum. puro autem facto ulcere, & lauato, & nutrito uariegatius, & uinum exhibeto, quo cato cito producatur. Pessi uice apponatur confectio ex moris, dissoluta cum cadmia, aut ladano, aut plumbagine. Forinsecus autem emplastrum cicatricem inducens, superno uentri ac coxis imponatur. Quemadmodum enim cataplasmatum, ita etiam emplastrorũ facultas, per occultos meatus penetrans transferetur.

Antherus pulullus

De cancro uteri. Cap. LXVII.

Cancer uteri

CAncri in utero partim cum ulceratione, partim sine ulcere consistunt. In his igitur qui sine ulcere sunt, tumor repetitur circa uteri osculum durus, inæqualis, præminens, colore feculentus, rubicundus, quandoq; etiam sublíuidus: & dolent uehementer circa inguina, & supernum uentrem, & pectinem ac lumbos: ægreq; ferunt contactum, & uariegatiorem medicationem. Si uero ulceratus est cancer, ad dolores, duricias, & tumorem, erosa etiam & inæqualia ulcera conspiciuntur, plerunq; quidem sordida, oris tumida, albicantia, turpes crustas inductas habentia: quæ uero pura uidẽtur, feculenta, liuida, rubicunda & cruenta apparent. Excernitur autem assiduè

ab ipso

A ab ipso fanies tenuis, aquofa, nigra, aut fulua graueolés. Aliquando etiam fanguis fertur, & alia figna ad inflammatum uterum relata. Affectio igitur ipfa incurabilis eft, uelut alicubi etiam Hippocrates dixit, mitigare tamen oportet per infeffus ex fœno græco & mala, & per cataplafmata fimilia. Valde autem mitigant in exacerbationibus malua aut althæa, in aqua mulfa flaccida facta, & cum modico rofaceo contrita ac impofita. Itemq; cataplafma ex caricis, meliloto, ruta, thure, bum/ade herba cum oleo diligenter contufa. Et cataplafma ex palmulis coctis in paffo, additis ouorum uitellis, & polenta. Aut cataplafma ex papauere cum coriandro, aut polygono, aut feride. Hæc quidem in doloris uexationibus. poftea uero ceratum adhibeatur ex rofaceo, aut myrteo, aut œnanthino, aut melino, cum palmulis in paffo coctis. Priuatim autem commodat id quod ex fece in æneis uafis, in quibus aqua coquitur, fubfidente paratur. Hæc enim fex infuper affata minutiffime teritur, & cerato rofaceo excipitur, ad emplaftri compagem redacta. Et hæc quidem forinfecus. Intrinfecus autem mitigat locos etiam oleū. Si uero ulcerati fuerint, etiam lac muliebre infufum, & fuccus plantaginis tepidus. Si uero cruentati fuerint, fuccus polygoni cum modico thure mitigat, & peffi ex croco, & mulicbri lacte, & fucco papaueris, & œfypo. Omnibus autem efficacius eft, etiam ad fedis affectiones hoc. Spumæ argenti Italicæ lotæ fexuncem, thuris mafculi, œfypi, adipis porcini recentis, butyri recentis, ceræ Tyrrhenicæ, fingulorum fextantem, rofacei trientem. Spumam argēti fetidis fucco tritam liquatis adijce. Cibi dentur boni fucci, qui facile concoqui ac diftribui poffint. Vinum fit modicum aquofum. Vitent acrium efum, & ciborum copiam. prompte enim in ipfis cibi corrūpuntur.

Cancri occulti incurabiles

De fcirrho & tumore duro. Cap. LXVIII.

IN fcirrhum induratur uterus, aliquando derepente nulla prægreffa caufa: plerunq; uero inflammatione prægreffa, & neq; foluta, neq; in abfceffum tranfmutata. Species fcirrhi eft etiam tumor durus, fcleroma appellatus, in collo uteri maxime confiftens, qui quidem tumor fimilis eft, minus autem renitens, cum moderato dolore. Confequitur etiam in his declinatio ad oppofita, eftq; tumor pro ratione affectionis uehementer renitens, cum grauitate & ægro motu, non folum crurum, fed etiam totius corporis, adeftq; ad actiones obeundas pigricia. Sequitur non probe curatas malus habitus aquofus. In principio itaq; uena fecetur, aut purgatio affumatur, per hieram Archigenis. Deinde cataplafmata ex caricis, hyffopo, nitro, & abfinthio. Et cucurbitæ cum fcarificatione. Malagmata uero polyarchium, & ex feminibus conftans, & ex lauri baccis paratum. Infeffus ex decocto caricarum, artemifiæ, pulegij, althææ. Peffi ex terebinthina, galbano, myrrha, iride, œfypo. Dropaces item, & aquarum naturalium nitrofarum ufus, itemq; bituminofarum. Viribus autem tolerantibus, etiam ucratri ufus.

Vteri fcirrhus

B *Scleroma uteri*

Peffus mollitorius.

Ceræ ponticæ, ungenti nardini, fingulorum quadrantem, irini, gleucini, cyprini, fingulorum fextantē, adipis urfini, anferini, butyri, œfypi, medullæ ceruinæ, terebinthinæ, fingulorum unc. I. Alius. Polij drach. II. myrrhæ drach. IIII. cum uino Mendefio trita, & irino fubacta apponenda præbeto. Alius. Ceræ Tyrrhenicæ, adipis uitulini, terebinthinæ, medullæ ceruinæ, mellis Attici, olei ueteris, fingulorum æquales portiones.

Medicamentum ex alto euocans, facit & ad inflationes. Vuæ paffæ albæ exemptis uinaceis quadrantem, rutæ uiridis foliorum fextantem, aquæ marinæ fefquiunciam, cumini drach. IIII. mellis quod fatis eft. Formatum autem inde peffum cyprino oleo intinge, ac appone. Sed & aureus peffus, & libanius, & enneapharmacus affectioni cōmodant. Magis uero propter (Titianus.

De mola. Cap. LXIX.

MOla quoq; in fcirrhum induratus eft tumor, aliquando circa ofculum uteri, aliquando circa totum ipfum comparens, tactu lapidis duriciam

Mola

referens, cum detractione partium supetincumbentium, & gracilitate, decoloratione, ciborum inappetentia, mensium suppressione, mammarū tumore, adeò ut conceptus suspicio in aliquibus ab initio fiat postea uero tēpore discernuntur. Quædam etiam aquæ inter cutē suspicionem de se exhibent, & hoc discernendum est, tum tumoris duricia, tum quòd non fiat sonitus digitis illisis, quemadmodum in hydropicis. In quibusdam autem re uera in hydropem transitio fit. Quandoq; etiam incurabilis ut plurimū fit affectio. Quibusdam etiam sanguis fertur. In communi igitur decubitus in domo parua & umbrosa ac tenebricosa conducit, quæ etiam moderate refrigeret, in lecto immobili, ita ut partes ad pedes habeant sublimiores, & in quiete. Nam motus omnem fluxionem prouocare potest. Et tumores quidem ac duricias, his quæ ad scirrhos & scleromata relata sunt curabimus. Verum aquæ inter cutem suffusiones, per ea quæ dicta sunt in tractatione de hydrope. Sanguinis autē eruptiones, uelut sanguinis eruptiones, & fluxum muliebrem. Quidam tradunt molam esse carnem informem, ad ipsas uteri tunicas consistentem, & quæ pariatur ueluti fœtus. Sed & hęc species laxatorio curationis ductu tractanda est, ut facilius excernatur.

Motus prouocat fluxiones

De inflatione uteri. Cap. LXX.

Vteri inflatio

INflatur uterus ex frigiditate, aut fœtus corruptione, aut partus difficultate, osculo occluso, aut sanguinis grumo in ipso obturato, quandoq; in cauitate spatij ipsius flatibus cōclusis, quandoq; in raritatibus corporis ipsius uteri. In his sequitur tumor pectinis, & ilium uentris, cum duricia & dolore punctorio, usq; ad septum transuersum, & stomachum, ac inguina perpungente & ad digitorum illisionem sonitus instar tympani oboritur. Curare igitur oportet primum uenæ sectione, si nihil impediat. Deinde circa exacerbationes, inedijs, & irrigationibus ex oleo rutaceo. Insessibusq; ex decoctio rutæ, pulegij, artemisiæ, casiæ, & similibus. Et cataplasmatis ex semine apij, cumini, fœniculi, anisi, ammij, & farina loliacea. Cucurbitis item leui bus, & cum scarificatione. Moram uero trahente affectione, purgatione utendum est ex picra, & hiera: & dropacismis ac sinapismis, & balneis naturalibus. Obstetrix autem digito prius pinguefacto immisso, incumbentem sanguinis grumum, si ita contingat ut adsit, educat leniter ipsum euoluens. Rursusq; cataplasma imponatur ex ficu, nitro, & absinthio. Epithemata uero sint mollitoria, polyarchium, & quod ex seminibus paratur, & quod ex lauri baccis. Pessi conueniunt ex ruta, melle, nitro, maxime uero hic. ficus pinguium contusorū drach. i. cumini drach. ii. aphronitri drach. i. Verum propter acrimoniā prius in lac tingatur. sed & mollitorij pessi cōmodi sunt.

B

De uteri strangulatione. Cap. LXXI.

Strangulatio uteri

STrangulatio uteri est recursus uteri, ad affectionem per consensum ducēs principalissimas partes, uelut sunt arteriæ carotides, cor, cerebri membranæ. Sequuntur in affectis accedente exacerbatione, mentis languor, pigritia, cutrum debilitas, faciei pallor, aspectus tristis. Instante autem suffocatione, sopor grauis, mentis emotio, instrumētorum sensuum apprehensio, cum uocis interceptione, crurum contractio. Deinde incipiunt ubere madere, & facies aliquantulum plena fit. Vbi uero remissura est, prodit humiditas quædam ex locis muliebribus ad contactum, & murmur quoddam intestinorum præcedit, & ipse paulatim laxatur uterus, atq; sic & mentem, & sensum recipiunt. Mouetur autem morbus secundum circuitum, uelut comitialis, repleto uidelicet utero aut seminaria, aut alia materia, aut putrefacta in ipso materia. Et mulræ quidem restitutæ sunt: quædam uero in exacerbationibus derepente perierunt, pulsibus quidem densis euadentibus, & inordinatè subtremiscentibus. deinde etiam ipsorum intercepti one sequente, modica autem humiditate instar roris in cute consistente. Verū respirationę primum obscura contingente, deinde penitus intercidente. Abundat hæc affectio hyeme & autumno, in iuuenculis salacibus, sterilibus, &

præsertim

A præſertim ſi per medicaméta ſteriles factæ fuerint, & alijs perfrigeratis. Itaque in exacerbationibus extremas partes deligare oportet, & tota crura, totumq; corpus confricare, & uelut eos qui in animi deliquium inciderint reuocare, & odoramenta graueolentia naribus admouere, uelut ſunt, fumi ex lucernarijs extinctus, caſtorium, pix liquida, cedria, lanæ & panniculi uſti. Quidam etiam matulam urinæ ueteris, aut egeſtionis alui naribus adhibuerunt. Cucurbitas quoq; affigere oportet ad inguina & imum uentrē, cum multa flamma, & leues, & cum ſcarificatione. Si uero prolongetur exacerbatio, etiam ea quæ flatus ducunt commoda ſunt, uelut collyria in anum ſubdita, quale eſt cuminum & nitrum cum melle. Sed & infuſo per clyſterem ſtercora ſubducere oportet, ut ne ſua appoſitione premant. In ipſum uero uterum odoratiſſima ungenta infuſa, detrahere ipſum ſolent, uelut eſt amaracinum, malabathrinum. Sed & ſinapi partim naribus adhibeatur, partim pedibus cataplaſmatis modo imponatur. Voce quoq; aſperiore quis inclamet, excitet, ac uocet ipſam. Sternutatoria etiam adhibeantur ex caſtorio, herba lanaria, pipere. Vbi uero remiſit exacerbatio, ad uomitū cogantur, & in cibi abſtinentia, aut omnino modico cibo conſeruentur. Poſt ſeptimum diem hiera ex colocynthide purgentur. Poſt tertium uero diem, cucurbitas affigere oportet lumbis, & laterum mollitudini. Deinde caſtorij potu uti, aliquando cum artemiſiæ decocto, aliquando cum aqua mulſa. In quibuſdam enim hoc etiam ſolum ad perfectam curationem ſatis fecit. Inſeſſus autem, & peſſi mollitorij aſſumantur. Atq; hæc quidem ad exacerbationes. Verum ad totius corporis reparationē, à uenæ ſectione initio facto, ad purgationem per hieram tranſire oportet. Deinde picram ex aloë dare drachmæ pondere, cum cyathis III, aquæ mulſæ, in aſſiduo uſu, aut ex interuallis drach. II. cum aquæ mulſæ cyath. VI. Vtendū etiam dropacismis, B & cucurbitis, & ſinapiſmis, & acopis ex euphorbio. Deinde exercitijs, frictione, & uociferationibus. Poſtea etiam aquarum naturalium balneis.

Collyria ſubditiua

Hieræ picræ ex aloë uſus

De uteri prolapſu. Cap. LXXII.

VTerus procidit rato quidem, uerum ob plures cauſas. Aut enim mulieri ex alto delapſa, & ad coxas delata, ruptis pelliculis quæ ipſum uiſcus continent: aut ob extractionem ſecundæ uterum ſimul attrahentis, & ipſi adnatæ, uelut in partus difficultate: aut ob inartificioſam fœtus extractionem: aut ob plagam: aut ob animæ affectiones, uelut liberorum amiſſione nunciata, aut hoſtium incurſu: aut ob periculoſam nauigationem, aut aliquā huiuſmodi cauſam, tota corporis miſcella exoluta, utero ſimul prolabente: aut ob reſolutionem & debilitatem partium, uelut inclinata maxime ætate contingit procidit autem os ipſius. Quidam uero totum ipſum procidere narrant, id quod probabile non eſt. Quomodo enim teductus fit mari poſſet? Oportet igitur euacuato primum per clyſterem ſtercore, & excreta urina, quo undiquaq; à compreſſione liber ſit uterus, ægrotam ſupinam collocare, altiores coxas habentem, & poplites incuruatos cum cruribus diductis. deinde accipere hapſum lanæ figura & craſſitudine ſinui muliebri reſpondentem, cumq; tenui linteolo circundare, & in ſuccum acaciæ intingere, aut in hypociſthidis ſuccum uino dilutum, & ad uterum apponere, & citra uiolentiam retrudere totum id quod procidit, donec tota moles ad ſinum redigatur, & foriſecus contegere pectinem ſpongia expreſſa in poſca, & decumbere facere hominem extentis ac coaptatis inter ſe cruribus, ita ut alterum alteri incumbat. Poſtea uero cucurbitæ affigantur cum plurima flamma, & ad umbilicum, & ad utranq; laterum mollitudinē. Odorata quoq; naribus adhibeantur olfacienda. Tertia uero die, incumbente in ſinu lanæ hapſo, inſideat mulier in uinum nigrum auſterum aliquantulū tepefactum, aut in myrti, lentiſci, ac malicorij decoctum. poſtea incumbens lanæ hapſus tollatur, & alius eodem medicamento imbutus indatur. Cataplaſmata extrinſecus imponantur ad imum uentrem, ex palmulis, polenta,

Vteri procidentia

aut lenticula & malicorio, cum aceto mulso: & per tertium diem rursus ea A dem fiant usque ad perfectam curationem. Si uero ubi per tempus mansit, pu trefactum fuerit id quod procidit, auferatur id citra omnis periculi formidi nē. Nam totū ablatū esse uterū putrefactū narrant, & tamē mulierē uixisse.

Vterus totus ablatus

De obturamento in utero. Cap. LXXIII.

Obturamentum uteri

Fit obturamentum circa uteri osculum, aut ob ulcerationem praegressam, aut ob inflammationem in scirrhum induratam. Curare uero oportet in sessibus emolliendo, ex aqua & oleo, & foenigraeci decocto: ita ut etiā simi lia cataplasmata imponamus, & pessos mollitorios adhibeamus. Si uero di uturna fiat affectio, subuaporationibus & suffimentis ex aromatis utendū est. Soluit obturamentum etiam passillus ex desypo, nitro, & resina terebin thina: ut quod nihil aliud sit quàm osculi uteri coarctatio.

Non concipientium curatio. Cap. LXXIIII.

Conceptionē adiuuantia

In communi quidem utrisque, & uiro & mulieri conuenit, ut totum corpus in bono temperamento conseruetur, per labores, ciborum, balneorū, & reliquorum omnium commoderationem: & quod maximum est, ut ne ne gligamus habitum pinguescentem. Neque enim idonei sunt pingues ad libe rorum generationem, tum quod pudendis non congruunt, tum quòd modi cum etiam semen emittunt: neque tamen etiam attenuati. Profuerint autem ipsis omnia calefacientia, & leniter inflantia, uinum igitur calidum mode ratè accipere oportet, & ex oleribus erucam, & horminum, & erysimum, & similia. Rutam autem & calaminthen prae omnibus uitare. Si uero ob uitiosum aliquem humorem conceptio non fiat, hunc expurgare, aut bono uictu contemperare. Priuatim uero mulieribus conuenit partium circa ute rum quàm maxime prouidentiam habere, & menstruam euacuationem ci tra impedimentum fieri. Vbi itaque prope adest purgatio, ciborum ac potuū moderationem quàm maxime procurare oportet, ita ut etiam aliquid ex ir ritantibus ad purgationem accipiat, qualia sunt odorata ac acria olera, ue B lut est scandix, crithmum, foeniculum, apium, smyrnium: uteri uero intēpe ries corrigere. Frigidiores itaque uteros indicat mensium suppressio, & uictus frigidior, ac crassi succi, & torpor oboriens circa pectinem, lumbos ac cru ra. Si uero perfectè perfrigeratae fuerint, neque Venerem appetunt. Oportet

Venerē non appetunt perfrigeratae

itaque ipsam tum alijs laboribus se exercere, tum omnibus fomentis, & his quae per suffitus fiunt uti, & calorem reuocare. Neque absonum est castorium bibere, & semina odorata, cumini, anisum, pulegij comam, & iuniperi fru ctum, piperē singulis ammixto. Ipsorum uero uterorum fomēta partim ua pores sint, insidentibus sellis perforatis, partim calida aqua affusa, in qua co cta sit saluia, artemisia, ruta, cyperus, pulegium, acorum, & odorata semina. Cataplasmata etiam ex his singulis pectini adhibeantur. Bonum est & po lyarchium epithema. frictiones item pectinis & coxarum nullo minus con ferunt. Vtendum etiam pessis subditijs, ex myrrha, ruta, galbano & casto rio, ubi prius fomentū aquae mulsae aut marinae adhibuit. Bonus est ad haec pessus qui gone, id est genitura appellatur. At uero calidiores uteros con iectare oportet ex toto corpore calidiore, & mensibus paucis, & cum dolo re, & quod exulcerant pudenda mulieris. Corrigere autē per moderate hu mectantia ac frigefacientia, qualia sunt ex oleribus lactucae, ac maluae, & blitum ac cucurbitae, & cucumis, & pepo, & atriplex, & portulaca, & alij consimiles cibi. Vesicae uero & supernò uentri, & lumbis adhibeantur fri gefactoria tum cataplasmata, tum succorum illitiones. Si uero ob humidi tatem uteri non concipiant, signum est quòd & humectantur circa coitus, & tenuiores ac multi deferuntur menses. Victus autem his cōuenit siccior, labores, frictiones partium supernarum, uomitus, siccitas & moderatio ci bi. Commodum fuerit etiam acerbis medicamentis uterum corroborare, qualia sunt lentisci decoctum, & myrtu baccarum, rosarum, rhois, floris ma li punici, rubi tenerorum uirgultorum, & gallae. Quod si siccior sit uterus,

per

A per contraria curetur, balnea dico, & unctiones, & cibos humectantes ac oleraceos, uinumque moderatum, & non ualde uetus. At si præ humoribus crassioribus conceptus impediatur, si quidem is mordax fuerit humor, purgare oportet mulierem, quemadmodum quisque humor peculiariter id exigit, maxime uero per picram ex aloë. Deinde serum lactis per clysterem immittere, & uictum commodiorem excogitare. Pituitosi uero humores laboribus, & sudorificis, & uomitubus, aut etiam inferne euacuandi sunt. Oportet & medicamentum hoc bibendum dare. Epithymi, euphorbii, piperis, seminis dauci & petroselini, omnia trita drachmarum duarum pondere exhibeto. Hoc & per uentrem probe ducit, & uterum calefacit, quemadmodum sæpe etiam menses his quæ nõ purgantur prodire fecit. postquàm uero correctio se declarauerit, mensibus probe prodeuntibus, tũc coire oportet desinente purgatione. Quandoquidem uero etiam flatus in utero prohibent conceptionem, signa quidem ipsorum ex his quæ de uteri inflatione dicta sunt accipere oportet. Curare autem primum uictu parciore. deinde cumino, & anetho, & apij semine, & ruta, & aniso exhibitis. Aromata item pleraque exhibeantur, partim ut bibantur, partim ut apponantur. Cæterũ con clusos uteros aperire oportet, odoratis decoctis affusis, & fomentis adhibitis ex malua, semine lini, fœnograeco, & oleo, quandoque etiam melle. Fortioribus uero, artemisia, conyza, calaminthæ, pulegio, & anthemide. in pessis uero utantur terebinthina, nitro, cucumere sylueſtri, elaterio, cassia, & picis fero. Quibus autem osculum uteri hiat, his uictus, & fomenta, & medicamenta ficciora ac adstringentia conueniunt, mali punici flores, lentiscus, rubi radices, myrti baccæ, & quæ in humidiore commodant. Distortiones autem uteri fomentis dirigere oportet, & mollientibus pessis subditis. Porrò coitus cum muliere auersa, etiam ad conceptionem conferre uidetur. *Coitus tempus ad conceptionem* *Coitus cum auersa*

De fissuris, condylomatis, ac hæmorrhoidibus uteri. Cap. LXXV.

B Circa uteri osculum fissuræ fiunt ex uiolentis partubus, & primum quidem latent, dum recentes adhuc sunt ex partu dolores. postea uero paulatim percipiuntur, aliquando ad manuum contactus, aliquando etiam in coitu, quando etiam cruentæ fiunt propter confrictionem. deprehenduntur autem sinu diducto. Nam ruptiones in ambitu osculi conspiciuntur. In quibus chirurgia & mordentibus medicamentis reiectis, simplicioribus insessibus & pessis uti oportet. Cõuenit etiam emplastrum tetrapharmacum dilutum. Si uero callosa fuerit fissura, medicamento ex charta usta utendum est, cum rosaceo. Quòd si uim ipsius non ferant, iridem illyricam terebinthina exceptam indito. Vlceribus autem ad cicatricem perductis, conuenerit id quod ex cadmia constat, aut aliquod sedi destinatum, ueluti est id quod ex spuma argenti paratur. Quandoquidem uero contingit fissuras diuturnas in condylomata mutari, per consimilia callus adimatur, & condylomatum eminentiæ ad cicatricem perducantur. Hæmorrhoides autem fiũt circa osculum aut collum uteri, & per dioptram instrumentum deprehenduntur, ex eo quòd eminentia apparet circa exacerbationes dolorosa, cruenta, & rubicunda. In interuallis autem rugosa, doloris exors, subliuida, ac stillans. In his igitur si fieri potest, in interuallis excisione utendum est in uolsella prehensis. Sin minus, per medicamẽta saltem ipsas constringere oportet, ita ut aliquando mali corio sicco cum galla, aut tali quopiã attingamus: aliquando in his quæ in eruptione sanguinis ex utero relata sunt utamur, quæ etiam his quibus ob debilitatem sanguis erumpit, conueniunt, quæ cognoscuntur ex eo maxime quòd uterus assidue cruorem remittit ex interuallis, & non solum menstruæ purgationis tempore. *Fissuræ uteri* *Condylomata uteri* *Hæmorrhoides uteri*

De difficili partu. Cap. LXXVI.

Difficultas pariendi fit aut circa parientem, aut circa fœtum, aut circa secundam, aut propter externa. Circa parientem quidem, aut crassam, aut obesam, aut quæ totum uterum paruum habet, aut dolorum partus expers *Pariendi difficultas*

est, aut tumida, aut inflammationem circa uterum habet, uel in alia parte, A
aut quomodocunque aliás ægrotat, aut naturaliter debilis est, & extrudere nõ potest, aut non ante tempus parit. Circa fœtum uero, qui aut nimis magnus est, aut paruus, & parũ grauis, aut magni capitis, aut monstrosus, uelut biceps, aut mortuus, aut uiuus quidem, uerum debilis, & qui extra prodire nõ possit. Aut quod plures sint fœtus. Quinque enim uisos prodidit Herophilus aut quòd figuram habeat præter naturam. Nam figura secundum naturam fœtibus est, prima quidem in caput, manibus ad fœmora extensis, ita ut è directo osculi uteri, caput nullatenus inclinatum habeat. Secunda ab hac in pedes citra inclinationẽ. Quæ uero præter has sunt figuræ, omnes præter naturam sunt. Circa secundam autem, quæ aut non auellitur, propter crassitudinem, aut etiam antea quàm oportet auellitur, propter tenuitatem. Euacuato enim humore, fœtus præ siccitate ægre deuoluitur, propter externa uero, si aut frigiditas densauit, aut immoderata caliditas uires exoluit, aut etiã fortuita aliqua re allapsa. Si igitur ob coarctationem aut uelut obturationẽ fœtus, difficultas pariendi fiat, primum coadiuuare oportet per laxationẽ, infundendo assidue oleũ calidum, cum decocto fœnigræci, aut maluæ, aut seminis lini, aut etiam cum ouis, mitigationis gratia. deinde cataplasma in ponere pubi, superno uentri ac lumbis, ex semine lini cum aqua mulsa, aut aqua & oleo, & insessibus similibus uti. Sed & ex balneis assumere laxationes, si non febris, aut alia aliqua causa impediat, & patientem per lecticam mouere in aëre moderatè calido. Quidam etiam concussiones fortes adhibuerunt, & sternutatoria admouerunt. Et quæ quidem timida est, impellatur. Quæ uero inexperta est dolorum partus, persuadeatur, ut maxime fortiter spiritum contineat, & ad laterum mollitudines compellat. Quæ uero animi deliquium incidit, odoramentis non offendentibus resocillctur. Alleuata autem modiocriter, modico cibo nutriatur. At uero quæ obesa est, in lecto prona figuretur, genibus ad fœmora inclinatis, quo uterus ad abdomen delatus è directo osculi sit. per digitos autem ceratis aut pinguedine osculum illinatur, & leniter diducatur. Etsi qua affectio fuerit circa partes, etiam huic prospiciatur. & stercus cõtentum per molle infusum per clysterem eijciatur. & secunda aperta diuimatur, aut digitis, aut scalpello inter ipsos occultato, præcedente sinistra manu. & aliquis pinguis humor per clysterem in uteri capacitatem immittatur. Si uero præter naturam figuratus est fœtus, naturalis figura restituatur, partim impellendo, partim deducendo, partim flectendo, partim dirigendo. Etsi quidem manũ aut pedem præmiserit, non hac parte appræhensus extrahatur. Magis enim obturatur, aut exarticulatur, aut etiam abrumpitur uerum digitis humero iniectis, aut coxæ ipsius fœtus, pars præmissa ad cõuenientem locum retrudatur. Et si unà cum obturatione, totius fœtus figura euariet, prius ipse ab uteri osculo in sublime retrudatur. deinde appræhensus rursus ad osculum dirigatur. Si uero plures uno fœtus deferantur, rursus sursum ac deorsum dirigantur, omniaque fiant sensim ac leniter circa compressionẽ oleo locis affuso. Tempus autem desessus in sellam est quum osculum uteri apertum digito occurrerit, & præruptio promineret. Quod si uero nõ prodierit, eo quòd mortuus est fœtus, aut ob aliam causam, ad fœtus extractionem progrediendũ est. B

Quinque fœtus simul in utero

De coxendicum morbo. Cap. LXXVII.

Articularis morbus Coxendicum morbus

QVum articularis morbi generis sit coxendicũ morbus, in eo solo differt ab eo, quòd causa ipsius circa coxam firmatur. Causa uero huius est crassus ac pituitosus humor coarticulationi circa coxam impactus. Dolor autem ipsius est à locis circa nates & inguina, usque ad genua. In plerisque uero usque ad summum pedem pertingit. Ab initio igitur ægro oblato, post stercorum per clysterem euacuationem, uenæ sectionem à cubito assumimus cum repetita detractione. Si uero post tempus æger nobis obtigerit, à malleolo circa crus affectum detractionem faciemus. Et circa exacerbationes

A bationes hac irrigatione utendũ est. Cyprini cyath. VIII. aceti cyath. IIII.
nitri cyath. II. seminis rosmarini cyath. I. per lanas succidas calida hęc adhi
bentur. Post hanc cataplasma imponatur ex lupinorum amarorum farina,
cum aceto mulso: aut ex loliacea farina cum resina, & cucumeris syluestris
radice, & nitro, & calamintha, & rosmarini semine, & lauri baccis. Sed &
sola calamintha utiliter imponitur cũ aceto mulso, aut aqua mulsa. Empla-
stro uero mitigatorio utendum est hoc. Ceræ drach. C. terebinthinæ drach.
XXV. æruginis drach. VI. myrrhæ, galbani, iridis, singulorum drach. VI. ce
driæ drach. V. præbibendus detur succus cyrenaicus erui magnitudine, aut
castorij drach. I. cum opopanacis obol. III. Radicis autem capparis cortex
potus, & cataplasmatis ammixtus prodest. Si uero multus est dolor, etiam
dolorem eximentia medicamenta locum habent. Velut est antidotus Phi-
lonis, & quę ex duobus piperis generibus constat. Infusum uero hoc immit
tatur. Mellis sesquicyathus, olei sesquicyathus, aquæ cyath. II. nitri drach.
VIII. terebinthinæ drach. IIII. His calidis infusis, insuper fomentũ ano ad-
hibeatur, quo longiore tempore retineatur. Euacuat mucosa, quandoque
etiam sanguinem, quando etiam plus prodest. Si uero perseuerauerit affe-
ctio, quod tamen raro contingit, rursus ipso utendum est frequentius, pro
aqua centaurij decocto ammixto. Sanguinem euacuat etiam Thlaspeos se-
men infusum, & elaterij succus, & quod ex ipso, aut ex radicibus ipsius cõ-
ponitur oleum sicyonium: & salsorum piscium muria, & oliuarum colym-
Sicyonium oleum
badum muria recte infundi potest. Cucurbitis etiam ad coxam, cum multa
flamma & scarificatione utendum est. Aliquando etiam hirudinibus. perse-
uerante autem affectione, ad purgationẽ procedendum est, aut per hieram,
aut per colocynthidem, ita ut medullæ ipsius probe tritæ drachmæ pondus
detur, in aquæ mulsæ cyathis plus minus duobus, pro uiribus ægri, & pro-
B ut aluo bene affectus est. Sit autẽ ruta in aqua mulsa cocta. Probe etiam hos
expurgat puls ex colocynthide. In quibusdam etiã uomitus à raphanis ab
initio profuerunt. In interuallis autem dropax adhibeatur, & acopa ex eu-
phorbio, præsertim id quod uarium appellatur. Balnea uero naturalia his
commoda sunt. Si uero nõ adsint, in alijs saltem loti, relatis acopis utantur,
& compositis his, tum Asclepio appellato, tum hoc, quod ex euphorbij, a-
darces, ueratri nigri, castorij, pyrethri, piperis, staphidis syluestris, singulo-
rum æqualibus partibus paratur. Post balneum picis aridæ quadrans, sul-
phuris uiui sextans, calido adhuc corpori inspergatur, ipsumq; charta inte-
gatur. Si uero neq; hæc profuerint, aut reliquijs morbi restantibus, bonum
est etiam sinapi cum caricis impositum, aut etiam per se. perfecte uero ipsos
restituit Iberidis herbæ usus, quam sane etiam lepidium, aliqui uero sylue-
Iberidis herbæ usus
stre nasturtium appellant. Quæ uero apud nos nascitur fruticosa, folijs lau-
ri similibus, & multò maioribus, multam de se experientiam dedit, non so-
lum in coxendicum, sed etiam alijs diuturnis morbis. Aestate autem multò
efficacior est. Si uero etiam folia tunc quum expetitur, non produxerit, ra-
dicis ipsius corticem contundere oportet cum adipe suillo, ad emplastri for
mam, deinde in linteum densum infarcta, dolentibus maxime locis impo-
nere, aut circa totas nates & fœmur, & sinere donec nigrescat, aut omnino
liuida fiat summa cuticula: postea ipsum auferre, & loto hoc ceratum impo
nere. Opopanacis trientẽ, in aceti cyathis duobus dissoluito, & ceratro cy-
prino excipito. Quod si recusent talium urentium usum, emplastris malum
extirpantibus utendum est, quorum de numero & hoc est. Ceræ, resinæ, pi-
nus, singulorum drach. XII. terebinthinæ, fimi columbarum syluestrium,
fecis uini ustæ recẽtis, singulorum drach. VI. galbani sesquidrachmam. Est
Annui usus medicamẽta
etiam de extirpantibus emplastrum leæna appellatum. cõmoda sunt quoq;
ea quæ ex lixiuio ac nitro parantur. Quin & potionibus quę ad annum bi-
Medicamẽtum quatuor rebus constans
buntur quidam usi sunt, ex quibus est & ea quæ ex quatuor rebus constat,
chamædryos libra una, gentianæ dodrante, aristolochiæ rotũdæ dodrante,

semi-

seminis rutæ sicci sextario uno. Hęc contusa & cribrata quotidie dare opor A
tet cochlearij mensura, ieiuno & concoctione probe facta, cum aquæ frigi-
dæ cyathis duobus, ad annum donec morbus sedetur. Medicamentū quo-
que ex septem rebus compositum, & quod proclo adscriptum est, idem pro
mittunt. Exercitia fiant per deambulationes, & per assiduos flexus, saltus
ac cursus. Cibus sit attenuans moderate & concoctu facilis. Si uero nulli ex
relatis cedat coxendicum morbus, quandoq; ad suppurationem uertitur,
quandoque laxatis neruis colligantibus, coxa ex articulo luxatur. Oportet
itaque diuturna facta affectione, articulum urere tribus aut quatuor locis,
uelut in chirurgiæ tractatione referetur, & ulcera ad plures dies conserua-
re, ut ne cicatrix inducatur.

De podagra, & morbo articulari, arthritide dicto. Cap. LXXVIII.

NOn sola partium debilitas podagricam & arthriticam affectionem effi-
cit: alioqui exacerbationes indesinentes esse oporteret, in quantum e-
tiam debilitas semper inest articulis debilibus: neq; humor solus: non enim
in articulos solos irrueret affectio: uerum ambo, & humor præter naturam,
& partium debilitas, morbum efficiunt. Quum enim nutritoria partium fa
cultas debilis fuerit ob ciborum repletionem, consequenter cruditates ob-
oriuntur, & redundans humor in quamcunq; tandem coarticulationē iam
Nerui colli-gantes antea debilem irruens, & neruos colligantes distendens, dolorem efficit.
Neq; enim neruorum qui uoluntario motu mouētur, primario affectio tum
Nerui motus uoluntarij est inflammatio: alioqui in locis inter coarticulationes medijs itidē ipsam
fieri oporteret, uelut in tibijs medijs, aut fœmoribus, aut cubitis, aut bra-
chijs. per consensum igitur afficiuntur etiam uoluntarij motus nerui. Quan
Podagra Arthritis diu igitur pedum coarticulationes solum humor infestat, podagra affectio
appellatur. Vbi uero causa omnes corporis articulos pertrāsiuit, arthritidē
appellare solent in qua & uerticula, & scapulæ, & maxillæ, & omnes arti-
culi morbo feriuntur. Quibusdam etiam aures, & dentes, & fauces, & quan B
doq; etiam hepar & splen, articularibus doloribus participant. In quibus si
non breui ad articulos translatio fiat, periculum in modico tempore ægro-
tos corripit. Cæterum redundans humor, quandoq; biliosus, quandoque
sanguineus, aliquando atrabiliarius, plerunq; uero pituitosus & crudus est,
ex ciborum redundantia, cruditatibusq; ac ocio collectus. Moram aūt tra-
hens circa articulos crassescit ac uiscosior euadit, ut etiam tofos appellatos
Tofi in arti-culis efficiat. Aliquando uero etiam humor ex pluribus mixtus est. Quare fit ut
& cognitu & curatu difficilis, & ferè incurabilis sit morbus. Auspicatur au
tem & lacessit affectionem plerunq; lassitudo immodica, & deambulatio-
nes concitatæ, & equitatio frequens, & rei Venereæ intempestiuus usus,
frigidæ potus non consuetus, frigidorum aut multorum aut malorum edu-
liorum esus, uinum multum: sed & ex offensionibus, aut impulsionibus, aut
luxationibus, aut alijs huiusmodi, quidam primum affectionis experimen-
tum fecerunt, præcedente quidem in corpore, & hactenus quiescente mate
ria, externa autem lacessente causa ipsam commouente. Tristitiæ autem &
curæ, & uigiliæ, ac reliquæ affectiones, nō solum cōmouent, sed etiam ipsæ
generant, siue primario, siue per accidens, uitiosos humores. Variæ igitur
sunt uelut dixi affectionis causæ. Facilime tamen quantum eius fieri potest,
affligentium humorum differentiæ deprehenduntur, utpote quarum notæ
Humorum notæ ex coloribus ac symptomatis accidentibus sumuntur. Biliosa enim fluxio
ad coloris pallorem ac ruborem, etiam caloris sensum, & dolorem acutiorē
efficit, & cito per cutem distribuitur, citra magnum tumorem, & calefaci-
entibus impositis exacerbatur, quemadmodū uice uersa à frigefacientibus
remittit. Atq; hoc quidem etiam in alijs omnibus plerunq;, maxime tamen
ex bilioso affectis humore contingit. Et febris ipsis accedit sæpe in exacer-
bationum uigoribus, quando etiam siticulosi sunt. Sic autem & nigriorem
in atrabiliarijs reperies colorem. Album autem & aquosum in pituitosis.
In quibus

A In quibus autem ſanguineus eſt redundans humor, in his & dolorem intus deliteſcentem, & tardius in tumorem ſe attollentem, uelut etiam ſanguineũ colorem depræhendes. Ad firmiorem uero dignotionẽ conferet tibi etiam prægreſſa uictus ratio, & reliqua.

Curatio eorum qui ex billioſi humoris fluxione laborant.

Principium curationis in his qui ex flaua bile, aut potius ex qualitate affecti ſunt, affligentis humoris ſit euacuatio, per purgantia medicamenta, quale eſt maxime quod ex rhodomelite paratur, & quod ex malis cydonijs & quod ex picra antidoto, & catapotia ex aloë. In exacerbationibus autẽ forinſecus roſaceo utemur, cum oui uitello, ac uino modico, confricta inſuper leniter parte. Sed & frigefacientes herbas adhibemus, uelut eſt ſolanũ, portulaca, hyoſcyamus, ſemperuiuũ, lenticula paluſtris, ſeris, papauer, polygonum, roſarum folia, & ſimilia: ita ut aliquando ipſa illinamus, aliquando cum micis panis poſca maceratis, aut cum ordeacea farina, ac roſaceo cataplaſmatis modo imponamus. At in inflammatione articulorum ignem ſacrum referente, manifeſte mitigat cucurbitæ recentis cortex impoſitus, & peponis ac cucumeris caro, per ſe, & cum pane: & perdicij folia, itemq; hederæ, cum pane aut polline polentæ. Sed & pſyllium cum ordeacea farina coctum feruidas inflammationes mirificè mitigat. Similiter & roſaceũ ceratum cum aliquo perfrigerante ſucco frigefactum: & quod ex fabacea farina paratur. Habet autem hoc modo. Ceræ quincuncem, chamæmelini ſextantem & unc. s. roſacei ſextantem & unc. s. farinæ fabaceæ unc. s. ouorum v. uitellos.

Aliud cataplaſma. Maluas uirides coctas terito, & pſyllium priuatim uiſcoſum factum ammiſceto. Deinde uitellis ouorũ additis, cum oleo chamemelino imponito. Si uero multus & ægrè tolerabilis eſt dolor, etiam ex croco, & glaucio, ac opio paratis utendũ eſt, ita ut cum poſca ipſa teramus,
B & aut illinamus, aut cum micis panis imponamus. Galenus autem huius meminit. Succi papaueris drach. IIII. croci drach. I. cum lacte bubulo aut caprino terito, aut panis internam partem adijcito, & ex contactu roſacei emollito, ac pro cataplaſmate utitor. Aut opium & crocum cum lacte tritũ, cerato roſaceo excipito. Sed & ex torpedine ceratum eiuſdem facultatis eſt in exacerbationibus, & oleum ex ipſa. Quin & hoc conſimile eſt. Micarũ panis aqua aut poſca maceratatum, ſempetuiui, aut ſolani, aut portulacæ, carnium palmularum, ſeminis papaueris, ſingulorum pares partes, uitellorum ouorum aſſatorum, & roſacei quod ſatis eſt, pro cataplaſmate imponito. Verum ſtupefacientibus immorari non oportet, ſed eò uſq; ſolum ut doloris uehementia moderatior fiat. Nam uberior ipſorum uſus, & humorũ compactiones, & tofos, & diuturnas motus difficultates efficit. Poſt uſum igitur eorum quæ dolorem eximunt, aut emplaſtro ex ſuccis cum chamæmelino diſſoluto utendum eſt, aut eo quod ex althęa paratur, aut aliquo huiuſmodi medicamento. Poſtquàm autẽ recalfacta fuerint perfrigerata, partem corroborabimus emplaſtro phœnicino, aceto & roſaceo, aut uino ac roſaceo diſſoluto. Si uero grauentur emplaſtris, acaciæ ſuccus cum poſca illinatur, aut lyciũ cum croco, & glaucio, & perdiciadis ſucco in poſca. At uero uictum ipſorum perfrigerantem & humectantem eſſe conuenit, quales ſunt ex ptiſana & alica ſorbitiones: & ex oleribus malua, lactuca, intybus: & gallinarum domeſticarum pulli: & piſces petroſi, & erinacei, & pectines, & ſimilia. Vitent omnia calefacientia, & quæ pallidam ac flauam bilem generant, & uina uetera, fulua ac nigra, & repletionem. Vtantur etiam balneis potabilium aquarum, & circa ipſas fluxiones, quantum ad cauſam attinet, & abſq; illis, ſi nõ aliud quid prohibeat. Vitent iracundiam, ciborũ abſtinentiã, acriũ eduliorũ eſum, ebrietatẽ, laſſitudinẽ immodicã, Venerẽ.

Torpedinis ceratum

Stupefacientiũ uſus noxius

Curatio eorum qui ex ſanguinei humoris fluxione laborant.

In quibus ſanguineus humor redundat, uenæ ſectione utendum eſt citra

dilationem. Imò etiam in pituitosioribus aut atrabiliarijs, quandoquidem A
& his humor in uenis quàm maxime continetur, quantitate magis quàm
qualitate lædens. Venæ igitur sectionẽ assumimus statim circa primã mor-
bi tentationem. Nam quos sæpe iam fluxio præoccupauit, illi læduntur ma
gis ex sanguinis euacuatione, quàm ut opem sentiant, & magis hi quibus
ex natura frigidius aut etiam debilius est corpus. Post sanguinis euacuatio
nem, si non solum sanguis est qui redundat, modico tempore interposito,
etiam purgatione ex hiera utemur. Sed & acetũ mulsum Iulianium ex his
est quæ hos conuenienter purgant. Qui uero talia purgatoria medicamen
Catapotia purgatoria ta recusant, his catapotijs utantur. Aloës, colocynthidis, ueratri nigri, scam
moniæ singulorum unc. I. euphorbij unc. S. nitri unc. S. excipe succo brassi
cæ, & præbe pro uiribus. Melius autem in malorum cydoniorum succo.

Aliud catapotium. datur & in exacerbationibus, & in interuallis, & in
omni humore in podagricis. Aloës sexuncem, agarici unc. S. croci unc. S.
costi unc. I. spicę nardi unc. I. floris iunci odorati unc. I. carpobalsami unc.
I. cassiæ sextantem, scammoniæ sextantem, epithymi quadrantẽ & unc. S.
Dosis moderata est scrupulorum II. perfecta IIII. Quin & ex armeniaco
lapide catapotia mirificè purgant, priuatim in arthriticis cõuenientia, tum
in principijs, tum in declinationibus fluxionũ, atq; etiam in interuallis da-
Scammoniæ fuga ta. Quandoquidem uero quidam scammoniam uelut stomacho incommo
dam fugiunt, danda sunt ipsis, & præsertim si pituitosa materia redundat,
hæc catapotia. Colocynthidis medullę, ueratri nigri, bdellij, gummi, aloës,
singulorum unc. I. nitri Alexandrini, euphorbij, singulorum unc. S. dantur
scrupuli IIII. Ego uero pro gummi, epithymũ adieci. Quidam uero in ipsis
Hermodactylus stomacho incommodus exacerbationibus, in omnibus arthriticis, purgatione ex hermodactylo u-
tuntur. Verum attendendum est, quia stomacho incommodus est hermo-
dactylus, & anxios ac ciborum inappetentes facit. In solis igitur his qui ne
gocijs quæ differri non possunt urgentur, ipso utendum est. Compendiò e- B
nim & post duos ut plurimum dies sedat fluxionẽ, ut quis ad consuetas fun
ctiones obeundas transire possit. Noui autem quendam qui non ipsam Her
modactyli substantiam exhibet, neq; aliquod medicamentum ex ipso com-
positum, sed herbam ipsam coquit, cum aliquo ex consuetis pharmacis, ue-
lut aniso, aut apio, & decoctum bibendum præbet. Et mirum est quomodo
per uentrem euacuati à fluxione liberãtur. Oportet autem propterea quòd
stomacho incommodus est, uelut dixi, postea stomacho gratis & corrobo-
rantibus, cum moderata caliditate, osculum uentris corrigere. Cæterũ Ale
Alexander medicus xander purgationem ex coronopodio, meliorem esse dicit ea quæ fit ex her
modactylo, ut quæ eandem euacuationem & doloris sedationem efficiat,
cum hoc quòd neq; stomacho incõmoda est. At uero localia pituitosis adhi
beantur, si quidem moderatus est dolor, brassica uiridis imposita, & apium,
& conyza, & uerbenaca recta. Si uero uehementer dolent, farinæ fœnigræ-
ci partes III. farinæ lolij partem I. farinæ cicerum partem I. cataplasmatis
modo imponito cum aqua mulsa, aut uino tenui, cum modico cyprino, aut
nardino, & maxime hyeme. Cinis item radicis & caulium brassicarũ usto-
rum, cum axungia impositus multis prodest. Verum ad mitigandum dolo-
Axungiæ uires rem, recentem axungiam esse oportet: ad discutiendum uero ueterem sal-
sam. Facit & bubulum stercus cum farina ordeacea, in aqua mulsa coctum:
aut per seipsum recens humidum impositum, cum brassicæ folijs. Similiter
etiam caprinum stercus per se, aut cum farina ordeacea, ex posca coctum.
Quandoquidem uero & ex his quæ contraria esse uidentur quidam opem
senserunt: uariorum enim humorum mixtura dignotionem excindit: mate-
riam mixtam referemus. Prodest itaque syluestris & hortensis atriplex cum
pane imposita. Aut uerbasci folia cum bulbis & pane trita, aut cum polen-
Causa obscura quid faciendũ. ta. Aut ex cruda ordeacea farina cataplasma. In summa uerò, in quibus est
obscura causa, transitionẽ facere oportet, quandoq; a[...]a quæ sunt eiusdem
generis

A generis, aliquando etiam ad contraria, ita ut neque iisdem immoremur, si nō mitigationem exhibeant. Hæc enim quotidie in ipsis artis operibus uidemus fieri, & idem auxilium huic quidem articulo prodest, alteri uero in eodem ægroto similiter inflammato, non solum non prodest, eadem etiam hora, sed quandoque etiam insuper lædit. Et quod sane mirum est, unus & idem articulus sæpe ab eodem auxilio, nunc quidem utilitatem percepit, paulò post autem etiam insuper inflammatus est. Non igitur aliquando forrassis, ubi quidem uiscosa & crassa materia obtinet, ex calidioribus opem sentiunt: ubi uero acris ac feruida humoris qualitas obtinet, frigefacientibus mitigatur. Et nihil miri est etiam frigidiore natura materiam, inflammationis tempore exardescere ac feruere, ut bilis si ita contingat, ammixtione omittam. At uero toforum coactionem prohibet farina lupini cum aceto mulso aut posca. Aut silphii, aut bryoniæ radix cum pane. Sed & hoc ex his est quæ citra læsionem mitigant, simulque moderatè discutiunt. Lycii unc. I. ammoniaci thymiamatis unc. I. cum uino uetustissimo trita & oleo acerbo coquito, & farinæ fabaceæ quod satis adiecto, & moderate cocta imponito. Post uigores autem tumore relicto, imponantur bulbi per se, aut eum polentæ pollîne, usque ad lancinationem. Ita enim operari solent. Si uero cataplasmatis non mitigentur, irrigationibus & perfusionibus utantur ad locos, maxime si extremæ partes fuerint, ex chamæmeli & meliloti, aut etiam centaurii decoctis. Quosdam etiam capparis decoctum multum iuuit. Hoc autem omnium efficacissimum est. In aceto acerrimo Thymum, origanum, Thymbram & calaminthan coquito, indeque locos affectos perfundito, nō solum semel, sed sæpe in die confidenter, multis profuit non solum ex pituita, sed etiam bile affectis. Quidam & hoc obseruarunt. Ilicis glandes tundunt, & diu coquunt, & decocto hoc extremas articulorum partes in fluxionis principio, ad multum tempus irrigant, interiores autem partes spongiis persun-

B dunt, & statim materiæ impetum repellunt. Hoc etiam ex bile affectis conuenit: quemadmodū etiam in aquam calidam absque aliquo decocto demersio. Cæterum ad dolores, & impactos articulis humores, ob intentam frigiditatem obortos, forte est hoc auxiliū. Olei ueteris libram I S. nitri Alexandrini lib. I. terebinthinæ lib. I. euphorbii unc. I. iridis sextantem, farinæ fœnigræci sextar. I S. His uero etiam conueniunt quæ ad coxendicum morbū relata sunt. Multi enim ex ita perfrigeratis, in declinationibus & sinapi cū caricis usi sunt, & aliis rubefactoriis. Quidam etiam medicamento ex cantharide. Verum hæc lædunt in posterum, si non aliquo ex mollientibus usi fuerint, uelut est quod ex herba lanaria paratur, & quod pyxis, & quod Basilii appellatur. Et quod ex abiete fit, & quod ex populo nigra, & Bromiū, & lysiponium appellatum, & ex acopis fortiora: In quibus etiam maxime neruorum per consensum affectiones & humorum impactiones fiunt. Emplastrum uero ex mulsæ urina, etiam in uigoribus impositum, frigidioribus præsertim fluxionibus commodum est. Similiter & ex duobus ueratri generibus pastillus. Porrò ad laxos tumores conuenit fomentum quidem ex sale fricto, aut etiam alio modo aquæ marinæ calidæ per spongias perfusio aut irrigatio: & emplastra ex sale parata, item ex lixiuio, & ex nitro emplastra, & consimilia his cataplasmata post uigores. Victus autem siccior, & nihil superfluitatum habens his conuenit, & ciborum abstinentia, aut parsimonia, & balneorum assiduorum abstinentia. Loti uero, nitris & aliis defrictoriis utantur. In declinationibus autem exercitiis & frictionibus articulorū maxime utātur, & naturalibus balneis, aut etiam arenæ ingestione, uomitibusque a raphanis ac cibis. Qui uero ad hoc idonei sunt, etiam per uteratrum albū euacuentur per uomitus, aut etiam per infernam aluū purgētur.

Tofos cōcresce re prohibētia

Tumores laxi

Curatio eorum qui ex mixti humoris fluxione laborant.

Qui ex mixto humore affecti sunt, post sanguinis in principio morbi euacuationem, relatis localibus auxiliis utantur, si quidem biliosior & acrior

A est redundans sanguis, his quæ in bilis fluxione relata sunt. Si uero frigidior & pituitosior, aut etiam magis atrabiliarius, his quæ post illa dicta sunt, exceptis ualdè acribus. Si uero diuturnum sit malum, etiam his. Sed & hoc cataplasma ab initio conuenit. Malicorium & rhus, & polenta, in uino trita imponuntur. Aliud. Ad folia brassicæ cocta ac probe trita fecem aceti adijcito, & ouorum crudorum uitellos duos, & rosacei parum, & trita imponito assiduè permutando. Cibos autem attenuantes & parum nutrientes sumant, proindeà carnibus ac leguminibus abstineant, & à uino copiosiore ac nigro. Quòd si fieri possit, etiam in totum uini potum uitent. Multos enim noui qui à solo hoc penitus abstinuerunt, & omnes opem senserunt.

Vini abstinentiæ utilitas

Quidam enim in principio morbi perfectè liberati sunt: quidam postea, & raro, & neque ualdè dolorosè exacerbati sunt. Si igitur nihil aduersi ex hoc contingat, aut in futurum timeatur, per totam uitam à uino abstineāt. Qui uero propter debilitatem, aut perfrigerationem, aliquantulum succumbere apparuerint, ubi ad biennium à uino abstinuerunt, hinc iam modicum & aquosum perpetuò bibant. Oportet autem eos qui à uino abstinent, pro uino anisi decoctum bibere, aut alicuius eiusmodi seminis, abstinendo quantum eius fieri potest à fructibus pomorū, & reliquis perfrigerantibus, itēq; à Veneris usu. Qui uero medicamentis quę per annum bibuntur perfectè à morbo liberare uolunt, hi plerosq; pituitosiores ac superfluitatibus abundantes iuuerunt: calidioribus autem & siccioribus repentinæ mortis causa fuerunt, materia ad intestinum, aut rhenes, aut latus, aut pulmonem, aut aliquam principalem partem translata. Melius igitur est in biliosioribus, aut multo sanguine redundantibus, uini usum uitare, quum ex hoc nullus in relata pericula incidat. Verum in frigidioribus & superfluitatibus refertis, theriaca ex uiperis utendum est, ita ut bona facta concoctione frequentius ipsam sumāt hyeme, rarius autem æstate. Aut enim à morbo liberat, aut moderatiorem ipsum reddit, nullam relatarum partium lædens. Quandoquidē B

Antidoti annui usus

uero cogunt aliqui nos etiam ad relatorum antidotorum usum, eiusdem generis esse scito, & quod ex Damasonio paratur, & quod Agapeti appellatur, & Inordinatum dictum, & Octaidon octo rebus constans, & quod proclo adscribitur, & quod ex scordio fit, & quod ex corallio, & alia complura. Verum securissimum omnium, insuperq; multi experimēti est, quod ex corallio paratur, ut quod etiam tofos in articulis iam coactos dissoluit. Horum autem omnium & facultates, & usus modum, & in his cautionem, in libro de medicamentis comperies. Similiter etiam psilothrorum ad arthriticos, & compositiones, & usus modum, in ijsdem habitibus, pituitosioribus dico, in usum uenientium. Alij ad totius morbi exclusionem, uulpeculas totas in oleo coquentes arthriticis medentur, partim uiuas in maximū lebetē mittentes, partim mortuas. Similiter etiam hyænas coquunt, discussorium oleum facientes. Deinde folia ex ipso complentes, & arthriticos in ipsa demittentes, & multo tēpore immorari iubentes. Ex hoc autem cōtingit non solum timores circa articulos, sed etiam totum corpus euacuari.

Vulpecula uiua in oleo cocta

De tofis.

Tofi in articulis

Quandoquidē etiam tofi sæpe in articulis coguntur, aliquando ob crassum ac terreum humorem in ipsos influentem, aliquando etiam ob medicamentorum discutientium ac immodice reficcantium, citra emollitionem, usum, id nosse expedit, commodiora pharmaca esse quę unà cum hoc quòd molliunt, etiam discutere solent. Molliunt itaq; adipes uituli, & medullæ, & ammoniacum, & bdellium, oleumq; ualde uetus, & styrax. Discutiunt autem & siccant, nitrum, sal, lixiuium, adarce, euphorbium, & tunica. Verum ad tofos in articulis priuatim facit caseus uetustissimus & acerrimus, cum carnis suillæ pinguis ac ueteris decocto tritus ac impositus. Erumpente enim tofo sua sponte, quotidie euacuatio contingit. Compositum autem id quod ex perna fit, experimento cognitum est, & dupliciter paratur, & quod

Caseus uetustissimus

A quod à lixiuio appellatur. Sed & hoc priuatim facit. Aphronitri, terebinthinæ, lixiuij ex cinere calce addito parati, propolis, singulorum trientem, ceræ dodrantem, colophoniæ lib. I. olei unc. XVI. mixtis utere ad tofos & abscessus. Quod uero ex cinnabari paratur, admirandum quidem & ad tofos, & ad plura alia, sed difficulter haberi potest. At quod ex nucibus auellanis fit, ad hoc quod felicem successum habet, etiam facile parari potest, & non solum in fortioribus, sed etiam subtili sensu præditis corporibus conuenit, si emplastri ex melle, aut quod ex anemona fit, duæ partes ad unam ipsius assumantur. Si uero non adsint, etiam ex eo quod ex cerussa fit, æqualis portio ad ipsum ammiscetur. Aliud ad tofos. Sandaracham tritam uisco quercino excipe ac utere. Aliud. Facit etiam ad fistulas & Aegilopas. Olei sextar. I. spumæ argenti bessem, & unciæ dimidiũ, auripigmenti unc. I. Spumam argenti & oleum coquito, donec non amplius inquinent. Deinde auripigmentum ualdè tritum inspergito, & prius quàm adurantur, ab igne ablatis utitor. Quæ uero ex lapidis Asij flore in interuallis exacerbationum imponuntur, ad omnes circa articulos consistentes collectiones conuenientia, ueterum testimonio quorundam, à toto morbo liberare creduntur. Sed & id quod ex salis flore paratur, in declinationibus similiter impositum, relictos tumores discutere creditur. *Cinnabaris raritas*

De præseruatione podagræ.

Podagram iam consistentem, aut etiam arthritidem, corrigere operosissimum est, citra relatas methodos. Verum eam quæ nondum facta est, præcauere facile est, ita ut ciborũ detractio fiat, & eis utatur quis, qui & facile concoquuntur ac distribuuntur, & nihil superfluitatũ habent, itemq; uino moderato: & ut exercitijs additio fiat, quantum satis esse uisum fuerit. Auxilij uero loco, sal in oleo tritus, & articulis affrictus, omnibus qui præcauēt ne in podagricam affectionem incidant, magnificè prodest, si nõ ualdè siccam B habuerint intemperiem. Oportet autem eo uti mane & uesperi per omnem uitam. Sed & post inflammationum declinationes eodem utendum est. *Podagræ præseruatio*

Ad perniones in plantis ac pernis. Cap. LXXIX.

PErniones ulcerosæ sunt affectiones, circa manuũ ac pedum digitos consistentes hyemis tempore. Oportet itaq; ipsos aqua marina tepida perfundere, aut betæ, aut lentis, aut erui, aut radicis asphodeli decocto post perfusionem lentes coctas in uino tritas imponito. Aut ficus tritas cum oleo imponito. Aut alumen, & farinam, æquis partibus in uino trita adhibeto. aut fecem uini subaridam. Aut bulbum recentem uino tritum imponito. Aut allium in oleo torreto, ac reijcito, & moderata cera in oleo liquata imponito. Aut malicorium uino coctum ac tritum, cerato rosaceo excipito ac utitor, irrigatione ex lupinorum decocto præmissa. Aut mannam, & sulphur uiuum cum melle cocto imponito. At hyoscyami succus assiduè illitus, ab inflammatione ac dolore conseruat. *Perniones*

Marcellum ad perniones.

Rapi radicem excauato, & in fossulam excauatam ceræ sextantem, & olei lentiscini sextantem indito, & in duplici uase, in aqua marina, aut muria, aut lupinorum decocto coquito, & hoc quidem perfundito, ceratum uero in rapo liquatum, frigefactum imponito. Verùm in ulceratis pernionibus, thuris, aluminis scissi, rubricæ, resinæ, æquales partes, adipe suillo dilutas excipe ac utere. Cæterùm ad ulceratos cum inflammatione, hexapharmaco à sex rebus quas recipit appellato utere. Olei dodrantem, adipis taurini, fellis item, singulorum libram I. spumæ argenti sexuncem, colophoniæ trientem, mellis sexuncem. *Hexapharmacum*

Ad digitorum & totorum pedum rimas.

Picem liquidam illinito. Aut cancrum fluuiatilem aut marinum in prunis exurito, & detracta testa, cum oleo terito, & ad mellis spissitudinem redigito, & præterlis rimis instillato. Facit & scillæ pars interna oleo feruefa- *Rimæ pedum*

cta, & cum terebinthina contrita: & cornu ceruinum ustum & adipe caprino exceptũ. uerũ digitos præmũdare oportet, & sic medicamẽta adhibere. A

Ad fissuras pernarum ac plantarum floridum emplastrum.

Calcis uiuæ drach. X. cerusæ drach. XX. ceræ drach. XX. aut XXX. adipis porcini recentis septuncem, colophoniæ dodrantem, succi feminis lini cyath. I. olei dulcis uncias XL. teneram plantam facit uelut nullum aliud. Aliud. Adipis caprini, ceræ, olei, æquis portionibus utere. Aliud. Malicorium in aceto coctũ per quinque dies imponito. deinde circumcirca mundatis calcẽ cũ oleo aut strigmẽto imponito. Aliud. Scillã in oleo coquito, & ipsam quidẽ torrefactã reijcito, in oleo uero terebinthinã liquato, ac utitor.

Ad attritus pernarum ex longo decubitu.

Attritus pernarũ ex decubitu

Ceræ, olei, spumæ argẽti, mellis, singulorum æquales partes. facit etiam ad omnem ulcerationem plantarum ac calcaneorum, & uolarum, & internæ digitorum partis, & hoc magis si ulcus propinquum ungui fuerit.

Ad sordida in planta ulcera medicamentum quod linamentis inditur.

Facit etiam ad pudendũ. Amurcæ cyath. I. aceti cyath. I. coquito in uase æneo ad mellis spissitudinem, & priuatim squamæ æris drach. II. mannæ drach. II. Lanarum succidarum mollium tedæ obuolutarum ac ustarũ cineris, quantũ manu præhendi potest terito, excipitoque omnia, ac utitor, ad uulnera quidẽ uino dilutis, ad pudenda uero ac plantas passo. Aliud. Amurcæ, mellis despumati, singulorũ pares portiones. Hoc etiã gingiuas purgat.

Calceamentorum attritus

Ad attritus ex calceamentis, facit pulmo agninus, & porcinus, & caprinus. coria à ueteribus soleis usta, inflammatis quidem non prosunt, uerum sedata inflammatione opitulãtur. Aut cepam cum multo gallinaceo adipe impone. Aut gallam ustam insperge. Aut acaciam aceto dilutam illine.

Ad clauos ac callos. Caput LXXX.

AD clauos præmundatos unam aliquam ex corrodentibus compositionibus imponere oportet, aut æruginem rasam, aut sandaracham, aut fistulis dicatum puluillum siccum, aut fistulare collyrium, gummi uice, ammoniaco exceptum. Est autem clauus rotundus, albus, claui capiti assimilis, circa omnes corporis partes consistens, maxime tamen in plantis ac digitis pedum. Aufertur autem longiore tempore, etiamsi quis præminentẽ claui partem assiduè deradat scalpello, aut pumice deterat. Similiter etiam callus. facit & lupinorum crudorum ustorum cinis cum melle. Misy pice liquida exceptum. Melanthium cum pueri impuberis urina. fabæ lomentũ cum aceto coctum. Hoc autem sæpe experimento cognitum est. Cantharidum, atramenti sutorij, castorij, singulorum æquales partes, excipiuntur terebinthina ad emplastri formam, & clauo præmundato imponuntur. Aliud. Fecis uini ustæ, calcis uiuæ, uisci, singulorum pares portiones cum lixiuio aut urina pueri impuberis. B

Clauus quid sit

Callus

De affectionibus circa ungues: & primum de paronychia. Cap. LXXXI.

Vnguiũ affectiones

Paronychia

Nere pastillus

PAronychia id est reduuia abscessus est circa radicem unguis consistens. Quum adhuc parua est paronychia & incipiens, galla cum melle cõprimit, ac consistere impedit. Aut Musæ pastillus, aut Nere, cum aqua. Verũ ubi iam caro præter naturam excreuit, scopum habemus ut ipsam per non erodentia consumamus ac rumpamus. Facit ad paronychias, aurium sordes, & lycium. Suppuratam autem pungito, & emusso humore spongiam aqua imbutam imponito. Aut lentem cum aqua tritam adhibeto. Aut phœnicinum emplastrum cum uino. Aut rosas uirides siue siccas, aqua maceratas ac tritas. Aut polentam cum aqua. Facit etiam ad paronychias farina lupinorum melle, aut uino mulso subacta. Ad ulceratas autem, æruginis, spumæ argenti, singulorum drachmas quatuor. sarcocollæ drachmas quatuor, quantum satis est insperge, & supernè linamentũ ex uino, itemque spongiam impone. Oportet autem & carnem undiquaque ab ungue disparare.

De pte-

De pterygijs.

A Pterygium est nimium carnis incrementum, quod partem unguis operit, ex paronychia, aut alia huiusmodi causa ortum habens. Ad hoc igitur auripigmentum, & mannam, æquis portionibus insperge, & supernè linamentum ex uino, & spongiam impone. Aliud. Chalcitidis, squamæ æris, malicorij, singulorum equales partes. Excipe ficu assata & melle, & loco prius ex spissamentorum decocto rigato impone. Quod uero de pterygio exarescit depurga. *Pterygium* *Spissamentorũ decoctum*

Ad digitorum pterygia putrescentia, & ad pudendorum ulcera.

Thuris drach. I. squamæ æris drach. I. æruginis rasæ drach. IIII. mellis cyath. I. terito ad solem donec subflaua fiant, & utere cum splenio, loco ex uino prærigato. Aliud, breui resiccans ac curans pterygia. Soreos usti drach. II. thuris drach. II. æruginis rasæ drach. I. cum melle contrita pterygio ipsi impone. facit etiam ad reliqua horum locorum ulcera maligna, & nigredines, & putrefacta. Aliud. Squamam æris palmulatum aut ficuũ carne excipe, ac utere. Aliud. Columbinum fimum cum polentæ polline in passo coctum ac tritum, calidum impone. Sed & æris squama per se inspersa pterygia resiccat. Oportet autẽ angulum unguis assiduè per scalpellum eleuatum auferre, ut ne augescens, pterygium pungat.

Ad contusos ungues. Myrti & mali punicæ folia tenera imponito.

Ad subcruentos ungues. Farinam pice ammixta imponito.

Vt discedãt affecti ungues. Sulphur tritũ adipe suillo exceptũ imponito.

Vt discedant scabri ungues. Visci quercini, sandarachæ, fœnigræci, singulorum sextantem, cantharidum, thapsiæ, singulorum unc. I. aceti quod satis est. Aliud, Propolis Atticæ, ceræ, bituminis, singulorum drach. II. sulphuris uiui drach. I. Excipe sine oleo, ut ne inquinent. Vsu uero expetente calfactum medicamentum unguibus obducitur. Aliud. Picis liquidæ,
B ceræ, colophoniæ, terebinthinæ, ammoniaci thymiamatis, sulphuris uiui, aphronitri, singulorum æquales partes, ut ne inquinent. Aliud quod scabros ungues discedere facit absq; ulceratione. Bituminis, auripigmẽti, sandarachæ, sulphuris uiui, singulorũ drach. IIII. Excipe resina, & utere exoluens per septimum diem. Aliud. Farina erui felle ouillo, aut urina ouilla subacta utere. Aut calce cum oleo. Aut mastiche chia cum opobalsamo. Aut uisco[illegible]oriam; & sulphur uiuum, quod satis est excipe, & pelliculæ inductum impone. Aut staphidem syluestrem cum aceto tritã adhibe. Aut resinæ terebinthinæ drach. I. sandarachæ duplum, ad radicẽ unguis simul impone, ac diligẽter deliga. Quum uero exciderit unguis, ceratum myrteũ impone, cui parũ additũ sit de medicamento ex resina parato.

CAPITA QVARTI LIBRI.

In hoc libro, qui quartus est totius Operis, de affectionibus quæ incertis locis & sparsim, extra corpus maxime fiunt, tractatio habetur.

PAVLI AEGINETAE REI MEDICAE LIBER IIII. [redacted]

Medico Physico interprete.

De Elephante. Caput I.

Aretæus Cappadox

Cancer est elephas unius partis

Elephas est cancer totius corporis



ARETAEVM Cappadocē ita dicere arbitror, Auxiliorū facultatem morbis superiorē esse oportere, & propterea Elephantem curari non posse. Non enim reperiri medicinam eo superiorem. Si enim cancer qui uelut elephas quidam est in una parte, ex incurabilibus etiam ab ipso Hippocrate nominatus est: quomodo non magis elephas qui uelut cancer quidam in toto corpore est, omnino incurabilis erit? Quum enim atra bilis ex qua hæc affectio conflatur, duplicem generationem habeat: Aut enim ex atrabiliario ac feculentiore humore, & uelut sanguinis limo: aut ex flaua bile, utrisq; superassatis generatur: subrubros quidem Elephantas mitiores quodammodo, aut ut uerius dicam, minus malignos, prima atræ bilis differentia efficit. Alios uero, qui etiam maligniores sunt, & totum corpus exulcerāt, & extremarum partium elapsus faciunt, posterior differentia ex flaua bile nimium assara generata producit. Quapropter de his qui iam morbo detenti sunt desperandum est. Vbi uero in principio est affectio, ut neq; aliqua extremarum partium decidat, neq; ulcerata sit cutis superficies, neq; etiam tumidæ eminentiæ plurimum insurgant: Verū turpis solum

A pis solum sit facies, ita tamen ut non ualde indecorum aspectum præferat, curare tentabimus. Non pauci enim per solam capitis ustionem, plerosque qui ita incœperunt, prohibuerunt ne ab affectione superarentur. Statim igitur incipiente morbo, uenæ sectione utemur, cum repetita sanguinis detractione, atque hoc magis in uere, quando maxime & gignitur affectio, & exacerbatur. Paucis autem interpositis diebus, nouem aut decem, purgamus ipsos pulte ex colocynthide, non una uice, sed sępe, iuxta rationem medicamenti quantitatem adaugentes. purgatio quoque ex hiera his commoda est. Rursus autem diebus circiter decem interiectis, serum lactis scissi ipsis dandum est, non infra trium heminarum mensuram, neque supra quinque. Sequentibus uero diebus lacte non scisso, aut recens mulcto alantur. Ex his si quidem remittit affectio, eodem alimēto utantur. Si uero perseuerat, à lacte abstineant, & ab acrium esu uomāt, itemque à raphanis & cibis. Commoda est etiam postea ex ueratro albo purgatio, bis si fieri potest in uere, semel in autumno. Cæterùm his qui à malo uicti sunt, neque uena secetur, neque ueratrū detur. Neque enim translatio à cute ad profundum contingit, neque imminutio materiæ ex his amplius fit. Verum materiam ad uentrē ac intestina deducere oportet, & ex alto euocantibus ac transferentibus humores uti, siccareque ac adstringere cutem. Leues igitur cucurbitæ ad os uentriculi, & ad præcordia affigantur. Et ijsdem quoque partibus dropaces adhibeantur. Pauco autem tempore interposito rursus reflectendum est, initio à purgatione per hieram sumpto, omissa uenæ sectione, ex qua maius detrimentū, quàm utilitas ulla futura esset. Et hoc circuitu ter aut quater in anno utendum est, maxime uere & autumno. Potiones autē his conueniunt hæ. Aceti cyath. I. cum cedriæ cyath. I. & succi brassicæ crudæ cyath. II. Mixta hæc dantur mane & uesperi. Aut sideritidis herbæ folia arida drachmæ pondere, in uno

Puls ex colocynthide

Vomitus ab acrium esu

B ni cyatho uno. Aut cornu ceruini drach. I. & aceti scillini cyathi mensurā, bibendam præbe quotidie post matutinā deambulationem. Sed & alia circa hoc tempus dentur. Aut scillæ assatæ drach. V. in aqua mulsa, aut in melle ad eclegmatis modum. Aut succi cyrenaici erui magnitudinem, melle & butyro dilutam. Aut ramenti eboris drach. S. cum uini cyath. II. Aut cumini Aethiopici drach. III. cum melle uelut eclegma. His autem magis opitulatur pastillorum theriacorum drach. I. in uini boni cyatho uno trita ac pota: Similiter etiam pastillorum scilliticorum drach. I. bibatur. Sed & calaminthæ succum, uelut efficacissimum auxilium laudant, potum. Incipiendum autem esse aiunt à tribus cyathis usque ad sex. præ omnibus autem efficax est theriaca ex uiperis, & pota, & forinsecus illita. Si uero habert possent ipsa animalcula, nihil adeo efficax est, uelut uiperarum carnes coctæ comestæ ex albo iure, facta coctura per aquam copiosiorē, & salem, & porrum, & anethum, usque ad spinarum separationem, abscissis prius capitibus ac caudis ipsarum, ad digitorum quatuor mensuram, exemptis etiam interaneis ipsarum, pelleque detracta. Quin & theriaci sales idem cōpromittunt, cum obsonijs sumpti. Sic enim si ipsis utantur, contingit aliquando squamas, aut ueluti quendam corticem de cute ipsorum discedere. Cæterùm uictus ratio huiuscemodi sit. post somnos præfrictus, & aluo exonerata, gestetur, & uociferetur: deinde fricetur, & uarie exerceatur, partim saltu, partim & quidem amplius Halteribus, & follis usu. Deterso autem sudore, illinatur adipe ursino, aut uulpino, aut hircino, aut uolucrino quopiā, aut butyro recenti. Modico uero tempore intercedente lauetur, illinens succū fœnigræci, aut ptisanæ, aut modicum ammoniacum aceto dilutum. Post balneum detersus illinatur lentiscino, aut œnanthino, aut myrteo, & uino modico cum alumine, aut ammoniaco, ut strigmenti sit spissitudo. Detersus autem rursus mollibus linteis, ad dimidiam horam quiescat, post quam pota aqua, immissis digitis aut pinnis uomat. A uomitu uero uinum absinthites aut origanites bibat. Cibi sint panis ordeaceus, aut maza ex polenta. Olera

Viperarum carnis esus

Halterum exercitatum

uero;

uero beta, lactuca, raphanus, porrum, brassicæ duabus aquis edulcatæ, & A
capparis. Ex mari uero, ostrea, pelorides, erinacei, pectines, tellinæ cum be
tis coctæ, salsamentum uetus medicamenti loco. A uino autem per totum
morbum abstineant, itemq; à Venere, ita ut paucissimum solum, & tenue,
& aquosum uinum, iuxta tempus refectionis ex purgationibus sumant. In
quo etiam acria auferantur, condimẽtis exceptis. Danda autem sunt ipsis,
ptisana, oua, alica lota, lac, & mel cum pane, malua, rumex, sisarum, pisces
teneræ carnis, & ex uolucribus bono succo præditæ. Ex fructibus, ficus, u-
ua, & uuæ passæ: Ex dulciarijs ea quæ ex nucleis pineis, aut amygdalis to-
stis, & cnico parantur. Bis autem in die alantur, graue enim his est semel in
die cibum capere. Cæterùm post curationẽ intrinsecam, smegmatis in bal
neo utantur, ex decocto betæ aut fœnigræci, cum aphronitro, aut sapone,
aut myrobalano, & quandoq; etiam psilothris. Deterget etiam portulaca
cum aceto trita, & tenue semperuiuum, & rumicis radices aceto coctæ, &
alumen cum sale & sandaracha æquis portionibus, in uino & oleo lentisci-
no. Et id quod ad uitiligines descriptũ est, ex alcyonio, nitro, sulphure, myr
ti folijs, & fici syluestris folijs aridis, cum aceto tritum ac illitum. Et quod ex
sepiæ testa usta, & pumice, nitro, cimolia tosta, gummi, & galla omphaci-
na, paribus partibus paratur, siccum inspersum, aut cum aceto affrictũ. Sed
& hoc mirificè facit. Rumicis radicũ fasciculum plenæ manus, nitri drach.
Acetum Aegyptium XL. thuris drach. XXV. sulphuris drach. XXV. cum aceto Aegyptio illini-
tur. Efficax est & hoc, Auripigmenti drach. X. sulphuris uiui drach. VIII.
costi drach. XII. calcis uiuæ drach. IIII. ceræ drach. IIII. baccarũ lauri ari-
datum drach. XII. Hæc populi foliorum succo, aut crasso decocto subigun
tur, & mellis spissitudinem habentia illinuntur. Aliud. Rumicis radicũ
fasciculi duo in aceto coquuntur, & in pila tunduntur ac conteruntur, De-
inde Alcyonij lib. I. sumis, aphronitri bessem, sulphuris uiui lib. I. testarum B
cochlearum ustatum trientem, chamæleonis nigri radicis trientem. Conte
runtur omnia ad strigmentitiam crassitudinẽ, deinde illinuntur, æstate qui-
dem in sole sæpe, hyeme uero in balneo, usq; ad exsudationem. Quin & Ae-
sculapij aridum smegma bene his congruit, & omnia quæ in communi re-
ferentur defrictoria, usq; ad ea quæ ad uitiligines describuntur, quemadmo
dum etiam nunc relata illis quoq; competunt. At uero tumidæ eminentiæ
inflammatæ aut exulceratæ illinãtur lycio Indico, aut glaucio, aut aloẽ, aut
Andronio pastillo, aut polyidæ sphragide. Cataplasma imponatur ipsis ex
alica, cum succo polygoni, aut plantaginis, aut helxinæ trita. Sed & Mile-
Milesia herba siæ herbæ uiridis folia cum axungia tusa ac imposita, mirificè opitulantur.
Rubefiunt enim inde partes, uerum facile sedantur pane imposito, aut cera-
to ex oleo amygdalino facto, & ad naturalem colorem restituuntur. Exul-
ceratis autem partibus cõueniunt emplastra, id quod ex diphryge paratur,
& Melinum ex uino, & coracium, & quod fit ex aceto mulso. Et pastillus
Andronius, & pompholyx, & cadmia. Signum porrò quòd moderatior
fiat totus morbus, est quòd prima ulcera ad cicatricem perueniunt. Cæte
rùm ad spirandi difficultatẽ in elephanticis, asellos sub uasis aquatijs quin-
que aut sex, ex aquæ mulsæ cyathis tribus bibendos præbe. In communi ue
ro etiam aliqua ex his quæ ad difficulter spirantes scripta sunt, ipsis conue-
niunt. Aquarum uero naturalium usum, uelut maxime necessarium eligere
oportet, aluminosarum præsertim & ferrosarum, & si fieri potest frigidarũ.
Conferunt autem ipsis eædem quoq; in potu. Eandem uim habet etiam are-
næ marinæ usus, & omnia exudatoria ac sudorifica. Quandoquidem uero
affectio ex his est quæ facile per contagionem distribuuntur, non minus
Contagio ex elephantiasi quàm pestis, habitationes ipsorũ quàm longissime remouendæ sunt ab ur-
bibus, & in mediterraneis ac frigidis locis statuendæ, & in quibus pauci
homines, si ita fieri possit, uersentur, ita ut hinc in circunsitos locos digre-
di possint, tum sua ipsorum causa, tum etiam non minus ob eos qui ipsis
occurrere

A occurrere possint. Nam & ipsi aëre commodiore utentur, & alijs malum impertiri non poterint.

De lepra & scabie. Caput II.

VTraq; harum affectionum asperitas cutis est, cum pruritu, & eliquatione, ex atrabiliario humore generationem habens. Verum lepra per profunditatem corporum cutem depascitur orbiculatiore modo, unà cum hoc quòd squamas piscium squamis similes dimittit. Scabies autem magis in superficie hæret, & uariè figurata est, & furfuracea corpuscula remittit. In his igitur uenæ sectionem assumere oportet, si corpus humorum copia redundare tibi uideatur. Sin minus, omnino tamen purgationē per ea quæ atram bilem euacuant. Forinsecus autem uteris in communi quidem ueratro utroq;, & calce lota in usum sicca seposita. Vsu uero expetente, aqua diluens strigmenti spissitudine illine. Aliud. Saluiæ, oleæ Aethiopicæ lachrimæ, singulorum drach. VIII. corticis radicis capparis, gummi, singulorum drach. XIII. illine cum aceto in sole. Lepras autem priuatim remouent anemonæ appositæ, radix uitis albæ. Composita uero hæc. farinæ loliaceæ chœnicem, cardamomi albi drach. IIII. spumæ nitri drach. I. aramenti sutorij drach. VIII. asphodeli radicis mediæ drach. IIII. terito in aceto, & cerati crassitudine illinito, loco ex nitro præparato: & ubi exolueris, quod per tertium diem faciendum est, & aqua frigida ablueris, rursus illine. Aliud. Succi radicum asphodeli sexuncē, sulphuris uiui, mannæ, singulorū drach. X. nitri drach. VIII. aceto diluta illine. Ad scabiem uero priuatim faciunt, simplicia quidem, staphis syluestris, lupini amari, cardamomum cum aceto, lilij radix cum melle, resina terebinthina, sulphur, cicer, stercus caprinū: Composita uero hæc. Misy & chalcitidem, paribus partibus cum uino illine scabiei humidiori. Aliud. Rododaphnes folia tenera in olei sextario coquito, donec torreſiant, ipsisq; abiectis ad oleum ceræ albæ quadrantem

B adijce, & hac soluta frigefacito, ac sulphuris uiui unciam unam inspergito, & in sole, aut in balneo illinito. Quidam cum rododaphne etiam scillam coquunt. Aliud. Emplastri ex succis sextantem, ceræ sextantē, rosacei unc. I. spumæ argenti quadrantem, cerusæ quadrantem, picis liquidæ sexuncem, recrementi argenti sextantem, syrici sextantem, aceti quod satis est ad arida terenda. Aliud. Cerusæ unc. s. amyli unc. s. plumbi unc. I. lotariorum rubrorum aut anchusæ sextantem, ceræ sexuncem, rosacei dodrantem. Anchusam cum rosaceo probe coquito. Deinde reliqua adijcito. Aliud. Oua decem, aut quot ad usum sufficiunt, in aceto acerrimo macerato, donec putamen ipsorum molle fiat, deinde in ipso aceto uitellos ipsorum coquito, & cum rosaceo ac reliquo aceto etiam spumæ argenti parum conterito, & strigmenti spissitudine illinito. Aliud. Ouorum aceto maceratorum uitellos III. rosacei sexuncem, sulphuris uiui quadrantem. Prætritis cum aceto uitellis & sulphuri, ceratum adijcito. Quin & argenti spuma cum aceto & rosaceo trita, ut emplastri formam accipiat, acriorem scabiem depurgat. Sed & ex lapatho smegmata, & pleraq; ad elephanticos descripta smegmata, in communi etiam ad lepras & scabiem faciunt.

Lepra — *Scabies* — *Oua aceto macerata*

De impetigine. Caput III.

VBi serosi tenues & acres humores alijs crassis succis ammixti sunt, impetigines lichenes dicti generantur, quæ breui in scabiem ac lepram transeunt. Quapropter medicamentis uehementer siccantibus opus habēt. Proinde post totius corporis, si opus habuerit, euacuationē, simplicia ipsis competent, cicer, ueratrum, erinaceus in petris degens, pix cerato ac resinæ ammixta, crocodili terrestris stercus, & sturnorum ubi solam oryzam ederint. Multi uero hoc solo impetigines in mento, aut etiam alibi curauerunt. Triticum multum incudi feruenti imponunt, & defluentem ex ipso liquorem adhuc calidum impetigini illinunt. At puerorū impetigines saliua hominis assidue confricato. Ad hos facit & pruni gummi illitum. Inueteratæ

Impetigines — *Lichenes*

uero

uero impetigini uiticis folia trita cum aceto imponito. Aut capparis folia eodem modo. Composita uero hæc, Sulphur cum thure, aut cum ammoniaco, aceto dilutum illinito. A

Pastillus ad impetigines.

Glutinis fabrilis drach. IIII. thuris drach. III. aceti cyathi dimidiũ, aceto dissolutos illinito. Alius. Chalcitidis, gummi, singulorũ drach. VIII. sulphuris uiui, misyos, singulorum drach. VI. squamæ æris, acaciæ, singulorum drach. II. cum aceto illine. Aliud. Sulphuris uiui, spumæ nitri, singulorum drach. IIII. canchryos grana LX. terito cum aceto, & solam affectam partem illinito, ita ut integram ne contingas. Resiccatum uero abluito frigida aqua. Aliud. Veratri albi drach. VIII. farinæ lupinorũ, buccinorum ustorum, nitri, singulorum chœnicem. Sicca affricato. Cæterum

Impetigines feræ feras impetigines uocant eas quæ ex moderatè resiccantibus nihil opis sentiunt, ab acrioribus uero exacerbantur. In his igitur medicamenta adhibere oportet multum quidem efficacia, ita tamen ut ne uehementer mordeat, quale hoc est, Glaucij, thuris, alcyonij, bituminis, sulphuris, gummi, singulorum unciam unam, illine cum aceto. Aliud. Picem aphricanam cum

Pix Aphricana aceto coctam liquefactam illinito.

Aliud ad impetigines & pruritum. Atramenti sutorij, sulphuris uiui, nitri, thuris, singulorum æquales partes, ad impetigines cum aceto, ad pruritum cum uino illinito. Aliud ad impetigines. Ammoniaci thymiamatis, farinæ erui, ac lupini, singulorum pares portiones, cum aceto.

De pruritu. Caput IIII.

Pruritus PRuritum in senectute contingentem, perfectè sanare non datur, uerum subscriptis mitigare potes. Qui uero ex uitiatis humoribus in alijs oboritur, eum sanare conuenit, humores uitiatos euacuando, qui sanè fuerint biliosi, aut pituitosi, putrefacti aut salsi. Cognoscuntur autem ab ætate, temperamento, uictu, tempore, regione, & reliquis eiusdem ordinis. Si igitur B inuenis unà cum sanguine redundare uideantur, à uenæ sectione incipiendum est. Si uero qualitate magis affligunt, facta per conuenientia medicamenta ipsorum euacuatione, ad externam curationem nos conuertemus. Balneo itaq; utendum est omnino ieiuno, quandoq; etiam ubi parum cibi accepit, rursus repetenda lotio est. difficulter enim humectari affectio potest. Defrictio uero fiat ex fœnigræci, aut betæ, aut furfurum, aut maluæ syluestris & satiuæ, aut ptisanæ decocto. Insuperq; cum farina fabarum, aut

Peponaton smegma lupini aut myrobalani, aut cum smegmate peponato appellato. Si uero moram trahat, similiter quidem lauandum est, fomentum autem adhibendum ex decocto saluiæ, myticæ, mercurialis, origani, pulegij, baccarum lauri, radicis cucumeris syluestris, capparis: itemq; ex lixiuio, & muria acida. Deinde inspergatur nitrum siccũ, aut cum fece aceti. Aut medicamentũ quod recipit spumæ nitri sextar. I. thuris, sulphuris uiui, singulorum lib. I. cimoliæ libræ dimidiũ. Aut hoc, Aphronitri, sulphuris uiui, alcyonij usti, æquales singulorum partes adhibe aridas, aut cum aliquo ex relatis decoctis. Si uero uoles, etiam ueratrum siccum insperge, citra pinguitudinem. Illinendum autem est oleum & acetum, contrita in ipsis staphide syluestri, aut sulphure, aut sandaracha, aut omnibus simul. Aut sinapi cum myrobalani expressæ retrimento, & oleo ac aceto. Aut cochleæ ustæ ac tritæ cum melle. Aut rumicis radices, aut smegmata ex ipsis parata, uelut capite de Elephante dictum est. Aut aliqua ex his quæ ad scabiem relata sunt. Quòd si exulcerentur partes, utendum est parygro emplastro, aut ex pompholygo præparato. Aut ceræ unciam I. in olei cyprini cyath. I. liquato, & sulphuris uiui unc. I. adijcito. Aliud ad pruritus. Nucum magnarum raucidarum unc. I. sulphuris unc. I. cum apij succo tritis utere in balneo cum multa defrictione. Hoc solum multis scabiosis, & aliàs pruriginosis suffecit. Sed & ipsum apium per se uiride tusum ac affrictum in balneo magnificè prodest.

Similiter

A Similiter etiam perdicium, & resina aceris cum rosaceo soluta ac illita. *Resina aceris*

Aliud. Oryzæ puræ & ualdè albæ quadrantem, tundito, cribrato, & aceto acerrimo ad strigmēti spissitudinem terito, & sulphuris uiui priuatim triti unc. I. adijcito, & probe mixtis in balneo utitor cum multa defrictione. At in his qui superfluis humoribus magis abundant, si æquali pondere sulphur & oryzam miscueris, melius medicamentum effeceris.

De Leuce. Caput V.

Leuce transmutatio est cutis ad colorem albidiorem, à uiscosa ac glutinosa oriens pituita. Quandoquidem uero non omnis leuce curabilis est, dignotiones ipsius tales habeto. Leucen in superficie non ultra cutē perpungito, & si quidem sanguis fluxerit, curam recipit. Si uero humor lactosus, incurabilis est. Aut panniculo laneo aspero ipsam confricato, & si quidem rubicundior color euaserit, curationē recipit. Si uero in eodem colore permanet, non curabitur. Quin & quæ plures corporis locos occuparunt, & quæ uetustiores sunt, minus curationem recipiunt, quàm hæ quæ paucos locos tenent, & recentiores existunt. Quidam igitur ustionem per ferrum in leuce probarunt, quæ per adustionis modum solum adhiberetur. Alij uero & ex ustione dolorem, & ex hac cicatricem ueriti, quæ nō minus quàm ipsa leuce decorem uitiaret, crustam inducentibus medicamentis usi sunt, qualia etiam concolorem cicatricem efficere tradunt. Alij etiam horū difficultatem reprobantes, tincturas adhibuerunt, imposturæ magis quàm utilitatis studiosi, quos præ omnibus reprobare oportet, propter uelocem affectionis regenerationem. Vtendum igitur est subiectis compositionibus. Adarces, canchryos, sulphuris uiui, singulorū æquales partes. Singula tusa ac cribrata seorsum, deinde cum aceto simul ad multos dies leuigata in sole illinito, non aceruatim, ut ne cutis exulceretur. progressu uero temporis adijcitur parum quid de ueratro, & de galla similiter. Aliud. Fici nigrę
B uirgulta aceto macerato, & leuigatis aphronitri, sulphuris uiui, myricę fructus, singulorum æquales portiones ammisceto, & nitro præfrictis illinito, ac insolato, cauendo ut ne exulcerentur. Archigenes autem calce uiua sufficienti, ad fici folia ammixta usus est: aut ubi defricueris inquit, leucas ueratro albo donec exudarint, quo reliquo corpori concolores fiant, sinopide aut meliade terra illine. Aut acubus simul innitentibus perpunctione facta donec cruorem fundant, sinopide cum aceto illine. Aut præfrictas uelut dictum est, fici succo recenti illinito, & folia ipsius aliquantum confricato.

Leuce

Leuce curabilis experimentum

De uitiligine alba ac nigra. Cap. VI.

Vitiliginū generatio eiusdem cum leucis speciei est. Verum illæ ad profundum usq; corpus mutant, ut etiam pili similes enascantur. Vitiligines uero in cutis superficie consistūt, præterquàm quòd etiam ipsæ moram trahentes ad profundum usq; procedunt, ut etiam pilos albos producant, propter subiectum humorem. Nam ex pituitoso humore albæ fiunt, nigræ uero ab atrabiliario. In communi igitur utrisq; conuenit calx lota aqua soluta. Aut dracontij radix cum aceto imposita, Similiter ueratrum utrunq;, lupinorum amarorum decoctum affusum, & farina ipsorum imposita cum aceto aut aceto mulso. Capparis radicis cortex cum aceto. lilij radix cum melle. cepa cum aceto illita in sole. crocodili terrestris stercus, similiter etiā sturnorum ubi solam oryzam ederint, sepiæ testæ ustæ. Compositum uero hoc, Alcyonij, nitri, singulorum sextantem, ueratri albi, sulphuris uiui, singulorū unciam unam. Quidam etiam fecis uini ustæ unciam unam addūt. Aliud. Sulphuris uiui, spumæ nitri, singulorū drach. IIII. canchryos grana LX. terito cum aceto, & solam uitiliginem illinito, ita ut integram partem ne contingas. Resiccatum uero abluito frigida aqua. Aliud. Farinæ lupinorum, buccinorum ustorum, nitri, singulorum chœnicem, ueratri albi drach. VIII. sicca affricato. Aliud. Farinæ erui lib. II. seminis erucæ, amygdalarum amararum, radicis cucumeris syluestris, singulorū lib. I. ui-

Vitiligo alba & nigra

no mulso leuigata illinito, & post horæ spatium spongia detergito, facit & A
ad maculas solares, & uaros, & alias cutis maculas.

Ad uitiligines albas experimento constans.

Sulphuris uiui sextar. II. calcis uiuæ albæ trientem, candidum ouorum quinq;, olei nardini & aceti parum. Sulphur primum teritur, deinde nardinum adijcitur, & rursus teritur, atq; ita acetum instillatur, ac rursus teritur. Calx aũt priuatim lota semel, & iterũ atque iterũ sulphuri additur, unà cum candido ouorum, & rursus teritur, & collectus humor diffunditur, ita ut modicum eius relinquamus, quo ungentum illini possit, atq; sic utimur.

Aliud Archigenis. Sulphur uiuum, fici folia arida, aphronitrum, alcyonium, cimoliam terram, myrtum, cum aceto adhibe.

Aliud Archigenis. Fici foliorum in umbra siccatorum, sulphuris, aluminis, æquales singulorum portiones, cum aceto illine. Aut fici foliorum drach IIII. nitri drach. II. alcyonij usti drach. II. cum aceto illine in balneo. Priuatim uero uitiligines nigras exacte tollit sandaracha cum dimidia sulphuris parte. Verum nitro præparatis hæc in sole illinito. At uero albis, atramẽti sutorij, æruginis, æquales singulorum partes, nitri duplum, absq; pinguitudine affricato. Aut canchryos, sulphuris uiui, adarces, æquales singulorum portiones, cum aceto affricato ac illinito. Quum autem resiccata fuerint, fricando abluito. Idem etiam ad leucas facit.

Ad stigmata, ex libris Archigenis. Cap. VII.

Stigmata. Matulæ quod inhæret STigmata exime si id quod matulæ inhæret cum acerrimo aceto illinas. Aut calcis uiuæ partem I. nitri tosti fului partem dimidiam, cum aqua in sole illinito. Vbi uero exulcerata fuerint, uelut ulcus ad cicatricem perducito. At Crito ad stigmata inquit, locum nitro præfrictum terebinthina integito, deinde deligatum ad sex dies sinito, septima uero die soluito, & stigma acu pergungito, & deterso paulatim per spongiam sanguine, tenui sale confricato. Deinde impositum medicamentum ad dies quinq; sinito, est autem hoc: Thuris, nitri, calcis uiuæ, ceræ, singulorum drach. IIII. mellis drach. VIII. postquàm enim exolueris, atramentum in medicamento reperies. Aliud ungentum. Piperis drach. II. rutæ drach. IIII. sandarachę drach. IIII. auripigmenti drach. I. Mellis quod satis est, loco nitro præparato illinito, & reliqua similiter ut in priore facito. Soluito autem per triduum, & atramento deterso, rursus illinito. Tollit enim inquit, in diebus uiginti, citra ulcerationem ac cicatricem.

Aliud cteticum appellatum. Thuris drach. IIII. nitri drach. II. atramenti sutorij drach. IIII. ceræ drach. VI. piperis drach. III. calcis drach. III. thapsiæ drach III. auripigmenti drach. IS. sandarachæ drach. III. mellis quod satis est. utere uelut superiore. Oribasius autem ait, Ranunculus herba imposita, aut capparis folia, stigmata eximunt. *Cauter frigidus* Si uero in alto sint, ac tolli non possint, & nõ multã cutẽ occuparint, frigido cautere crusta inducta tollito.

De pustulis. Caput VIII.

Pustulæ PVstulæ fiunt crassis humoribus in cute impactis, & magis adhuc si summa cuticula densa est. In quibus igitur etiam in profundo humorum copia subsistit, eos prius purgare oportet. Si quis enim non prius hoc facto, discutere aggrediatur, obturabit ipsos magis quàm euacuabit per cutem. Si uero profunditas sine superfluitatibus fuerit, per cutẽ ipsos euacuare oportet, & non procul distrahere, quod contingat si per uentrem, aut per uomitus euacuare uelis. Cæterùm curationem humorum cuti infartorum, per fomenta & calfactoria facere oportet, & præsertim ubi latæ pustulæ fuerint. Tales enim ex abunde frigido ac crasso humore generatæ sunt. Lauri itaq; folia tenera itemq; rutæ, utraq; pari portione terito, & manniam thuris cum oleo dilutam addito ac illinito. Aut betam teneram coctam tritam imponito. Aut ceræ drach. VIII. sulphuris tantundem, salis drach. VI. Arida terito, & olei cyatho dimidio affuso, omnia simul coquito, factoq; inde emplastro utitor.

A utitor. Cocturæ uero assidere oportet. ualde bonum est medicamentum.

De pustulis nocturnis. Cap. IX.

Pustulæ nocturnæ

PVstulæ nocturnæ ulcuscula sunt sua sponte enascentia, bullarum instar, subrubicunda, ex quibus ruptis subcruenta sanies defluit. Atq; hæc quidem interdiu non ualde infestant. Noctu enim dolorosa sunt magis quàm pro ulceris ratione. Silphij itaq; succum aqua dilutũ imponito. Siccat enim absq; morsu. Aut cicutam leuigatam impone. Aut brassicam crudam cum aqua Aut apium cum polenta tritum imponito. Aut hyoscyami folia cum melle trita. Aut solanum per se, & cum coriandro uiridi. Aut oleæ folijs coctis cum aqua utere. Aut uuas passas reiectis uinaceis tritas splenio infarctas impone. aut adiantum tritum cum melle. Vitare uero debent ne acria, acida ac salsa ingerant. fomenta item uitent, & balnea, & solem.

De papulis siue bullis. Cap. X.

Papulæ Bullæ

QVæ non sua sponte rumpuntur papulæ siue bullæ, & tamen dolore infestant, eas acuta acu perforare conuenit ad commodum saniei defluxum; Deinde humorem leniter exprimere, ita ut cutis præposita sinatur. Et si bulla repleta fuerit uulnusculo occluso, rursus similiter perforare oportet, & exprimere, & cutem adstrictam seruare, donec ad cicatricem perductum fuerit id quod sub ipsa est exulceratum. prius quàm igitur pustulæ erumpant, lentem coctam tritam cum aqua imponito. Aut mali punicæ uirgulta calido cinere tepefacta adhibeto, & locos torreto. Si uero eruperint, & ulcus fiat, adipem suillum liquatũ, & argenti spumã tritam misceto, & linteo infarcta imponito. aut lilij radicẽ in aqua coctã ac tritã, cũ cerato imponito.

Ad pustulas nocturnas & bullas.

Spumam argenti, & sulphur uiuum æquis portionibus, cum aceto & oleo myrteo, ad strigmentitiam spissitudinem trita, illines cum oleo & uino.
B Facit item & ad hæc, & ad calidas eruptiones, & ad papulas efferuentes, & ad achoras manantia capitis ulcuscula, & ad furunculos incipientes, & ad ambusta, medicamentum ex plumbagine, & quod ex ouis paratur.

Ad ambusta. Cap. XI.

Ambusta

AMbusta moderatè detergentibus medicamentis opus habent, citra hoc ut manifestè calefaciant aut frigefaciant. Proinde terra chia, & cimolia, & cretica, & omnis leuis terra, cum aceto non ualde acri, aut aqua ammixta, illita probè facit, & bullas excitari prohibet. Item ouum totum crudum e uestigio impositum, lana molli exceptum. Nam & moderatè perfrigerat, & citra mordacitatẽ resiccat. Sed & atramento scriptorio oblinito, aut thure aqua diluto, aut lenticula cocta trita, aut ouo integito. Cæterùm ad ambustiones ex aqua calida, prius quàm bullæ excitentur, oliuarũ muria conditarum aquam affundito, & ipsas oliuas cum polenta tritas imponito. aut alumen scissum tritum cum aceto illinito. Aut fel taurinum cum aqua larga liquatum illinito. Aut lixiuium affundito. Aut garo, aut muria perfundito, aut bulbos liliorum, aut hyacinthi, aut narcissi, cum rosaceo tritos, & ad strigmenti crassitudinem redactos illinito. At uero Marcellus compositum hoc tradit Panniculum melle imbutum, & in ordeo obuolutum exurito, et conijcito cineris eius drach. VIII. cerusæ drach. IIII. butyri drach. VIII. ceræ drach. XVI. adipis caprini drach. XVI. rosacei drach. XVI. Quòd si iam bullæ excitatæ fuerint, rhoẽm & polentam tritam cum aceto impone. Aut calcem uiuam cerato ammixtam, & linteo infartam impone. Quin & sphærion appellatum medicamentum ad hæc commodum est. Quæ uero ulcerata sunt, porro trito intege. Aut portulacam tritam cum polenta impone. aut columbinum stercus linteo inuolutum exure, & cinere eius oleo diluto utere, admirandum est medicamentum. Pinus quoque aut piceæ cortex, aut adiantum siccum tritum, aut myrti folia usta trita insperguntur. Faciũt singula hæc etiam cum cerato composita. Sed & quod anchusæ rubicundæ radicis siccæ, tusæ, tritæ trientem recipit, & ceræ albę dodrantem, rosacei un-

Marcellus medicus

cias XVIII. Itemq; quod ex cerusa cum modica medulla ceruina paratur, A
bonum est medicamentum.

Ad eos qui flagris cæsi sunt. Cap. XII.

Flagris cæsi

CErusæ & spumæ argenti æqualibus portionibus, ceræ quadrupla, cum susino aut rosaceo, uelut emplastro utere. Verum prima die susino solo per se utere. Aut croci drach. I. tragacanthi drach. I. ouum integrũ absq; testis, unitis utere. pellis ouilla recens detracta, calida adhuc flagris cæsis circundata, magis quàm omnia alia in una die ac nocte curat.

Vt pili ex ambustis nascantur. Cap. XIII.

Pilos ex ambustis producẽtia

PIli ex ambustis nascantur, si fici folia in olla torrefacta cum cerato emplastri uice imposueris. Aut caricæ drach. VIII. sampsuchi drach. I. tritis cũ oleo cerati crassitudine utere. Aut lapidum præsegminis drach. C. squamæ æris drach. X. cum aqua in pastillos efforma, & serua. Vsu uero expetente, partem unam ad octo cerati partes ammisce ac dilue.

Lapidũ præsegmina

Ad desquamata. Cap. XIIII.

Desquamatã

IN desquamatis ac superficiarijs ulceribus, primis diebus adstrictione usus, aut uino, aut aceto, aut acida muria, in sequentibus ad cicatricem inducendam utere emplastris pinguibus, & ex albis his quæ sunt delicata. Egregie uero facit hoc. Cerusæ partem unam, ammoniaci dimidiam, myrtei quod satis est. Ammoniacum in aqua terito, & cerusam ammisceto, myrteũ affundens, & utere pro pingui emplastro. Aut ad lapidũ præsegmina squamam æris ammisceto, & myrteo tritis utitor aut cimoliam & argenti spumam, cum uino & oleo cicino & myrteo terito ac utitor.

Ad desquamata, intertrigines, & diuturna ulcera, & senilem ac teneram cutem.

Spumæ argenti chrysitidis drach. L. ceræ drach. XX. resinæ, piceæ siccæ drach. XII. olei cyath. IS. Spumam argenti & oleum coquito, ac reliqua adijcito, & spathula agitatis, aut etiam in pila mollitis utitor. Cæterum desquamatam cutem detrahere non conuenit, sed inducere & imponere medicamentum. Sic enim agglutinatur, etiamsi denigrata fuerit. Si uero denudata fuerit caro, difficile est cicatricem inducere, dum mordetur & sordidũ est ulcus. At sine inflammatione conseruat desquamata rhus ruber impositus tritus cum melle. aut lentisci coma usta, & cum melle imposita. B

Ad desquamata, & flagris cæsos, & articulorum contusiones, medicamentum dolorem eximens.

Spumæ argenti, cerussæ, singulorum dextantem, ceræ sexuncem, olei puri aut rosacei lib. IS. amyli sextantem. facit ad eadem etiam pelatium ex recrementο argenti, & emplastrum ex ouis similiter.

De uerrucarum speciebus, formicaria, & ea quæ chordæ summæ parti similis est. Caput XV.

Verrucarum genera
Formicaria uerruca
Acrochordon.

VTraq; harum uerrucarum cutis eminentia est parua, callosa, & ut plurimum rotunda. Verum formicaria latum fundum habet, & si quis conscalpet, similem sensum inducit uelut à formicarum morsibus: altera uero acrochordon appellata, augustum fundum habet, ut si assimiles, summam chordæ partem dependere putes. Has igitur extuberantias tollit elaterium cum sale impositum: thus cum aceto: grossi ficus cum aceto, farina ac nitro: Fici liquor illitus, itemq; tithymali: smaridis caput salsum ustum: ærugo cũ sulphure uiuo usta: ocymi folia cum atramento sutorio: id quod destillat à sarmentis uitis uiridibus adhuc dum uruntur: ouilium stercus cum aceto: hirci fel illitũ: heliotropij magni semen cũ uino impositũ: ruta cum nitro & pipere: nitrũ cum urina pueri impubis: stercus bouis gregariæ cum aceto.

De Ganglio. Caput XVI.

Ganglium

GAnglium nerui cõtortio est, ex plaga aut lassitudine prouenieus, in pluribus quidem corporis partibus, maxime uero his quæ mouentur, uelut est summa manus, & pes. In hoc inquit Archigenes, calcem uiuam cum adipe anserino & terebinthina imposito. Polles autem medicamento ex

Polles medicus

Achate

A Achate lapide utitur. Oribasius uero hoc, Cerusæ, resinæ pinus, olei ueteris, singulorum unc. i. ammoniaci thymiamatis, galbani, singulorum unc. i. ceræ trientem: aut discum inquit, plumbeum crassiorem, ueluti sunt ucrticula, ganglio maiorem imposito ac deligato. Grauitate enim dissoluit ipsum per longius tempus. Sed & nos hoc utimur. facit etiam oxerum & mastichinum emplastrum. *Plumbeus discus*

De inflammatione. Caput XVII.

IN communi quidem omnes calidos & dolorosos cum ardore tumores, inflammationes appellare solent. Verùm prout diuersa est materia quæ ipsos efficit, etiam horum differentiam euariare aiunt. Nam ubi sanguis bonus, & crassitie moderatus, ad aliquam partem aceruatim influxit, & ob copiam impactus est, fieri eam quæ priuatim inflammatio appellatur. Si uero bilis flaua in aliqua parte consistat, herpetem. Vbi uero sanguis & flaua bilis simul influxerunt, erysipelas siue ignem sacrum effici. Quum autem influens sanguis calidus multum fuerit ac crassus, carbunculos producere solet. proinde ab ea quæ priuatim inflammatio appellatur mitiùm sumemus, quæ in multis sæpe contingit. Quæ tumor est rubicundus, dolorosus, renitens, & calidus, ex sanguine uelut dixi, bono ortum habens, qui quandoque ex toto corpore affertur, quandoque in ipsa parte redundat, ut à uasis continerí non possit, sed instar roris excidat in intermedios uacuos locos. Sed & ad ulnerationes sæpe, & ad fracturas, ulceraque ac plures alias extrinsecas causas, hæc affectio concomitatur. Postquam igitur derepente pars aliqua, citra manifestam causam prægressam, inflammata fuerit, totũ uero corpus ad partem demittit, totum euacuare oportet per uenæ sectionem. ipsam autem inflammatam partem irrigare, ac cataplasmatis integere, non calefacientibus ac humectantibus, sed his quæ id quod influit repellere possunt: & id quod in affecta parte continetur euacuare. Cataplasma igitur adhibere *Inflammatio in communi* *Inflammatio propriè* *Herpes* *Erysipelas* *Carbunculus*

B oportet ex semperuiuo, & mali punici corticibus in uino coctis, rhoeque ac polenta compositum. Si igitur dolor uehemens non est, hoc ad dolorem tendum est. Si uero cum maiore dolore pars fluxione infestetur, neque sic calida aqua, aut oleum adhibeatur, aut ex farinis cataplasmata. Inimica enim sunt hæc fluidis affectionibus. Verùm mitigare oportet doloris uehementiam, eo quod ex passo, fofaceo, ac cera modica paratur, cum lanis succidis multum œsypi habentibus. Excipiuntur autem & adhibentur hæc æstate quidem frigida, hyeme uero tepida, ita ut etiam superiores partibus affectis locos spongia uino austero imbuta aut frigida posca, circundemus. Admiscendæ uero sunt etiam herbæ in cataplasmata, quæ ad hoc commodæ sunt. Helxinæ igitur ad omnem inflammationẽ conuenit, tum in principio, tum in augmento. Similiter glaucium, atriplex, malua, lactuca & cucurbita, ad calidas imposita. Faciunt quoque tribuli ambo ad inflammationes ex fluxione. Brassica uero ad induratas, permutatione autem ex his contingente, & pure non subiacente, emplastro ex chalcitide curare oportet, aut simili aliquo ex his quæ ad fluxiones faciunt: lanam uero puram uino imbutam austero extrinsecus medicamẽto superimponere. Atque hoc quidem modo inflammationes ex fluxione curabis. Eas uero quæ ob aliquam externã causam constitunt, si humectes ac calefacias, non lædes. Et si quoque opus fuerit scarificare ipsas, cõmode hoc ipsum facies. At si ex fluxione obortas scarificaris, & præsertim in principijs, magni cuiusdã mali ægroto autor fueris.

De abscessibus corporis externis. Cap. XVIII.

SI fieri non possit ut suppurationem prohibeas, panem aqua & oleo coctũ imposito. Aut ordeaceam farinam similiter præparatam. Pars autẽ perfundatur aqua in qua althææ radix sit cocta. Vbi uero tumor ægrè suppurari, aut difficulter discuti poterit, cataplasmate ex caricis uteris. Oportet autem dulces ac pingues caricas coquendo eliquare in aqua, & simile fa cere aquam tenui melli, eique adijcere ordeaceam farinam. Et si quidẽ tumor *Abscessus externi*

 discutia-

discutiatur, uerum defectuosius, cum caricis coquito hyssopum, aut origanum. Et si amplius intendere uoles, salem ad decoctum adijcito, diligēti tamen animaduersione habita, ne propter uehementiorem resiccationē, pars in scirrhum induretur. Et si quando tale quid uideris, in aqua concoques cucumeris syluestris radicem, aut althææ, aut bryoniæ. Verum his fortior est, & maiore discussoria facultate prædita dracunculi radix. Sed & ipsum ex dracunculo medicamētum, talia fortiter discutit. Quandoq; igitur sola hæc decoques: quandoq; etiam caricas adijcies, farina quoq; cū adipe ammixta. Quin & anethinū oleum discutiendi uim habet, & crudos ac incoctos tumores concoquit. Pix quoq; duros ac crudos tumores omnes concoquit, si cataplasmatis adijciatur, & hoc amplius liquida facit. A

Medicamentum compositum, quod concoctos iam abscessus exprimit, ut sæpe plus in splenio reperiatur: non concoctos uero penitus discutit. Lapidis pyritæ drach. XII. ammoniaci triti tantundem, farinæ fabaceę drach. VI. excipe resina liquida, & pelli insarta impone. Splenium autem ne auferas donec sua sponte decidat. Cæterum non longe antea præparare medicamentum oportet, cito enim siccatur. Ex his uero tumor si non sit discussus, sed pus in ipso subsit, eo secto, & pure euacuato, de cætero oleum aut aquam adhibere uitabis. Imò etiam si abluiopus sit uulnus, aqua mulsa, & posca, & uino uteris, item q; uino mulso. Et si inflammatio adsit, lenticulæ cataplasma te: si non adsit, alio quopiam emplastro in talibus sectionibus utendum est, & nō minime eo quod ex chalcitide paratur. Super ipsa uero spongiam, aut lanam uino acerbo imbutam imponito. Vulneri uero nullum pingue medicamentum adhibeto, quale est id quod tetrapharmacū appellatur. Vehementer enim resiccari opus habet.

Quæ rumpant abscessus.

Abscessus quæ rumpant Quando quidem uero aliqui non sustinent ferro abscessus secari, conandum est ut medicamentis attractorijs utamur. Narcissi itaq; radicem tritam in aqua mulsa cum irino coctam impone. Aut arundinis teneram radicem tritam cum melle. si uero dura fuerit, aqua mulsa prius coctam. Aut aristolochiam cum melle impone. Rumpit autem picis siccæ, propolis creticæ æqualis portio, & cicatricem inducit. B

Dionysij emplastrum Dionysij emplastrum ad abscessus admirandum, & ad mammas ac glandulas tumentes attractorium, per obscuros meatus discutiens. Olei ueteris, aquæ, singulorum lib. I. coquito parum, & aphronitri sexuncem adijcito, milyos unciam unam, aut sextantē, & coquito donec non inquinet. Deinde addito mannæ thuris, ceræ, terebinthinæ, singulorum sexuncem.

Ad neruorum abscessus.

Neruorum abscessus Ceræ, colophoniæ, butyri, singulorum lib. I. picis siccæ, mellis, singulorum lib. II. æruginis quadrantem, uisci quod satis est. Facit item oxerum & Masticherum emplastrum.

Aliud attractorium. Ammoniaci thymiamatis sexuncē, ceræ, terebinthinæ, singulorum trientem, sulphuris uiui quadrantem, nitri quadrantem. Quin & similum appellatum medicamentum, & quod ex allijs paratur, uehementer rumpunt abscessus iam transmutatos. Quod uero ex seminis lini succo constat, discutit, transmutat, rumpit, iuxta aptitudinē. Verum ad mitiores abscessus, etiam conueniunt ea quæ ad parotidas relata sunt. Atque hæc quidem de abscessu ex inflammatione transmutato. Galenus autem dixit, aliquando neq; inflammatione prægressa abscessum oriri, ea uidelicet

Abscessus absque prægressa inflammatione quæ ex bono sanguine generatur. Statim enim ab initio inquit, ob aliā aliquem humorem quemcunq; tandem, excoriantur, & temporis progressu à subiectis abscedunt ea quæ illum côtinent. Itaq; etiam secta omnigenas humorum ac solidorum corporum species intra se habere uidentur. Nam & cœno, & urinę, & sanguinis grumo, & succo melleo, ac mucoso, & ossibus, & unguibus, & capillis similia corpuscula, in abscessibus reperiuntur: imò

etiam

A etiam animalia sæpe reperta sunt, fermè omnibus ex putredine ortũ haben
tibus similima. Sed & lapidibus, & arenis, & testis, & lignis, & carbonibus,
& luto, & strigmento, & amurcæ, & feci similia, in diuturnis maixme ab/
scessibus, ex humorum de loco ad locum impetuoso decubitu obortis, con
sistere dicit. Quapropter abscessuum corporis externorum maxime, notæ
perfectiores tradendæ sunt, & eorũ qui per medicamenta discuti nequeunt.
Abscessus itaq; est corruptio ac transmutatio carnium, aut carnosarum par *Abscessus*
tium, uelut musculorum, uenarum, arteriarum. Horum aliqui in tunica cõ/ *quid sit*
tinentur, uelut sunt Atheromata, Steatomata, Melicerides: aliqui sine tuni *Abscessus in tu*
ca consistunt, generis appellationẽ habentes, de quibus nunc agamus. Ab- *nica, sine tu*
scessuum generationem plerunq; inflammatio præcedit, de qua diximus. *nica*
Quandoq; uero etiam ab initio statim oritur, uelut paulò ante dictum est.
Sequitur ad abscessum, ardor loci uehemens, & maior tumor, magisq; q̃
antea rubicundus & durus, cum punctorio dolore, & pulsu ac grauitate, ut
quid ex parte pendere putetur. Quòd si etiã locus nobilis fuerit, febris quo-
que accedit, & rigor inordinatus, & noctu maxime dolent ac febriũt. quan
doq; etiam inflammatio ipsis excitatur in glandulis uicinis. Vbi uero per/
fectus factus est abscessus, pleraq; minuuntur. puncturæ autem pruriginosæ
fiunt, & paulatim stupidæ: & tumor fastigiatur magis in apicem acutum,
& ad tactum mollis est ac facile cedit: & superficies de apice detrahitur. di-
co aũt de his qui foras rumpuntur. Si igitur ex medicamentis, aut sua spon
te rumpantur, linamentorũ ductu curentur, pure particulatim euacuato: sin
minus, aperire oportet eo modo qui in chirurgiæ tractatione referetur.

De gangræna & carie. Cap. XIX.

QVum inflãmatio non discutitur, neq; in pus transmutatur, sæpe in gan *Gangræna*
grænam ac cariem transit, quare & de his dicemus. Gangrænas equi/
dem appellant mortificationes ob inflammationis magnitudinem, nõ iam
B factas, sed adhuc fieri pergentes. Et si quis non cito talem affectionem sanet,
affecta pars facile mortificatur, cuius pars uicinas corripit, & hominem oc
cidit. Quum uero corpuscula ita affecta penitus sensum amiserint, non am *Caries*
plius gangrænam, sed cariem ac corruptionẽ, græce sphacelum appellant. *Sphacelus*
Hic affectus etiam ossibus accidit, quũ circunsita ipsis caro uitiatos humo/
res saniosos generans, his perrigauerit illa, ac putrefecerit. Perfectè itaque
mortificatam partem celerrime resecare oportet, quo loco sanæ parti appro
pinquat. Gangrænam uero curare, sanguinem quàm plurimum ex affecta
parte euacuando. Aut enim uena secta corruptum sanguinẽ euacuare opor
tet, quum circa ipsam partẽ uena magna fuerit: aut tota cute multis ac pro/
fundis uulnusculis impactis diuisa, ita ut ubi sanguinem defluere permise/
rimus, aliquod medicamentum ex his quæ putrescentibus commoda sunt
imponamus. Sunt autem hæc, farina erui, aut lolij, aut fabarum, cum aceto
mulso. Si uero uehementius adhibere uelis, salem adijcito, aut pastillũ An/
dronis, aut aliquem similem. faciũt ad gangrænas etiam ueteres nuces. Re-
purgat autem ipsas urtica, & tithymali succus tempestiue & moderate ad/
hibitus. prodest ipsis etiam lupinorum amarorum decoctum affusum. Qui
dam uero post sectionem, securitatis sectionis gratia, etiam cauterem adhi/
bent, in quibus sale cum porri succo utendum est. postea autem ad crustam *Crustam re-*
remouẽdam, cataplasma ex pane, aut hordeacea aut triticea farina, in aqua *mouentia*
& oleo coctum imponatur. Item capitalis siccus pulullus cum melle. tetra-
pharmaco etiam ac Macedonico appellato utendum est. probe uero sepa/
rat crustas, panis cum apio tritus, aut cum ocymo. Aut iris, aurpanax, aut
aristolochia, aut acorum cum melle, aut thus. Aufert etiam probe crustas
Machærionis medicamentum, & Isis, melle excepta in linamentis. Verùm
in mollibus corporibus farina erui sufficit cum melle.

Ex Oribasij scriptis, ad gangrænas.

Aeruginis rasæ, minij, aluminis scissi, singulorum æquales partes aqua

rritas illine. Gangrænas circumscarificabit imposita farina foliacea, cum raphano & sale, quandoq; etiam aceto. uua passa exemptis uiuaceis, cum cortice, addito sale & aceto mulso. Nucum regiarum nucleus. myrti folia in uino cocta trita cũ melle. Raphanus cum aceto etiam crustas ad os usq; rũpit. A

De herpete. Cap. XX.

Herpes

Herpes adedēs

Herpes miliaris

FLaua bile citra alterius humoris ammixtionem secreta, in parte aliqua consistente, affectio Herpes nominatur. Et si quidem crassior fuerit compage, magisq; acris, totam cutem usq; ad subiectam carnẽ exulcerat, & uocatur Herpes adedens. Si uero tenuis, & minus acris, ac calida, bullas paruas in summa cute excitat milio similes, & Miliaris herpes ex similitudine dicitur. Verùm ex Oribasij sententia, pituitæ cum flaua bile mixtio miliarem herpetem facit. Euacuabimus igitur totum corpus per medicamentũ bilem ducens. Affectis autem locis frigefacientia ac siccantia medicamenta adhibebimus, ab initio quidem pampinos uitis, & rubi, ac plantaginis, in cataplasmate apponẽtes, postea uero lenticulam, huic; aliquando etiam mel ac polentam miscebimus. Itemq; cataplasma descriptum ad inflammationes ex fluxione, citra sempervini additionem. Vlcerata uero illinantur pastillis passo solutis, aut uino tenui & austero non ueteri, aut posca aquosa. Adhibeatur etiam glaucium, & huic similia ex aqua, aut hoc nihil efficiente, acetum ammisceatur. Sed & plantaginis succo, aut solani dilutũ magnopere prodest. Aut lini semen tostum, ac uino oleoq; coctum & tritũ imposito. Aut cimoliam solani succo dilutam illinito. Et spumæ argenti trientem, succi porri cyath. VII. succi betæ tantundẽ, trita illinito. Vbi uero diuturna iam sunt talia ulcera, idoneus est Musæ pastillus & Andronis.

Aliud ad herpetem bullosum. Recremento plumbi in uino austero trito ac illito, betæ folia in uino cocta supernè imposito. Aut ceræ trientem, myrtei sexuncem, recrementi plumbi trientem. uino tritum recrementum, reliquis liquatis cerato excipe, ac illine. Sedata autem nome depascẽte, cerato ex recremento utere, aut lente cocta cum melle intege. Ad herpetẽ uero qui sub cute est, recrementum plumbi rutæ tritæ succo excipe, aut cerato myrteo pro ruta. Aliud. Lanæ mollis non lotæ, circum tedam obuolutæ ac ustæ drach. XIIS. ceræ drach. XXV. recrementi plumbi acetabuli dimidiũ, adipis caprini curati & loti in aqua drach. XXV. olei myrtei quincuncem. Aliud ad herpetas uehementer depascentes. Malicorij mali punici dulcis drach. VI. spumæ argenti drach. VI. lanæ non lotę circum tedam obuolutæ ac ustæ drach. III. ceræ drach. XII. cerusæ drach. VIII. thuris, aluminis scissi, singulorum drach. I. uino & myrteo excipe. B

De igne sacro. Cap. XXI.

Erysipelas

Ignis sacer

TVmorem ex sanguine feruente ac tenui cõsistentem Galenus priuatim Erysipelas, hoc est ignem sacrum appellans, eum qui ex utrisq; sanguine ac bile conflatus est, ex superantis humoris nomine, ducta affectionis appellatione nominauit. Quum enim sanguis superat, inflammationem erysipelatodem: quum flaua bilis, erysipelas inflammatum appellat. In communi uero, tumorem ex sanguine ac bile calidioribus factis productum, erysipelas nominat. Vtro autem modo appelles non multum refert, ad auxiliorum sanè usum. Verum illud nosse expedit, operosiora esse erysipelata maxime circa caput. Quare si non efficax auxilium contingat, quandoq; etiam strãgulant. Statim igitur ab initio ubi cõparuerit, uenam in cubito secato, maxime quidem humeralẽ: sin minus, eam quæ inuenitur. Si uero ob aliquod impedimentum uenam nõ secemus, purgatione utendum est per bilem ducens medicamentum. Atq; hac quidem etiam in erysipelatibus aliarum partium utendum est, aut insessis per clysterem efficacioribus, illinendaq; erysipelata partim ut id quod influit repellamus per frigefacientia, partim ut id quod iam coacervatum est discutiamus, per moderate calefacientia ac humectantia, prius quàm liuida ac nigra pars fiat, ita ut ea quę illinuntur semper hu-

A per humida conferuemus, per hoc ut frequentius alterentur, atq; illud fieri poteſt, ſi per molles ſpongias prius illita abluantur. Multus enim partis feruor cito exhalare faciens, hæc reſiccat. Opus autem habent eryſipelata ab initio uelut dixi frigefacientibus cum humiditate, abſq; adſtrictione, uelut eſt ſemperuiuum, & portulaca, & pſyllium, lenticula paluſtris, ſeris, cucurbita, ſolanum, hyoſcyamus, lactuca, glaucium. Inſuperq; apium, & rhamni folia per ſe, aut cum pane impoſita, & cerata ex aqua ualde frigida. Miſcetur & opij quid iſtis, & ſucci papaueris, & cicutæ, & mandragoræ, & fiunt compoſita medicamenta. Fieri quoq; poteſt ceratum ex cera alba, roſaceo quadruplo ammixto, quod ex oleo crudo citra ſalem ſit paratum, ita ut hæc in pila emolliantur, & aquę frigidę affundatur quantum ſuſcipere poſſunt. Si uero etiam aceti tenuis ac pellucidi parū quid ammiſcueris, melius medicamentum efficies. Sed & polentę cum aliqua ex relatis frigefacientibus herbis, multum frigefaciunt, & palmulę pingues cum aliqua ex illis. Illini etiam poteſt pars ceruſa, aut cimolia, aut figulari terra, cum ſolano. Aut ſpuma argenti cum roſaceo. Aut chalcitide cum oleo & paſſo. Aut ceruſa cum aceto & lycio. Aut acacia cum aceto. Remittente autem feruore, utendum ſimplicibus quidem, ſulphure uiuo & menta, cum aceto & roſaceo. Aut iuta cum abſinthio, & aceto ac oleo. Aut ſpuma argenti cum porri & betę ſucco. Compoſitis autem, priuatim quidem ad caput hoc paſtillo. Spumæ argenti, ceruſæ, croci, ſulphuris uiui, opij, cum paſſo: In cōmuni uero ad omnes partes, minij ſinopici, chalcitidis, miſyos torrefacti, æruginis, atramenti ſutorij, aluminis ſciſſi, ſingulorum æquales partes, utere ex aceto.

Aliud. Sulphuris uiui, ceruſæ, opij, acacię, ſingulorum æquas portiones, cum aceto.

Cataplaſma ad eryſipelata, herpetas, abſceſſus, parotidas, & ambuſta.

B Foliorum recentis althææ tenerorum lib. I. in aceto coctam probe terito, & addito roſacei triente, ſpumæ argēti, ceruſſæ, ſingulorum ſextante, & uncia dimidia, rurſus terito cum coriandri, aut ſemperuiui, aut ſolani ſucco. deinde adiectis micis panis ut emplaſtri formā accipiat imponito. Emplaſtro uero utere hoc. Olei cicini libram unam, myrtei libram unam, ceræ quincuncem, ſpumę argenti trientem, æruginis raſæ ſextantem. Aerugo & argenti ſpuma aceto teruntur.

Ceratum ad eryſipelata & ambuſta.

Ceræ albæ trientem, roſacei quadrantem, oua ſex, perdiciadis trientem. *Ambuſta* poſtquàm uero ceſſauit inflāmatio, aut diuturna fit, antea quàm liuida pars fiat, cataplaſma ex cruda ordeacea farina imponito. Si uero iam liuida facta fuerit, ſcarificetur, & cataplaſmata diutius imponatur, & perfundatur aqua calida dulci, aliquando etiam marina, aut muria. Quandoq; etiam cataplaſmati eadem ammiſcetur. Poſtea uero relatis compoſitis utendum eſt cum animaduerſione: Nam ſi diutius permaneant, in pus aut putredinem tranſmutatio contingit.

De tuberculo, bubone, & pano. Caput XXII.

EX Galeni ſententia bubo, & tuberculum, & panus, glandularum affectiones ſunt. *Bubo* Bubo quidem inflammatio. *Tuberculum* Phygethlon autē id eſt panus, *Panus* eſt glandulæ eryſipelas inflammatum, aut inflammatio eryſipelatoſa. *Phygethlon* Tuberculum uero ad ſuppurationem citò tendens glandulæ inflammatio. Verum iuxta alios quoſdam, in communi omnes qui præter naturam in quacunq; parte enaſcuntur abſceſſorij tumores, tubercula appellantur. Dicit enim Hippocrates, Quibuſcunq; tubercula in urinaria fiſtula enaſcūtur, his ſuppuratione ac eruptione facta, ſolutio contingit. Qui igitur ex offenſionibus, aut alijs ulceribus, aut doloribus proueniunt bubones, extra periculum ſunt. Qui uero ex febribus, qui ſanè maximè in peſte coincidere ſolēt, *Bubones in peſte* peſſimi exiſtunt, ſiue iuxta fœmur, ſiue ſub alis, aut ad collum enati fuerint. Verum priores in principio, uelut omnem inflammationē, per frigefacientia ac

tia ac

tia ac adstringentia auxilia repellere oportet, aut spongijs ex posca impositis, aut lanis ex uino ac oleo crudo, aut rosaceo, aut melino, aut lentiscino, aut myrteo. Deinde discussorijs utendum est. Si uero etiam totũ corpus humoribus redundet, antea euacuetur. At si nihil superflui habeat, ulceris quidem ex quo bubo factus est, curam habebimus, uelut in tractatione de ulceribus dicetur: glandula autem inflammata mitigetur lanis in oleo quopiã laxatorio imbutis. Sed & totum membrum ex ipsis obuoluendum est. Suppuratus autem tumor non promptè dissecetur, sed ceratiformibus medicamentis discutere ipsum conemur, quale maxime est id quod ex apyrano paratur, & quod ex herbis constans, botanicon appellatur. Quòd si discussio non contingat, ad ruptionem procedendum est, similiter ut in alijs abscessibus, & curandum uelut illi. Caeterùm in his qui ex febribus, aut simpliciter ex humorum copia fiunt, repellentia uitanda sunt, ut ne dum repellitur materia ad profundum recurrat, statim uero à discutientibus incipiendum est. Quòd si nihil prohibeat, uelut aetas, aut uires, uenae sectio prius in cubito assumatur. In loco uero utendum est fomẽtis ex decocto chamaemeli aut anethi, aut alicuius consimilis. Reliqua uero medicamentorũ materia maxime quidem ex his quae libro tertio ad parotidas relata sunt transferatur, nec minus ex his quae paulò ante ad inflammationes dicta sunt. Quẽadmodum etiam panorum curatio, tum ex his, tum ex relatis ad erysipelata, instituenda est. *Aster Atticus.* At uero Aster Atticus herba, quam etiam bubonium ob hoc ipsum uocant, *Bubonium* non solum imposita, sed etiam alligata, bubonibus auxiliari creditur. Tubercula uero priuatim discutiunt in cataplasmate imposita, adiantũ, atriplex, helxine, althaeae radix in uino cocta, ammoniacũ cum melle mollitum, ac impositum, uiscum cum resina ac cera. Rumpit autẽ propolis, lupini amari cum aceto impositi, cucumeris syluestris radix terebinthina excepta, capparis radix similiter, nitrum cum fermento aut ficubus.

A

De furunculo. Cap. XXIII.

B

Furunculus ET furunculus tumor est abscessorius, ex crassis humoribus in carnosis maxime locis conflatus, mitis quidem quum in ipsa sola cute consistit, malignus autem quum ex ampliore profunditate emerserit. Discutiunt furunculos & concoquunt haec. Triticum commansum ac impositum, mastiche Aegyptia, uuae passae reiectis uinaceis cum sale tritae ac impositae, aut diffundunt, aut rumpunt. Aut caricas coctas in aqua mulsa imponito. Aut ammixtam ad caricas resinam imponito. Aut ipsas caricas, si pingues fuerint, fissas. Aut fermentum cum nitro. Aut lini semen cum melle. Aut hyoscyami folia trita cum butyro. Composita uero, id quod ex fermento paratur, & quod ex polline, & quod priuatim dothienicum à furunculis appellatur, conueniunt. fomentum autem adhibe ex mollibus spongijs, assiduè in calidam aquam tinctis, atq; sic medicamenta imponito.

De terebintho. Cap. XXIIII.

Terebinthus ORibasius terebinthum tuberculi speciem esse dicit, & incumbere ipsi superne bullam siue pustulam nigram, qua rupta id quod subiacet desquamato simile uideri, hoc uero dissecto, pus reperiri. *Dioscorides Alexãdrinus* Verùm Dioscorides Alexandrinus ait, terebinthi sunt eminentiae in cute consistentes, rotundae, cum pallido uirore nigricantes, terebinthi fructui similes. Hos igitur eodem modo uelut alios tuberculosos tumores curare oportet, auxilijs ex relatis huc translatis.

De carbunculo. Caput XXV.

Carbunculus SAnguine magis atrabiliario euadente, ubi ebullijt, & ad partẽ aliquam irruit, carbunculos appellatos oriri contingit: qui sunt ulcera crustosa, plerunq; à pustula siue bulla ambustis simili initium sumentia, aliquando etiam sine hac. Et exscalpunt sani affecti omnino in principio ipsam partẽ. Deinde quandoq; una, quandoq; plures pustulae emergunt, milij speciem praeferentes sua tenuitate, quibus erumpentibus similiter crustosum fiet

ulcus, simi-

A cus, similiter ueluti ferro candente, crusta ipsa modò cinerei coloris, modò nigri apparente, ut cum hoc quòd fundo adhæret, & quodammodo affixa est, cum depastione proserpente. Reliqua uero caro, circumsita ualdè flammea ac nigra colore fit, & splendicans ueluti pix & bitumen. Talis autem est exactè atra bilis. Verum carbunculi circa carnem oborti, breui circunscribuntur. Qui uero in membranis aut neruis fiunt, diutius permanēt, & affectionem per consensum subiectis locis distribuunt, ut etiam inflammationes erysipelatosæ ipsis fiant. Non paucis autem ad suppurationē conuersi sunt, plerisque etiam febres adsunt. Oriuntur etiam ex quibusdam populoribus causis carbunculi. Curare igitur ipsos oportet, nisi ualdè paruisue sint, per uenæ sectionem, sanguinis euacuatione ad animi deliquium usque facta. Scarificare etiam post uenæ sectionem non incommodum est, profundioribus uulnusculis impactis, ob humoris crassitudinem. Ad locum autē affectum moderatè repellentibus ac discutientibus utemur. Tale autem est cataplasma ex plantagine ac lenticula cocta, cui panis clibanitæ neque ualdè puri, neque sordidi, micæ teneræ sint adiectæ. Super ipsum uero ulcus ex uehementibus medicamentis aliquod imponemus, uelut est Andronis, & Polyidæ, & Pasionis pastillus, diluantur autem passo ad stigmentitiam compagem. Sed & Massaliotæ pulusllus siccus, aut etiam ipse similiter dilutus facit. Radix quoque dracunculi, aut aristolochiæ, aut succus silphij aut cyrenaicus, singula cum aceto rectè illini possunt. Quæ uero ignis sacri speciem præferunt, ad erysipelata relatis illinantur. At quæ partes de affectione per consensum suspectæ sunt, lanis succidis ex uino & oleo irrigentur. Postquam uero quieuit ardor, cerata capitalia diluta, linamentis excepta, carbunculis immittantur. Maximè autem bonum est id quod ex herbis, & quod ex nitro paratur, & puluillis sicci nomis dicati, tum per se, tum cum rosaceo. Permanente uero duricia utendum est Melino Serapionis. Studendum tamen

B est ut quàm citissime carbunculi suppurentur, ita ut bis in die, semel noctu, cataplasmata ac medicamenta alterentur. Cæterùm ut eradicentur carbunculi, & à coniunctione cum uicinis adiacentibus exoluantur, mala punica acida concisa in aceto coquito, & flaccida terito, ac linteo infarta imponito. Vbi uero resiccantur, aceto madefacito. Carbunculos suppurat ac rumpit nucis regiæ ueteris nucleus, aut etiam non ueteris: cupressi folia ac germina, & recētes ac teneræ pilulæ cum polenta: uua passa uinaceis reiectis: caricæ in uino coctæ: papaueris cornuti flores: succus silphij cū ruta & modico melle: pix liquida cum uuis passis & suillo adipe.

Carbunculorū causæ populares

Ad carbunculos ualdè bonum.

Spumæ argenti lib. I. olei ueteris lib. I S. auripigmenti unc. I. Spumam argenti & oleum coquito donec non inquinent, & sublatis auripigmentum adijcito, ac rursus coquito donec nigrum medicamentum euadat, & in pila trito utere linamentis illito.

Ad gangrænas, ulcera uetera, chironia, choeradas siue strumas, podagram, feliciter uero ad carbunculos, & præsertim in palpebris.

Chironiā ulcera Struma

Opij, acaciæ, misyos torrefacti, squamæ æris, singulorum drach. II. atramenti sutorij drach. I. seminis hyoscyami drach. I. tritis in aqua utere. facit etiam probe inquit, tetrapharmacum emplastrum, quintam thuris partem habens. Ad carbunculos autem in pudendis, chalcitidis, atramenti sutorij, singulorum drach. VIII. aphronitri drach. II. cum aqua tritis utere. Facit quoque stercus ouillum torrefactum cum melle. In Alexandria, Serapiadę, quæ & orchis, & triorchis nominatur, uiridi cum micis panis utuntur, uelut cataplasmate, ad carbunculos & omnia crustosa. Crusta uero elapsa, uelut commune ulcus curato.

Serapias Orchis Triorchis

De cancro. Caput XXVI.

IN omni corporis parte cancer nasci solet. Nam & in oculis, & in utero, uelut in tractatione de ipsis dictum est, & in alijs pluribus partibus: Verū in mammis

Cancer.

mammis mulierum maxime abundat, eo quod laxæ sunt, & materiam quæ A
crassissima est promptè suscipiunt. Ex atra enim bile efferuente cancri pro/
ducuntur. Et si acrior fuerit, cum exulceratione. Quapropter colore nigrio
res sunt inflammationibus, citra tantam caliditatem. Venæ uero replentur,
& circumcirca tenduntur, ad similitudinem pedum cancri animantis. Vn/
Cancer ab animante appellatus de etiam hanc appellationem morbus habet. Quidam uero propterea quòd
ita partibus adhæreat, ut ægrè auelli possit, si quas apprehenderit, nomina/
tum aiunt, quemadmodum etiam animal ipse cancer. Verum ob humoris
huius crassitudinem, etiam incurabilis est cancer, ut qui neque repelli, neque
discuti possit, neque totius corporis purgationi cedat, quum sanè etiam miti/
ora medicamenta imposita contemnat, & à fortioribus exasperetur. Fieri ta/
men potest ut incipientes canceros augeri prohibeamus, atrabiliarium hu/
morem euacuantes, prius quàm in affecta parte confirmetur. Euacuabimus
autem primum, si nihil prohibeat, per uenæ sectionem, deinde per purgati/
Epithymi dosis onem, ab initio ex simplicioribus, quale est epithymum, quod quatuor dra
chmarum & dimidiæ pondere, ex sero lactis aut aqua mulsa damus. postea
uero ex hiera, quæ nigrum ueratrum recipit. Ad locum uero affectum ulce/
ratum, absque offensione adhibitus facit solani succus, linteo molli duplica/
to in ipso tincto ac imposito. Oportet autem foris insecus supra illud lanam tene/
ram circundare, quæ ipsa succo sit imbuta, & diligenter prouidere, ne illa re/
siccentur, ita ut frequentius succum affundamus. Poterit autem in ulceratis
canceris, diuturnius quis uti medicamento ex pompholyge. Neque inepta sunt
ea auxilia, quæ libro tertio de uteri cancris sunt relata.

Ad cancrosa & maligna, & ad rugosa sedis ulcera. Itemque ad inflammationes in pudendis, ut testibus, aut mammis.

In plumbea pila, plumbeo pistillo, terram lemniam sphragidem appella
tam, cum posca & aqua mulsa, aut lacte, terito donec nigrescat. Aut rosa/
ceum, aut crudum oleum, aut semperuiui succum, aut cotyledonis, aut la/
ctucæ, aut psyllii, aut uuæ acerbæ, similiter terito ac illinito. Victu uero uta B
tur æger, ptisanæ succo abunde, & lactis sero: & ex oleribus malua, atri/
plice, blito, & cucurbita, piscibus item petrosis, & uolucribus omnibus,
exceptis palustribus.

Archigenis ad cancrosa ac maligna ulcera.

Cancrorum fluuialium ustorum, & cadmiæ, utriusque æquales portio/
nes tritas inspergito. Aut cancrorum cinerem cum cerato imponito. Aut
erysimi semen tritum cum melle adhibeto.

De tumore laxo. Caput XXVII.

Tumor laxus Quum de tumoribus ex calidioribus humoribus conflatis tractauerii/
mus, rursus de contrariis agemus, initio à tumore laxo accepto. Quem/
Oedema admodum enim ex biliosa fluxione erysipelas, sic ex pituitosa œdema ori/
tur, qui tumor laxus est citra dolorem. Nouimus autem etiam aliter tumo/
res laxos fieri circa pedes, in affectionibus aquæ inter cutem, & tabe, ac ma
lo corporis habitu. In illis igitur tumor is laxus symptoma accessorium est
ad affectionem eam quæ hominem detinet, nullam priuatam curationem re/
quirens. Sufficit enim si modo quid facere uelis, confricare crura, aliquan/
do cum aceto & rosaceo, aliquando cum oleo ac sale, aut etiam ad ipsum a/
cetum & rosaceum sale iniecto. Si uero ob pituitosi humoris influxum, la/
xus tumor in parte aliqua constiterit, satis est aliquando spongiam aceto im
butam imponere, cum deligatione leniter adstringente, ex infernis partibus
initium habente, & ad supernas desinente. Verùm nouam spongiam esse o/
portet. Si uero talis nõ sit, eam quæ adest expurgare oportet cum nitro, aut
potius cum lixiuio. Quòd si ex his tumor non subsidat, parum quid de alu/
Ellychnium mine ammisceatur. Commodum est etiam tenerrimũ ellychnium eiusmo/
di humore imbutum ac impositum. Bonum est etiam glaucium. Incuratum
autem laxum tumorem curabis, si oleo parti perillito, deinde spongiam li/
xiuio

A xitio imbutam imposueris, ac uiolentius adstrinxeris. Discutit autē & ad-stringit tumores laxos, omnis terra illita, & magis Aegyptia, & illa sis satiua.

De inflatione. Caput XXVIII.

Spiritu flatuoso quandoq; sub cute, quandoq; sub membranis ossa circundantibus, aut musculos ambientibus, congregato, inflatio oritur. Colligitur etiam aliquando circa uentrem, & intestina, & inter hæc, atq; peritonæum membranam, in hydrope tympanite appellato. Et differt sane à tumoribus laxis, & quòd non in cauam ueluti foueam cedat, dum premitur, uelut illi, & quòd sonitū edat, quemadmodum tympanū. Ad hoc uero quòd spiritus non difflet ur, corporum densitudo cooperatur, unà cum hoc quòd etiam ipse spiritus sit crassus. Vnde etiam curationis scopus est, corporū rarefactio, & crassi spiritus attenuatio, quæ per calida ac tenuium partiū medicamenta perficitur. In inflationibus igitur circa uētrem ac uiscera, oleum tenuium partium hoc efficit, in quo ruta sit incocta, aut cuminum, aut apij semen. Quandoq; etiam cucurbita magna citra scarificationem, iterum atque iterum circum umbilicum apposita discutit. Si uero musculi ob contusionem, quemadmodum ex pulsationibus, inflati fuerint, partes ualde calida & acria ægrè ferunt. Quare ab initio in mitigantibus perseuerare oportet. declinatione uero contingente, in discutientibus. Vtendum itaq; est sapa cum modico oleo, lanis succidis excepta, aut etiam cerato ex œsypo ammixto. Et cura adhibenda quo caliditas permaneat, nam frigiditas non conducit. Postquàm uero mitigatio facta est, acetum ammisceatur, & nitrū aut aphronitrum, & postea etiam lixiuium. postremū autem emplastra discussoria adhibenda sunt, usq; ad perfectam mali depulsionem. quale est & subiectum. Strigmenta ferruefacta primum ut pura fiant excolato, ac rursus in ollam iniicito, & tritam calcem usuam instar farinæ inspersam infercito, donec luti spissitudo fiat, ac utitor. Hoc uero efficacius est compositum ex sy-

B comoris medicamentum.

Ad luxata & contusa. Caput XXIX.

AD luxatos ac contusos articulos faciunt lanæ succidæ, aut spongia aceto & oleo imbuta ac imposita. Bulborum coctorum teneræ partes cum melle, uiticis folia, & sal, & nitrum tostum tritum cum cerato. Vtere item perfusione aquæ dulcis, aut marinæ calidæ. post sedatam autem inflammationem ac dolores, etiam desiccatione luxatarum partium utere.

De carne contusa & sugillatis. Cap. XXX.

CArne ab aliqua graui re illapsa contusa, & paruis in ipsa uenulis discretis, sanguis profunditur iuxta persultationis modū. Vnde sub cute collectus, sugillationem siue effusi sanguinis suffusionem appellatam efficit, & & cute non diuisa, uelut tumor ad contactum mollis ac cedens sequitur, liuidus ille & plerunq; sine dolore. Scopus igitur nobis est, ut cōtentum sanguinem discutiamus, atq; hoc breui prius quàm nigrescat. Ab initio uero etiam de adstringentibus aliquid ad discussoria ammiscere oportet, eo quòd tunicæ uenularū contusæ densari expetant. Postea uero etiam citra adstringentia, solis discussorijs utemur. Sed & sugillara ab initio scarificantes, hoc modo deinceps curationem adhibemus. Verùm ad uetera sugillata raphanus impositus facit. Tollere autem ipsum oportet, quum mordere incipit. Aut raphani succus cū micis panis adhibitus. Species porrò sugillationis sunt suffusiones effusi sanguinis, sub oculis contingentes, hypopia ac hypo sphagmata appellata. Itemq; sanguinis sub ungues decursus, ex plaga contingens. de quibus in proprijs locis dictum est tertio libro. Verū de his quæ in unguibus fiunt, etiam in chirurgiæ tractatione dicetur.

De ruptione ac uulsione. Caput XXXI.

RVptiones omnino quidem cum sanguinis suffusione fiunt. Sanant aūt ipsas medicamēta moderatè calefacientia. Tale uero est acopon ex populo alba paratum, & quæ huic similia existunt. Verùm in ruptionibus in

P profun-

Inflatio
Tympanites
Luxata
Contusa
Caro contusa
Sugillatio
Sugillata
Hypopia
Hyposphagmata
Ruptio
Vulsio

profunditate corporis, acriora & maiore secandi ui prædita medicamenta A adhibere oportet. Commodus est talibus etiam cucurbitę usus. Si igitur sta tim discussus fuerit sanguis suffusus, facile concrescit quæ dissparata. Si ue ro diu durauerit, & sordes succreuerit, fieri non potest ut de cætero ruptio concrescat, sed labra solum inter se apponuntur, ita ut ex leui occasione fa cile rursus dispareantur, & intermedius ipsorum locus humiditate quadam impleatur, & quodam modo assiduè sanguinis suffusio fiat, similis ei quæ ab initio facta est, præterquàm quòd citius quàm illa discutitur, ut quę tenuem serosum humorem contineat, quum illa ab initio ex sanguine fuerit confla ta. At ubi lio sit, fibris quibusdam diuulsis, & sola mitigatione opus habet, usq; ad doloris sedationem. Non enim glutinari possunt. Aristolochia itaq; rotunda, si quid aliud, ruptis ac uulsis commoda est. Similiter centaurij ma gni radix, & ipsius succus. Rheon item, & costus, & bdelliū, cū aceto mulso (pota.

De scirrhis. Cap. XXXII.

Scirrhus. Scirrhus exquisitus, tumor est præter naturã, sensus exors ac durus. Qui uero exquisitus nõ est, ægrum sensum habet. Et qui quidem sensus exors est, incurabilis est. Qui uero ægrum sensum habet, non quidem incurabilis est, nõ tamen facile curatur. Fit enim à uiscoso ac crasso humore, qui ita par tibus scirrho affectis impactus est, ut ægrè auelli possit. Aliquãdo igitur sta

Medici scirrhos inducentes. tim ab initio consistit ac augescit, plerunq; uero à medicis efficitur, qui in flammationes & ignes factos perrefrigerant ac adstrinxerūt. Si igitur quis uehementer discussoria medicamenta corporibus in scirrhum induratis ad hibeat, etiamsi manifestam scirrhi imminutionem fecerit, tamen breui tem pore affectionis reliquias incurabiles efficiet, tenuiore quidem humiditate discussa, reliqua uero resiccata, & ueluti lapidea facta. Oportet itaq; discus sorium medicamentum habere aliquid etiam mollitorium, absq; hoc ut ue hementer calefaciat ac resiccet. Tales autē sunt medullæ omnes, & præser tim ceruina ac uitulina. Ex adipibus uero leoninus, ex pardali item ac ursi nus. Deinde taurinus. De uolucribus autē anserinus, & gallinaceus ac pha sianinus. Siccior autem est caprinus ac hircinus. Et ad hæc, ammoniacum thymiama, & bdellium maxime Scythicum, & styrax liquidior ac pinguis, & mastiche Aegyptia. Si quidem igitur aliæ partes in scirrhum induratæ fuerint, semper his per se utendum est, & medicamentis quoq; ex ipsis com positis. Verum in tendinibus ac ligamentis, lapidem igne candefactum a

Pyritæ candefacti usus. cerrimo aceto extinguere oportet. Sit autem lapis pyrites, si haberi potest, sin minus, molaris. In hoc affectam partem commouere oportet, quo exha lantem uaporem suscipiat. Et postea rursus mollitorium imponere medica mentum. Oleo tamen tenui ab initio, nõ aqua, partem perfundere oportet perpetuò singulis diebus, ita ut aliquando etiam althææ, aut cucumeris syl uestris radicem, in oleo incoquamus. A' balneo uero in totū ipsis abstinen dum est, aut saltē à frequenti. Vbi uero scirrhus moderatè fuerit emollitus, ammoniacum pinguissimum acerrimo aceto dilutū parti illinimus ad mul tos dies, post quos rursus mollitorio utendum est, quod galbanum & opo panaca pinguissima recepit. Talia autē maxime sunt, id quod ex perna fit, & Amythaoni inscriptum, itemq; medicamenta ad strumas describenda.

De strumis. Caput XXXIII.

Strumæ. Strumæ sunt glandulæ in scirrhum induratæ, circa collum, & alas, ac in guina maxime consistentes. In communi igitur ad relatam scirrhotū cu rationem referuntur. Priuatim uero lupinorum amarorum farina ex aceto mulso cocta imponitur, quæ etiam ad tubercula facit. Aut bubulū stercus aceto coctum imponito. Hoc etiam in scirrhum induratos tumores omnes discutit. Probe uero strumas discutit, calx melle aut strigmento, aut oleo, aut adipe porcino excepta. Aut calcis & nitri æquales partes, nasturtij & fœni græci quadruplum, cum melle ueluti malagma imponito. Hoc duras discutit, in pus transmutatas rumpit. Item loliacea farina cum columbino

stercore,

A stercore,& lini semine,in uino cocta. Grossi syluestres ac domestici. aut nasturtium album tritum cum pice liquida malagmatis forma imposito. Aut cucumeris syluestris radicis sicce, & lauri foliorum siccorum ustorum cinerem cum terebinthina imposito. Aut staphidis syluestris, nitri, utriusq; æquales partes, erucæ duplum, cum resina imposito. Aut stercus caprinum seu bubulum in aceto coctum. Aut erui farinam in urina pueri impubertis maceratam,& pice ac cera & oleo liquatis exceptam. Aut serpentem mortuum in ollam coniectum gypso oblitam, in fornacem mittito ut exuratur, & cinerem ipsius ad æqualem fœni græci partem ammisce eo,& melle excepti utitor. Sed & ex aspidibus medicamentum admirandum est, & quod ex herba lanaria paratur, & quod ex cucumere syluestri, & quod ex cedria. Strumas suppurat aut diffundit hoc. Myrrhæ drach. x. ammoniaci thymiamatis drach. II. uisci quercini drach. VIII. galbani drachmas IIII. propolis drach. I. in mortario contunduntur. *Serpentis usti cinis*

Ad strumas ac duricias mammarum.

Visci elaborati, resinæ siccæ, ceræ, singulorum lib. I. galbani quadrantē.

Ad strumas ulceratas & non ulceratas.

Ceræ, resinæ pinus, adipis porcini insulsi, marrubij, æruginis rasæ, singulorum sexuncem. Aliud ad strumas. Olei ueteris lib. II. ceræ lib. I. colophoniæ trientem, nitri trientem, allij capita XII. Allij nucleos decorticatos in oleo ad triduum macerato. deinde donec torrefiant coquito, atque ipsos quidem abijcito, ubi uero ea quæ liquari possunt liquefeceris, postquàm ab igne ablata sunt, nitrum tenuissimum inspergito. Hoc etiam abscessus rumpit. Aliud. Cineris ficulni sextantem, aluminis scissi unciam unam, aphronitri unciam unam, picis liquidæ septuncem.

Erosionum strumarum.

Aluminis scissi, sandarachæ, utriusq; drach. IIII. squamę æris drach. I. au
B ripigmenti drach. I. Siccum hoc strumis inspergito. Si uero cancrosæ fuerint, rosaceo subactis bis in die utitor.

De steatomatibus & atheromatibus ac meliceridibus. Cap. XXXIIII.

QVum abscessuum generis & hæc sint, uelut in illis diximus, appellationem singula propriam adepta sunt, à similitudine contentarū in tumoribus essentiarum. Est enim quædam ipsarum uelut adeps, quædam uelut mel, & quædam pulti similis. Scopi uero curationis communes sunt, ut id quod continetur discutiamus, aut erodamus, aut in totū exscindamus. Quidam igitur tumores tribus scopis subiacent, qui quidem tenuiorem humorem habet, uelut Meliceris. Aliqui duobus tantum, uelut Atheroma. Nam ut & exscindamus, & erodamus hoc, fieri potest. Verum steatomata per solam chirurgiam curantur, quum neq; erodi, neq; discuti possint. Singulorū autem horum dignotionem in chirurgiæ tractatione reperies. Eorum uero quæ discutiuntur, in strumarū tractatione materiam habes. Priuatim autem Melicerides discutit hoc. Vuas passas uinaceis reiectis XX. squamæ æris drach. III. fomento prius adhibito impone. Aliud. Ladani, bdellij, galbani, ammoniaci thymiamatis, propolis, terebinthinæ, singulorum æquales partes in mortario tunduntur. Facit & ad strumas, parotidas, furunculos, tubercula. Archigenes autem ad melicerides inquit, aphronitrū & uetratri duplum, cum cerato duro imposito. At uero erosionum usus circunsita cute cōtingere non potest. Oportet igitur & melicerides, & atheromata, aut etiam strumas, prius cute nudare, atq; hoc per ustoria medicamenta. Ex quorum numero simplicius est id quod recipit calcem uiuam, saponem, ac lixiuium. Variegatius autem & quod repositum seruari potest, hoc est. Calcis drach. IIII. fecis uini ustæ, nitri rubri tosti, singulorum drach. II. mini drach. I. terito cum lixiuio. & ad mellis liquidioris crassitudinē redacta, ter feruefacito, ut quodam modo compagem acquirant, & in plumbea pyxide reponito, lixiuium instillans, ut ne breui resiccetur. Facit & ad uerru- *Steatomata Atheromata Melicerides* *Vstoria medicamenta*

cas summæ chordæ similes, & ad formicarias appellatas, pterygia, clauos, callos, cicatrices pręminentes. fex autem uini non sit duobus mensibus antiquior. Ex hoc cutem illinito, & ubi siccari inceperit, spongijs abluito, ac rursus illinito, & ubi cutis nigrefacta fuerit, rursus abluito, ac crustam inducentibus illinito. Crusta uero elapsa, erodentia adhibeantur. A

Erosiuum mordacitatis satis exors.

Erosiuum non mordax Squamæ æris drach. IIII. sandarachæ drach II. ueratri nigri drach. II. utere cum rosaceo. Aliud. Squamæ æris, sandarachæ, seminis urticæ tosti, æqualibus partibus singulorum cum rosaceo utere. Aliud. Erinaceorum ustorum, testæ sepiæ, auripigmenti, æqualibus partibus cum rosaceo utere. Verum circumsitas partes omnes cerusa cum oleo illine. Bonum est & hoc. Calcis non præparatæ partes duas, chalcitidis partem unam, auripigmenti partem unam.

De fauo. Caput XXXV.

Fauus FAuus tumor est in cute habens perforationes, per quas melli similis humor excernitur. Imponendæ igitur sunt ipsi uuæ passæ cum ruta, aut fici tenerrima folia cum melle. Aut nasturtium cum lini semine ac melle. Aut cucumeris satiui radix cum melle. Aut sulphur uiuum cum cerato uel terebinthina. Variegatiorem uero curationem facies, si quæ libro tertio de achoribus relata sunt huc transferes.

De simplici ulcere. Caput XXXVI.

Vlcus simplex QVandoquidem simplex ulcus diuisio solum est, si quis diuisa cōtrahat ligamento circumdato, coalescent disparatæ partes, citra ullam aliā opem. Oportet autem ubi circa alterum solum labium ulcus fuerit in obliquum euersum, illinc deligationis initium facere, & ad contraria conuertere. *Deligatio ex duobus initijs* Si uero circa ambo labia euersum ulcus fuerit, deligationem ex duobus initijs adhibere oportet, atq; ita labia adducere. Si enim nihil inter labia coinciderit, uelut est pilus aut arena, aut oleum, aut sordes, aut eiusmodi quiddam, ulcus omnino coalescet. At si magnum fuerit ulcus, ut disparata omnino cōtrahi per deligationē non possint, suturis primū ipsa cōtrahere oportet. deinde ita deligare, & glutinatorijs appellatis auxilijs uti, quę et collectā humiditatē resiccare ac cōsumere possunt, & ne alia influat prohibere.

Quæ glutinare possunt ulcera. Cap. XXXVII.

Glutinantia ulcera QVercus folia imposita, salicis & brassicæ & chamelææ fructus, folia, & cortex. plantaginis austerioris succus. papyrus posca aut uino macerata, & circumcirca obuoluta. Recentia uero glutinant, pinus aut piceæ folia, & cortex recens uelut ligamētum obuolutus cum aqua, aut posca, aut uino. Caseus recens tritus. Forinsecus autem imponātur folia rumicis, aut uitis, aut betæ, aut lactucæ. Caseus autem ex acido lacte etiam maiora uulnera glutinat pira syluestria etiam fluxū reprimunt. Hippuris imposita confert etiamsi nerui dissecti fuerint. Isatis satiua in duris corporibus, etiamsi in musculorum capitibus fuerint. Cupressi folia, & germina, & recentes pilulæ ac molles, in duris corporibus. Verum ammiscere oportet tenuissimum farinæ puluillum de molæ uicino pariete acceptum, myrrha cum aqua illita, aut thus. terræ intestina etiam neruos dissectos glutinant. Quinquefolij folia cum melle. allium ustum impositum. Ad uetera uero ulcera anagallis facit cum cerato. Itemq; hordeū ustum. Sed & cerusa cum cerati myrtei triplici pondere. Cæterùm ad ulcera in capite myrrham siccam inspergito, & non madefacito. Cito enim ipsa contrahit. Aut aloēn siccam, aut aristolochiam tritam, & cum melle in uino ad moderatam crassitudinē coctā, linamento illitā inde. At ex cōpositis glutinantibus sunt, emplastra barbara, & aureum, & Nicolan inscriptū, & quod ex salicibus paratur, & quod ex dictino, & reliqua his similia, quę magna uulnera maxime glutinare possunt.

Ad dolorosa ac inflammata ulcera. Cap. XXXVIII.

Vlcera inflammata AD dolorosa ac inflammata uulnera opus est siccantibus ac inflammationem

A tionem arcentibus medicamentis. Ex liquidis igitur optimum est uinum. facit etiam posca. Si uero etiam cum sorde inflammata fuerint, etiam aqua mulsa aquosa. Ex siccis uero in communi quidem conueniunt ad inflamma tiones relata, exceptis acribus ac oleosis. priuatim autem hoc. Mala puni/ca dulcia cocta in uino, ac trita imposito. Admirandum hoc est & multi usus. Nam & ad capitus ulcera facit, & ad ea quæ sunt in pudendis, & quæ in toto corpore dolorosa, & ad oculorũ inflãmationes. Si uero etiã ignis sa cer, aut tale quid, ad ulcus accesserit, auxilijs ad illa descriptis utendum est.

Ad cruda & non suppurantia ulcera. Cap. XXXIX.

RECentia, & eo quòd adhuc inflammata sunt, non suppurantia ulcera, concoquunt & suppurant, ex simplicibus quidem aqua temperata, af/fusa, farina triticea, aut alica, aut panis, aut glutinum librorũ, cum terebin/thina imposita, cera, crocus, thus, pix, rosaceum, adeps porcinus & uitul/nus. Compositum uero tetrapharmacum linamentis exceptum ac rosaceo dilutum. Vetera autem & callosa concoquunt, ex simplicibus quidem uua passa, styrax, galbanum, myrrha, ladanũ, pix, resina, butyrum, mastiche ægy ptia, œsypus. Composita uero emplastrum sine cera Galeni ex oleo cicino, linamentis exceptum oleo ueteri aut cicino solutum, & quod geminum co lorem præfert, similiter id quod regium appellatur, & similia. *Vlcera cruda*

De cauis ulceribus. Cap. XL.

CAuum ulcus deficientis carnis expletionem postulat, Huius autem ma teria est sanguis moderatus ac bonus. Moderationẽ itaq; ipsius per suffi ciens alimentum acquiremus. Bonum uero temperamentum per bonam ipsorum alimentorum succulentiam, & per bonum temperamentum partis in qua est ulcus. Quandoquidẽ uero superfluitas quæ euacuatur, quæ qui/dem tenuis est, humidius ulcus facit: quæ uero crassior, dum ipsi accrescit, sordes efficitur: ea de causa medicamentis opus habet quæ moderate siccãt ac extergunt. Tale autem est thus, & farina triticea, fabacea, & erui, iris, ari stolochia, cadmia, panax, & pompholyx. Quum uero nihil proficerit adhi/bitum incarnans medicamentum, sic quodam modo ad aliud transeundum est. Si enim copiosior sordes apparuerit, & humidius ulcus, hinc cognoscẽ dum datur, quod defectuosius siccauit medicamentum, & intendere ipsum oportet mellis ammixtione. Si uero purum, & magis siccum repertũ fuerit, plus quàm oportuit resiccauit, & oportet oleo copiosiore dilutum ceratum adhibere. Contingit autem aliquando dum pharmacum fortius est, colli/quari quid de carne, ut sordidum ac humidum appareat ulcus, consimiliter ut illa quæ defectuosius sunt resiccata. Verum hoc quod sic colliquatur ca/uus fit, & labris tumidum, insuper & rubicundum, & inflammationis par/ticeps. Sæpius uero etiam manifestè æger mordetur. Illud autem alterum ex minus resiccantibus nihil horum consequens habet. Putredo itaq; ligno rum, & maxime eorũ quæ moderatam adstringendi ac extergendi uim ha/bent, uelut est etiam uulnus, purgat & replet pura ulcera. Aut anemone ap posita. Aut pinus corticem derasum ac tritum cum cerato linamentis illi/tum, cauis ulceribus & maxime recentibus indito. Replet enim ipsa. Com posita uero ubi pura sunt ulcera, id quod ex ostreis constat, & Manethonis ex uini fece usta, & quod ex aloë paratur, & siccus pululus melitera appel latus, & id quod recipit amyli, mannæ thuris, alicæ, erui, æquales singulorũ partes. Similiter & quod ex thure fit, & Aphroditarium appellatum. Si ue/ro quodam modo sunt sordidiora, capitales appellati pululli sicci conue/niunt. Quæ uero linamẽtis illita induntur, hæc sunt, id quod appellatur tro phos, & isis, & athena, & quod ex attractylidibus paratur. Insuper & id quod Italicum appellatur, & quæ experimento constant. *Caua ulcera* *Lignorum putredo*

B

Repurgatoria sordidorum ulcerum. Cap. XLI.

SOrdida ulcera siue caua sint, siue plana, probe repurgat Aristolochia cũ melle, terebinthina cum pari rosaceo ac melle. Aut butyro pro rosaceo *Sordida ulcera purgantia*

 accepto.

accepto. Iris Illytica cum melle. oliuæ muria seruatæ impositæ. Ad neruosa uero, terebinthina cum butyro eliquata. Verum ad ualde sordida ac depascendo proserpentia facit marrubium cum melle. Hoc etiam crustas eijcit. Composita uero hæc. Amurcæ coctę, mellis despumati, aluminis phorimi, singulorum æquas portiones. Aliud. Serapiadis triorcheos, hoc est testicularis siccæ, iridis Illyricæ, marrubij sicci, aristolochiæ, singulorũ drachmas VIII. farinæ erui drach. X. utere licco, & cum melle. Insuper autem ad sordida ulcera facit Aegyptium, & cerata ex sale eliquata, & Indicũ, & Athena, & emplastra uiridia diluta, & sicci puluilli ex pumice, itẽq; qui ex eruo parantur. Et pastillus Melanchlorus appellatus. Similiter'que is qui Criogenes dicitur. A

Ad uermes ulcerum. Caput XLII.

Vermes ulcerum

AD uermes in ulceribus nascentes primum remedium est, ut humiditas & putredo, quæ illos generat, tollatur. Necant autem uermes, omnia in communi quæ ad uermes in auribus descripta sunt. Verum ad eos qui in ulceribus sunt, inquit Archigenes, cerusam & polium æquis partibus cum pice liquida illine.

De carne ulcerum excrescente. Cap. XLIII.

Caro excrescẽs in ulceribus

CAro in ulceribus excrescens per resiccantia uehementer medicamenta tollitur, quale est diphryges inspersum, & æris squama, & testacea omnia usta, & erinacei usti ambo cum toto corpore. Verum hæc quidem moderate tollunt ac compescunt excrescentem carnẽ. petræ uero Asiæ flos uehementius. Et hoc adhuc magis lori, & chrysocolla, & chalcitis, & Misy. Vsta uero minus mordent. Et æris flos similiter. Aerugo autem omniũ uehementissime. Sal ustus flaccidas carnes consumit. Similiter & linamenta uulsa ex linteo facta, muria acriore macerata ac resiccata, indita moderatã carnem excrescentem consumunt. Aerugo autem cum squama æris, ex his sunt quæ uehementer compescunt. Compositum uero rhodium siccum, & psaron, & flauum appellatum, citra mordacitatem compescunt. At maximas carnis excrescentias ad profundum usq; crustis obducunt, pastilli Faustiani triti inspersi, & siccum sole ustum dictum. Quod uero recipit calcis uiuæ, squamæ æris, & mannæ æquales portiones, & ad excrescentia facit, & fungis similia repurgat cum melle, & replet cum cerato. B

Fungis similia in ulceribus excrescẽtia

Siccum inspersile compescens.

Spumæ argenti, chalcitidis, æruginis, plumbaginis, ęquales singulorum partes. Aliud fortiter compescens citra mordacitatem. facit etiam ad nomas, & maxime excrescentem in gingiuis ab inflammatione carnem. dealbat etiam dentes. Calcis uiuæ lib. I. auripigmenti sexuncem, Auripigmentum aridum terito cum aqua, & calcem lotam uelut cadmiam adijcito, & trita siccato, ac utitor. Et ex pastillis pantolmius appellatus, & qui ad polypos descripti sunt, probe ulcera compescunt. Ex emplastris autem uiridia, & maxime id quod ex cappadocico sale paratur, similiterq; illis carne excrescere summe prohibent ulcera.

De nomis proserpendo depascentibus, & putredinibus, ac phagedæna, Caput XLIIII.

Nomæ ulcerũ depascentes. Phagedæna

PErfusionibus utendũ est in ulceribus depascentibus ac putrescentibus, ex aceto, & posca, aut uino adstringente, aut aqua frigida, aut marina, aut lenticulæ decocto, itemq; malicorij, balaustij, lentisci, baccarum myrti, spinæ Aegyptiæ, aut alicuius de adstringentibus ac resiccantibus. Cataplasmata uero adhibeantur ex ijsdem, & ex erui farina, & alumine liquido, & panis similaginei micis. Aut gobij ueteris, aut alius salsamenti ueteris carnis illotæ, terebinthinæ liquidæ, æquales pondere partes tritas imponito. Aut aristolochiam, & ricini foliorum succum æquis partibus, æruginis dimidium, cum aqua mellis spissitudine illinito. Si uero crusta non decedat, elaterij parem portionem ad unguentum ammisceto. Verum ad putredinosa

Gobij salsamentum

facit

facit fori tritum inspersum, & linamentum uulsum siccum superimpositũ. A Aut aristolochiam rotundam, & gallas pari portione, cum oleo obline. aut cucumeris syluestris radicem, aut brassicæ, aut betæ, aut rumicis folia, linteo illigata calido cinere obrue. Vbi uero mollia facta fuerint, cum sale trita impone. ualde repurgant. Aut oleæ germina in uino cocta cum melle imponito. Aut chalcitidem imponito. Aut apij semen tritum, aut lini semen tritum cum atramento sutorio adhibeto. Aut thymum, & uuam passam, & ficus coctas imponito. Aut fici folia trita cum melle. Aut nitrum, & cuminum, & farinam cum melle. Aut cucumeris syluestris radicem, aut scillam coctam cũ melle. Aut soreos drach. XII. chalcitidis drach. X. misyos drach. IIII. cum acerrimi aceti hemina dimidia terito donec resiccentur, & exceptis utitor specillum intingens, & in ulcere obuoluens, superne uero duplũ linteolum ex uino & oleo imponito. Si uero inflammata fuerint, hyoscyamum cum polenta, aut brassicam cum melle adhibeto.

Ad putredines in omni loco, & nomas. Calcis uiuæ, chalcitidis, utriusque drach. II. auripigmenti drach. I. hoc etiam ad pterygia in digitis, & ad phagedænas, & ad carbunculos utendũ est, in pudendis cum melle, in reliquis sicco, superne splenio resinato imposito.

Ad nomas omnes, & eas quæ in ore sunt, & ad sanguinis eruptiones, & ad carnem superexcrescẽtem, siccum panchrestum ab omnimoda utilitate appellatum, compescendo efficax. Chalcitidis, misyos, amborum crudorũ drach. XX. squamæ ferri drach. VI gallæ omphacitidis drach. VIII. *Panchrestum siccum*

Ad nomas & putredines.

Salis drach. XII. aluminis cuiuscunque tandem usti drach. I. squamæ æris, pumicis usti utriusque æqualem partem. facit & ærugo rasa cum misy usto, pice liquida excepta. & squama ferri cum oleo.

Ad nomas pudendi faciunt tum hæc, tum Meliterium appellatum siccũ, B & quod ex myrto acuta fit, & quod ex charta, itemque ad omnes nomas. & coracion ex aceto mulso, & Andronis pastillus, & consimiles. Eadem etiam ad phagedænas conueniunt. Nam & phagedæna ulcus est proserpendo depascens ac erosum.

Ad humecta ac graueolentia ulcera, Lemnia terra signata ex aceto, aut aceto mulso, aut posca, aut uino diluta ad luti compagẽ, illita facit. Aut cupressi folia, & germina, & pilulæ teneræ. aut cucurbitæ siccæ ustę cinis. aut corticis platani usti, aut anethi usti, aut lanarum sordidarum ustarum cinis. Aut plantago, aut isatis per se, aut cum polenta. Aut peucedani radix sicca.

De ulceribus cicatrice indigentibus. Cap. XLV.

REsiccantes & adstringentes carnem ulcerum cicatrice indigentium in tantum, ut non solum id quod præter naturam superfluum est discutiamus, sed etiam id quod secundum naturam habet attingamus, superficiẽ ulceris cuti similem efficiemus, & ulcus ad cicatricem perducemus. Commoda uero ad hoc est galla omphacitis, & mali punici cortices moderate resiccantes. Sed & quęcunque citra adstrictionem sine mordacitate siccant, ea itidem ad cicatricem ducunt. uelut est myrrha, spuma argenti, & ostrea si usta fuerint. Nam & hæc si sicca inspergantur, sæpe cicatricem inducunt. pinus item cortex cum cerato myrteo, hederæ flos cum cerato, lilij radix cum rosaceo. Item resina pinus sicca, pumex tostus, squama æris, æquis portionibus siccis utere. Hoc etiam comprimit. Aut pumici trito, mannæ ac diphrygis, utriusque parum quid ammisceto ac utitor. Aut spumæ argenti partem I. diphrygis dimidiam, cum cerato uelut splenium imponito. Vetera uero cicatrice includit uiscũ cum thure. ærugo cũ pari diphryge ac cerato myrteo. Aut centaurium paruum recens cataplasmatis modo impositũ. Humidioribus autem cyperi radicem imponito. Cæterùm ad ea quę circa sedem ac pudenda sunt, maxime si inflammata fuerint, aloë utere trita sicca, aut cũ aqua. Aut squamã æris, aut chrysocollam, in sole cũ cera mollitã imponito. *Vlcera cicatrice indigentia*

Siccum cicatricem inducens. A

Ostreorum drach. XII. mannæ drach. VI. cadmiæ drach. IIII. facit etiam ad nomas. Aliud. Aristolochiæ drach. VI. corticis pini drach. VI. mannæ drach. VI. pumicis drach. IIII. colophonię drach. IIII. iridis drach. IIII. Aliud. Cornu ceruini usti drach. IIII. corticis pinus drach. VI. cerusæ drach. IIII. æruginis rasæ drach. II. cadmiæ drach. XVIII. Aliud. Florum mali punici, atramenti sutorij, singulorum drach. XVI. squamæ æris, aluminis scissi, singulorum drach. VIII. gallæ drachmam unam. Aliud. Cerusæ, spumæ argenti, singulorum drach. VIII. recrementi plumbi, gallæ, myrti siccæ, singulorum drach. IIII.

Aliud cicatricem inducens.

Aluminis scissi unc. I. terito & in aquæ sextario uno macerato. dissoluto uero illo, linamenta in aqua madefacito, & siccatis ipsis utitor.

Emplastrum simplicioribus cicatricem inducens.

Ceræ drach. XL. spumæ argenti drach. XXXV. diphrygis drach. VIII. olei myrtei dimidiam heminam. Facit ad hæc etiam emplastrum phœnicinum, & ex cadmia constans, & myrsinatum ac similia. Verùm ad ægre recipientia cicatricem, ceræ, olei, myrtei, singulorum drach. VI. cadmiæ drach. VI. plumbi, thuris, singulorum drach. II. aluminis scissi, æris usti, singulorũ drach. I. æruginis rasæ drach. II. exoluito alternis diebus.

Diuturnis & ægrè cicatricem recipientibus.

Cadmiæ drach. VIII. chrysocollę drac. VIII. aluminis scissi drach. VIII. æruginis, squamæ æris, singulorum drach. I. resinæ pinus drach. XL. ceræ drach. C. olei myrtei quod satis est. Aliud. Ceræ, resinæ pinus, singulorũ sexuncem, cadmiæ sexuncem, chalcitidis crudæ quadrantem, myrtei quod satis est. Cadmia & chalcitis uino teritur in æstu caniculari. Vtere cum splenio latiore, & supernè linamento, ac spongia ex uino. Aliud. Aeris usti sextantem, aluminis scissi sextantem, salis ammoniaci drach. II. ceræ sexuncem, colophoniæ sexuncem, olei myrtei sextantem, arida in sole terũtur ad dies XX. Quum autem mellis spissitudinem habuerint, eliquatam ac crassam ceram cum reliquis ammisceto ac emollito. Facit ad hęc etiam medicamentum ex pumice, & Isis appellatum, & consimilia. B

De malignis ulceribus, quæ & chironia, & telephia appellantur.

Caput XLVI.

Chironia ulcera. Telephia ulcera

VEtera & ægre cicatricem recipientia ulcera, aliqui chironia appellauerunt, ueluti quæ chirone ipso opus habeant ad sanationem: quidam telephia, eo quòd Telephus ex eiusmodi ulcere diu laborauit. Considerandũ itaq; nunquid & totum corpus prauis humoribus uitiatum, tales influxiones ad ulcus demittat, & redundans humor per conuenientia medicamenta euacuandus. Si uero etiam uarix sit, qui tales humores ad crura demittat, sitin his ulcus existat, etiam hic intercipiendus est, uelut in chirurgiæ tractatione dicetur. Aut etiam per uenæ sectionẽ ipsos euacuare oportet, sanguine frequenter detracto, & deinde localibus auxilijs uti, quæ citra mordacitatem, extirpandi mali uim habent. Simplicia igitur sunt ex pumice, & diphryge, & squama æris, ęrugineq; ac calce moderatè lota. Aut alumen scissum tritum insperge. Aut œsypi drach. IIII. uuæ passæ drachmas IIII. nitri drach. II. prælitis melle impone. Aut squamæ æris drach. X. aluminis drac. II. cum ceræ drach. X. in sole mollito ac imponito. Composita uero hæc.

Emplastrum ad chironia.

Cerusæ bessem, aluminis scissi sextantem, squamæ æris sextantem, salis ammoniaci, thuris, æruginis rasæ, malicorij, singulorum sextantem, calcis uiuæ unciam unam. ceræ libram unam. olei myrtei sesquilibram. arida cum uino terito. In principio hoc callos excindit, & repositum seruatur. In fine uero usus oleo myrteo emollitum cicatricem inducit. Aliud. Spumæ argenti lib. I. olei lib. II. radicis chamæleonis nigri, aristolochiæ, gallæ om-

phaciti-

A phacitidis, singulorum unc. I. galbani, ammoniaci thymiamatis, thuris, singulorũ sextantẽ, præparato ita ut uiridium arundinũ radicibus cõmoueas.

Archigenis ad chironia, tum in tibijs, tum in mãmis, malefica, strumas, parotidas. Adipis bubuli libras III. terebinthinæ quincuncem, mannæ sescuncem, terræ Sardæ appellatæ, qua pictores utuntur quincuncem. Liquaris ad sicca adiectis ac commissis utere. *Terra Sarda*

Aliud Archigenis. Ceræ trientem, olei omphacini sexuncem, mannæ, aut thuris, diphrygis, squamæ æris, singulorum drach. IIII. Arida cum aceto trita, & ad mellis spissitudinem adacta, ad ceratum ammisceto, & diluto, linamento excepto utitor. Aliud. Ad mulierum maligna ulcera, & aliorum qui tenerum corpus habent. Ceræ tyrrhenicæ, drach. VIII. adipis taurini, terebinthinæ, plumbi usti ac loti, singulorum drach. I. utere per linamenta cum rosaceo aut myrteo diluto.

Ad cicatrices nigras. Cap. XLVII.

Cicatrices nigras tollit oleum impositum, in quo bryoniæ albæ ac nigræ radix sit incocta, donec fuerit exsuccata, calamintha in uino cocta. Spuma argẽti lota, cum rosaceo albo. Verũ ex impetiginibus cicatrices, itemq; alias, concolores facit adeps asininus illitus, erucæ semen tritũ, & cum felle caprino, bubulo ac ouillo illitũ addita argenti spuma. talus ouillus ustus tritus cum uino austero, ammoniacum thymiama cum felle suillo illitum. Composita uero, spumæ argenti, mentæ, thuris, æquales partes cum melle. *Cicatrices nigræ*

Aliud. Nitri, ammoniaci thymiamatis, sulphuris uiui, myrrhæ, æquas portiones cũ aceto albo, aut uino, aut aqua tritas illinito modice, ut ne stat exulceratio. Aliud. Cimoliæ, stercoris columbini, saponis, thuris, æquales partes cum aceto.

Smegma ad cicatrices nigras.

Cimoliæ drach. VIII. aphronitri drach. V. ueratri albi drach. V. recrementi à myrobalano expressa reliqui drach. IIII. in balneo affricato.

De sinibus. Caput XLVIII.

Qvum adiacens ulceribus cutis diutius inglutinata fuerit ad subiecta corpuscula, affectionem hanc Sinum appellant. Siquidem igitur ad supernam regionem extentus fuerit sinus, facile per osculum sanies effluit, & glutinatio facilis existit. Si uero ex inferna sursum spectarit, sanies intus manens aliquid ex cohærentibus erodit, & si non prius ad effluxionem secteris aliquam sectionem, nihil efficies, neq; incarnando, neq; glutinando. At si circa artus fuerit sinus, cubitum uidelicet aut fœmur, poterit etiam sine sectione ex aduersa parte, glutinari, si decliuem figuram artus facias. Etenim si in cubito circa cubiti flexuram osculum fuerit, summam manum in altum extendens, sinum ad subeffluxionem cõuertes. Si uero in fœmore ad genu sinus finem quis habeat, decliuem figuram facies, puluino molli popliti subiecto, ita ut inguen humiliorem positionem quàm genu habeat. Si quidem igitur Sinus incarnatione non opus habeat, statim per fistulam aliquam in directum perforatam, & uesicam alligatam habentem, aquam mulsam aquosam ita ut bibi possit, in ipsum infundes, atq; hoc ad abstergendã saniem in sinu hærentem. Verum ad futuram glutinationem, uinum aut uinum mulsum. Et deinde ad glutinatorium medicamentũ procedendum est. Si uero cauus sit sinus, & incarnari expetat, primum siccum ex charta medicamentum cum multo rosaceo immittito. deinde linamẽto uulso osculum obturato. postea uero Isidem, aut Machærionis, aut consimile aliquod emplastrum, cum rosaceo cerato liquidiore dilutũ similiter immittes. Vbi uero moderate subincarnatus fuerit sinus, ex agglutinantibus medicamentis aliquod impones, ueluti si recens cruentum uulnus cures. Talia autem sunt barbara, & gemini coloris, & fulua appellata, maxime uero omniũ id quod ex oleo cicino, & metallicis, sine cera paratur fuluum Galeni appellatũ conuenit. Verum post medicamẽti impositionẽ, spongia noua ex uino mulso *Sinus*

aut

aut uino quàm maxime molliter circundetur. Et deligatio à fundo sinus initium sumat, & ad osculum desinat. Linteolorũ uero circundationes adstringantur quidem circa fundum sinus citra dolorem, paulatim autem laxẽtur usq; ad osculum, ita ut emplastrum quod forinsecus sinũ ambit, iuxta osculum sit recisum, quo sanies excerni possit, & aliud quoddam paruum emplastrum ipsi osculo impositum sit laxum, ex eodem medicamento, propter eandem effluxionem. Hoc autem fines usq; ad solutionem, quam ubi tertio quoq; die feceris, hoc ipsum auferes & alterabis, eo quod toti sinui circundatum est relicto. Signum uero dignotionis, an sinus profunditas glutinata sit, hoc tibi erit, si bene effluxit sanies, modicaq; ac concocta, aut si etiam omnino non effluxit. Insuperq; si iuxta ipsum sinum neq; dolor sensilis, neq; tumor sit, sed locus totus contractus est, & siccus, & doloris exors. Si uero etiam pus probe coctum modicum in osculo uideris, adhuc magis bonam spem habebis. Si uero etiam prima aut secunda die aliqua sanies excernatur tenuis ex sinu, neq; sic de glutinatione desperato. Sæpe enim medicamẽti uis humiditatem ex subiectis partibus uehementer exprimit, qua expressa, loci moderatè sicci redditi glutinantur. Tertia uero aut quarta die ab initio, si crudus saniei humor per os appareat, sinum non glutinatum esse cognosce, & in eodem medicamento perseueres. Si uero uelut uerisimile est, propter humiditatem aliquam discedat, non absurdum uidetur etiam aliquid ex ipso medicamento alterare. A

De sinibus attritis.

Sinus attriti Quum tardè secto abscessu, aut propter medici imperitiam, aut propter affecti timiditatem, cutis sinui incumbens tenuis & attrita fuerit, & fieri nõ potest ut ipsa adimatur, post relatas infusas elotiones, glutinatorio utendũ est medicamento, compage quidem liquido, facultate uero sicco. Tale autẽ est ex chalcitide constans phœnicinum appellatum, oleo antiquo dilutum, ut neq; durum ualdè sit, neq; manus inquinare desierit, & postea cum uino ueteri subactum, & circumcirca impositum, cum cõuenienti deligatione. B Conuenit etiam ita attritæ, uelut dictum est cuti, uel præcipuè mel ad emplastri compagem coctum ac impositum. Melius autem est post impositionem ipsius linteo excepti, inspergere super ipsum, per cribrum eleuatũ, myrrham in puluerem redactam, aut aloën, aut thus, aut omnia simul. Expertus etiam sum centaurium tenue admirandum ad eundem usum medicamentum. Ab hoc proximum est symphytum, & postea iridis illyricę radix, postquam etiam erui farina. Aliquando uero etiam circa cocturam hæc melli inspergimus, ubi olla ab igne est tollenda. Præstat tamen postquàm ablata est inspergere, & deinde cõmonere donec mel tepidum fiat, atq; sic ipsum sinui imponere, & uelut dictum est deligare.

De fistula. *Caput* XLIX.

Fistula Fistula sinus est callosus factus, ex abscessibus plerũq; conflatus, ex translatione ab arundinum fistulis appellatus. Siquidem igitur ad os desierit, fieri non potest ut curetur absq; chirurgia, nisi temporis progressu squama aut os, sua sponte discedat. Si uero ad os non desinat, per medicamenta quę callos excindunt ac glutinant sanabitur. Callos excindunt hæc. Sphondylij radix derasa & indita, fistularum callos aufert. Veratrum nigrum inditũ in duobus aut tribus diebus callum tollit. Amurca cocta & infusa. Sori crudum aut ustum cum modico uino diluto infusum. Sori & crocomagma cũ aqua mulsa. Aut elaterium terebinthina exceptum, in collyria efformato ac indito. Aut silphij radicis succum infundito. Consumit etiam hoc. Aeruginis drach. XII. ammoniaci drach. II. aceto excipe & collyria oblonga efforma. Collyrium quo ad callos excindendos utor. Ammoniaci thymiamatis, atramenti sutorij, æruginis, misyos, chalcitidis, gummi, æquales singulorũ partes excipe aceto. *chirurgia Heliodori* Aliud ex Heliodori chirurgia. Cadmiæ, misyos, atramenti sutorij, æris usti, gummi, singulorum drach. IIII. chalcitidis crudæ drach.

A dæ drach. III. excipe pueri impuberis urina, & collyria efforma. Vbi uero collyrium fistulę indidisti, forinsecus panis micas aqua imbutas imponito, alterando illas donec inflammatio sedetur, & crusta excidat.

Aliud quod in Alexandria accepi. Anchusæ radicū, misyos tosti, chalcitidis, æruginis, aluminis scissi, atramenti sutorij, aloës, singulorum unc. I. cantharidas quinq;, aceto trita in collyria efforma. Aliud. Atramenti sutorij drach. II. chalcitidis, æruginis, singulorum drach. I. excipe gummi ac utere in collyria efformatis. Postquàm uero callus excisus fuerit, æruginē cocta cum melle purissimo octuplo repurga. sed & incarnantibus post callum excisum uti oportet.

Collyrium incarnans. Aloës, myrrhæ, ammoniaci, cineris putaminum ouorum ustorum, singulorum æquales partes aqua tritas in collyria efformato ac indito. Aliud. Myrrhæ, aloës, thuris, malicorij, singulorum æquales partes excipe aqua. Quidam felle taurino excipiunt. Incarnat etiam uuæ acerbæ succus. Noui etiam quendam qui cedriam fistulis infudit, atq; hoc admirando successu. Post incarnationē glutinatorio utendum est medicamento, iuxta eum modum qui de alijs sinibus relatus est. Si uero angusta sit simulq; longa fistula, inquit Galenus, & nondum uideatur mihi intus in se callū habere, sed sordem solum, prius lixiuium immisi, atq; hoc tandiu in fistula manere sinēs, donec sordes perfectè elapsas esse speraui, postea medicamentū imposui. erat aūt id quod ex ricinino oleo cōstans superius retuli.

De ulceribus quæ refringuntur. Cap. L.

QVædam ulcera ubi cicatricem receperunt, sæpe post non ita multum tempus rursus inflammantur & refringuntur. Affecto enim osse aliquo, aliquando caro incumbens facile cicatricem recipit, & perfectè sana esse uidetur. Verum sanioso humore, paulatim ex osse in profundo corruptionem perferente, ad illam rursus influente, inflammatio & pus accedūt, *Vlcera quæ refringūtur*
B quæ cicatricem refricant. Quę igitur est talium ulcerum curatio? resiccatio tanta ut os affectum discedat. Facile igitur insidentia ossa emergēt, si papaueris syluestris & fici folia, cum polentæ polline ac uino trita, pro cataplasmate impones. Aut hyoscyami semen, & atramentū sutoriū paribus portionibus trita adhibebis. peucedani quoq; radix squamas ossiū breui disparat.

De ulceribus in articulis. Cap. LI.

ARticuli sicciores sunt quàm carnosæ partes. quapropter ulcerati siccioribus opus habent medicamentis. Probe igitur Polyidæ pastillus facit, cum uino tritus ad strigmentitiam spissitudinem. itemq; alia similiter ut hic resiccantia medicamēta. Sed & aqua marina, & muria sæpe ipsos perfusos, melius affici uidimus. utendum itaq; est ad articulos his quæ magis siccant. *Vlcera in articulis*

Quæ spicula, aculeos, & spinas extrahunt, & consimilia. Cap. LII.

ACuleos & arundines, insuperq; spicula ac spinas extrahūt Anagallides ambæ, aristolochia rotunda, ammoniacum cum melle, hyoscyami semē tritum inspersum. Arundinis radicem contusam, & ammixto melle linteo infartam, larga copia imponito breui educit. *Spicula & aculeos extrahentia*

De sanguinis tum ex uena, tum ex arteria eruptione. Cap. LIII.

IN partibus ex quibus sanguis erumpit, contraria sinibus figura cōducit, hæc autem est ea quæ sursum spectat. Sed neq; hæc immodica existat. Periculum est enim ne dolor oboriatur, & uas rursus sanguinē fundat. Nihil enim magis sanguinis eruptiones mouet, & inflammationes auget, quàm dolor. Verum in partibus sanguinem fundentibus, statim digitum ad osculum ulceris circa uasculum obde, ita ut leniter innitaris, citraq; dolorē premas. Nam & sanguinem simul cohibebis, & grumum in uulnere congelabis. Quin & an multum in profundo situm sit uas, unde sanguis erumpit, diligentius considerare oportet, & positionem ipsius ac magnitudinem, & an uena sit aut arteria. postea uero si quidem paruum est uas, aliquo sanguinem sistente utendū est. Optima ex his sunt obstruendi ui prædita, quæ compo- *Sanguinis eruptio ex uena & arteria* *Doloris ult*

nun-

nuntur ex resina fricta, & farinæ triticeæ polline, & gypso, & alijs eius mo- A
Sanguinem sistentia di, cum oui candido subactis, & cum pilis leporinis impositis. Si uero magnum uas est, hamo ipsum distendere conare, & moderate obtorque. Suppresso autem sanguine, si quidẽ uena fuerit, citra laqueũ, ijsdẽ medicamentis sanguinẽ sistere conare. Si uero arteria, ex duob. altero adhibito, aut la-
Arteriarũ & uenarum dissectio queo circundato, aut toto uase dissecto, sanguinem continebis. Laqueũ uero aliquando etiam magnis uenis circundare cogimur: quemadmodum etiam ipsas dissecare aliquando totas, per transuersum uidelicet. Verum ad hanc necessitatẽ deuenimus circa uenas, quæ erectæ ex magna profunditate sursum feruntur, & maxime per angustiam aliquam, aut principales partes. Sic enim utraq; pars utrinq; reuellitur, & uulnus ab incumbentibus corporibus occultatur ac tegitur. Tutius autem est utrunq; facere, & laqueum radici uasis circundare, & inde iam secare. His autem factis, quàm citissime incarnare uulnus, prius quàm decidat laqueus de uase. Si enim non cito incarnetur, sed locus alicubi uacuus comperiatur, uasis dilatatio, quam aneu-
Aneurysma rysma uocant, contingit. Cognosces autem an uena sit, aut arteria, quæ sanguinem fundit, ex eo quòd arteriæ sanguis flauior est ac tenuior, & pulsatorio modo euacuatur. Venæ uero sanguis nigrior est, & crassior, & sine pulsu prodit. Optimum igitur ex omnibus incarnantibus medicamentis, quæ sanè nos nouimus, hoc est, quo etiam ad cerebri membranarum sanguinis eruptiones tutissime uti possumus, & ad colli uulnera usq; ad iugulares uenas inflicta: nam & harum sanguinem cohibet citra laqueum: recipit autẽ
Incarnans medicamentum hæc. thuris pinguissimi partem I. aloës in mollioribus corporibus partem dimidiam, in durioribus tantundem: & pro thure, mannæ tantundem. Excipe oui candido ita subacta ut mellis spissitudinẽ habeant, & deinde cum pilis leporinis quàm mollissimis, uasi ac toti ulceri plurimũ impone, & extrinsecus linteo deliga, ita ut primas quatuor aut quinq; lintei obuolutiones super ipsum uas, unde sanguis profluit, facias, & hinc ad radicem ipsius B
procedas. Deinde solutione per tertium diem facta, si medicamentum tuto adhuc adhæreat, aliud rursus circundabis, & uelut insuper humectans rursus deligabis. Si uero sua sponte respuatur linamentum, radice uasis per digitum leniter compressa, quo nihil influat, hoc quidem placidè tolles, alterum uero appones, atq; sic curabis donec uas fuerit incarnatum, ita ut figu-
Crustas inducentia ra sursum spectans semper citra molestiã seruetur. At uero quæ crustas inducunt, nudiorem partem efficiunt, quàm pro natura habebat, crusta dilapsa, & plerisq; sanguinis eruptio quæ sisti non potuit, ad crustarum dilapsionem consequuta est. Vtendum tamen etiam his, ubi necessitas magna cogit. Maxima autem necessitas est uti crustificis medicamẽtis, aut cauterijs ignitis, quum ex putredinosa erosione sanguinis eruptio contingit. Et sanè in talibus affectionibus, ubi quicquid putredinosum est resecuerimus, tutius est aut urere ipsam uelut radicẽ, aut crustificis medicamentis uti. Hoc autem maxime in pudendis ac sede fieri solet. Scopus autem in crustam inducentibus sit caliditas cum adstrictione, uelut in misy, chalcitide, atramẽto sutorio. Quæ uero ex calce uiua sunt, uehementiora quidem sunt, sed quia calx non adstringit, crustæ ex ipsis inductæ citius decidunt: melius autem est ipsas manere. Contingit enim ut caro ad fundum ipsarũ succrescat, & uelut operculum uasis fiat. Cæterùm in his unde sic sanguis erumpit, isatis satiua inspersa probe supprimit, aut gallæ ustæ. Oportet autẽ ipsas igne
Sanguinem sistentia simplicia candefactas, aceto aut uino extinguere. In summa, sanguinis eruptionem sistunt, simplicia quidem, aloë, thus, manna, samia terra aster dicta, ferrugo, lanarum ustarum cinis tenuissime tritus, stercus asininum ac equinum, bitumen modicum, malicorium, diphryges, galla, myrtus sicca, alumen omne, crudum & ustum, resina torrefacta, uitis cortex, aut folia sicca, pilularũ platani lanugo, maxime ubi crustam abiecerint. Priuatim uero sanguinis narium eruptionem sistit, iunci acuti semen, urticæ foliorum succus, chal-

citis,

A citis, anthyllis usta, pili leporis, ferculæ medium ustum cum aceto, stercus asininum siccũ aut humidum, porri succus cum thure et lychnio exceptus. Composita uero medicamenta omnis sanguinis eruptionis sunt & hæc. Spongiam nouam liquida pice imbutam, & bitumine oblitam, in noua olla exurito, & ad cineris partes II. plumbi partem I. & stibij partem I. ammi sceto. Aliud. Mannæ thuris, sulphuris uiui, æquales singulorum partes inspergito. Aliud. Chalcitidis drach. VIII. thuris aut mannæ eius drach. XVI. resinæ frictæ drach VIII. gypsi usti drach. VIII. Aliud crustã inducens & sanguinẽ sistens. Chalcitidis, æris usti, atramẽti sutorij, misyos tosti, singulorum æquales partes. Sed & Rhodium appellatũ medicamentum, & flauum dictum, ex eorum numero sunt quæ probe sanguinẽ sistunt. *Neruũ sanguinis eruptionẽ sistentia*

De neruis sauciatis. Cap. LIIII.

NErui sauciati aut puncti inflammationem ac dolorem excellentem habent, propter sensus subtilitatem. Quare etiam febres & conuulsiones bis accedunt. Quibusdam etiam delyrium, propter neruorum cum cerebro cohærentiã. Quandoq; uero etiam circa alios locos sauciatæ parti uicinos, inflammationes ac abscessus fieri solent, ex ipso neruo sauciato, propter ipsius cõtinuitatem. Oportet igitur cutis uulnus inglutinatum seruare, quo per ipsum sanies effluant. At in punctionibus si cæcæ uideantur, etiam duabus dissectionibus se mutuo secantibus insuper concidere oportet. Verum in adhibendis auxilijs, si humoribus omnibus ex æquo redundarit corpus, & inflammatio magna sit, primum à uenæ sectione incipiendum est. Si uero uitiati fuerint in corpore humores, etiam purgatione utendum est. Ad ipsum autem uulnus medicamenta adhibeantur dolorem mitigantia, & efluxionem aperientia, præsertim si non insuper concisio facta sit proinde aqua calida, quæ alijs inflammationibus conuenientissima est, his inimica existit, & præstat oleo tenui perfundere, quod nullam adstringendi uim habeat, & ad sensum calidum sit. Neq; enim frigidum, neq; tepidum ualde, si ne noxa adhibetur. Ex medicamentis autem cõmoda est resina terebinthina, per se in pueris, mulieribus, & tenera carne preditis, cum euphorbio autem emollita, in his qui duram carnem habent. Et si quandoq; durior sit resina, cum aliquo oleo tenuiore. Cataplasmatis uero in inflammatis ac putrescentibus neruis uti quis poterit, farina ordeacea, aut fabacea, aut erui, in lixiuio cum aceto mulso cocta. Verum citra cocturam, ad punctiones etiam cerato huiusmodi quis utatur. Ceræ quadrantem, euphorbij unc. I. aut stercoris columbini, in duriorbus corporibus, olei sextantẽ. Quandoq; etiam terebinthinæ unc. I. Quòd si emplastro simile medicamentum facere uoles, ad euphorbij unc. I. ceræ, & resinæ frictæ, & olei, & picis pinguis, singulorum sexuncem adijcies. Si uero pro resina, propolim pinguissimam addes, melius efficies. Quin & hoc ad punctos neruos cõmodum est medicamentum. Idem etiã ad rabiosi canis morsum facit. Aceti sextar. I. picis pinguis lib. I. opopanacis quadrantem. Opopanaca aceto dilutum amplius conterito, & ammixta pice coquito. Hoc medicamentum punctis neruis commodum est, non permittens puncturæ osculum conniuere, quemadmodũ neq; in his qui à rabido cane morsi sunt, ulcus ad cicatricem peruenire. Verum ad sola dura corpora facit. Si uero ad pueros punctos aut tenera carne præditos eo uti uoles, per aliquod discussoria ui præditũ liquare ipsum potes, amaracinũ uidelicet, aut opobalsamum, aut oleum uetus. Conuenit etiam regium medicamentũ, quod recipit nitrum, aut calcem uiuam, aut euphorbium, aut sulphur uiuum, aut columbæ syluestris stercus, aut opopanaca, aut sagapenum, aut succum cyrenaicum, aut castorium. Ad libram autem medicamẽti, uncia una alicuius ex relatis medicamẽtis injicienda est. probe facit ad neruos sauciatos, & maxime punctos. Possit autem quis ruri degens in reliquorum inopia, propolim recentem ac pinguem uulneri inderre. Aut fermentum maxime uetus solum, & propolĩ ammixta, aut cum thymalli *Nerui sauciati aut puncti* *Aqua calida neruis sauciatis inimica*

B

A thymalli succo. Cæterùm cataplasmatis ex aceto mulso, aut lixiuio, cum farina fabarum, aut erui, aut cicerum, aut lupinorum amarorum, aut ordei, aut polentæ polline, non solum in inflammatis, sed etiam ab initio statim utendum est. At laxantia cataplasmata, in sauciatis neruis semper reprobare oportet. Si uero non punctus sit neruus, sed manifesta sectione uulneratus, præposita etiam cute dissecta, ut nudus appareat neruus, & rectus nõ transuersus dissectus, relatis ex euphorbio, & ita acribus, nullis uteris. Quum enim nudus sit neruus, uim illorum uehementẽ non feret.

Neruus nudus

Calcem igitur assumes sæpe lotam æstatis tempore, uberiore oleo subactam. Bonũ est & quod ex pompholyge paratur, & quod ex melle, rosaceo uberiore eliquatũ. Oportet autem nullum ex his uulnus contingere, subtili enim sensu præditus est neruus, & temperamento frigidus, & principalissimæ parti cohærens. Imò neque oleo perfundere tale ulcus oportet. Sordes enim inde contrahit. Detergere igitur solum saniẽ satis est per molles lanas specillo obuolutas. Quòd si ex sententia omnia procedant, periculo uacat passo madefacere. In fortioribus autem etiam polyidæ pastillo, cum sapa calida, in linamẽto uti. Postquàm uero intectus est denudatus neruus, linamenta extrinsecus circundare oportet aliquo ad angusta uulnera faciẽte, uelut est id quod ex euphorbio paratur, aut quod ex stercore columbino, ita ut etiam de sanis partibus multum appræhendamus. Si uero per transuersum uulnus factum est, periculum conuulsionis maius est, curatio uero etiam hic similis, præterquàm quòd dum recens adhuc est uulnus, quidam suturis usi sunt, & aliquo glutinatorio medicamento. Verùm suturas non ualde in superficie facere oportet, ut ne profunditas inglutinata permaneat, & rursus non ita profundas, ut iterum ab acu neruus pungatur. Porrò in summa id nosse operæprecium est, quòd punctiones curans medicamentum, si calidius est, nerui dissectionem curare non potest, ut qui nõ sustineat ipsorum mordacitatem ac ardorem. Neque uero id quod dissectiones curat punctionibus conuenit. Nam facultas ipsius ad profunditatem non penetrat, quum cutis dissectio sit angusta. B Victus autem assumatur tenuior, & stratum molle, & olei calidi perfusione utendum est ad alas, & caput, ac collum. Si uero uulnus in crure sit, circa inguina, ac pectinem, & eius regionis locos, oleum adhibebimus. A balneo in totum usque ad inflammationum declinationem abstinendum est, quum nullatenus ipsis aquæ cõueniat, uelut diximus, contactus.

Balneum neruis sauciatis noxium

Quando quidem uero quidam propter consuetudinem, abstinere à balneo non possunt, si uulnerata pars manus sit, conandum est quantũ fieri potest, ut ea nõ rigetur calida aqua, & minus adhuc frigida. Si uero in pede sit uulnus, quia fieri non potest ut non humectetur, ubi lauare uolent, super sauciatam partem emplastro aliquo imposito meatus obturante, extrinsecus rursus super ipsum iniice linteola plura multiplicata oleo madefacta, & rursus ligamentum ex linteo forinsecus circundabis. & postea rursus in ipso balneo, oleũ ligamento superfundito, ubi neruis sauciatus solium inscendere nolet. postquàm uero lauit, omnia incumbẽtia reiicito, & relato totius curationis ductu utitor.

Neruus contusus

Quòd si contusio sola nerui facta sit, si quidem cum contusa cute, etiam ulceratio fiat, cataplasma ex fabacea farina & aceto mulso commodum est. Adiicies autem aliquando etiam erui farinam & iridem. Si uero dolor contusioni adest, picem liquidam ammisceto. Si uero citra contusionem cutis fiat, magis discussorio oleo calido assidue perfundito, anethino uidelicet, aut irinaceo, aut irino, aut amaracino.

Neruus totus dissectus

At si totus neruus dissectus est, periculum quidem nullum sequetur, pars autem mutila fit. Curatio uero similis uelut ad alia ulcera assumetur. Atque hæc quidem per simpliciora auxilia, in neruis sauciatis medela, sufficiens est ad totam curationem. Quidam uero etiam multipliciter compositis medicamentis ad ipsos uti solent, qualia sunt, id quod ex metallicis paratum, & barbara appellata emplastra, & cissinum, & quod ex senecione fit, & melanchlorum, & Indicum, & harmonia, & Athe-

A & Athena, quorum & compositiones, & utendi modum, in septimo libro reperies. Quandoquidem uero aliqui diuites preciosis medicamētis ad sauciatos neruos uti expetunt, Galenus ad punctiones quidem neruorum hęc descripsit. Cinamomi unc. I. dictamni unc. I. mari unc. I. amaraci drach. II. ceræ bessem, opobalsami dextantem, terebinthinæ unc. I. Aliud. Succi cyrenaici unc. I. ceræ quadrantem, opobalsami unc. XII. Verū ad denudatos neruos hoc. Ceræ ungentariæ quadrantē, ungenti spicati, aut foliati, aut nardini unc. XII. pompholygis lotæ unc. I. spicæ nardi unc. I. amomi unc. I. folij unc. I. Atq; hæc supra spem præstantia esse Galenus dixit.

Diuitum ratio habenda

Cera ungentaria

De articulorum distortione. *Caput* LV.

ARticulorum distortiones, ancylas & ancyloses appellare solent, hoc est articulorum cōtractiones, ob impactos humores, aut neruorū aliquam distentionem obortas. In quibus molliendi ac laxandi facultate prædita requiruntur. In cōmuni igitur ea quæ ad induratas in scirrhum partes, & adhuc magis ea quæ ad resolutas relata sunt, his cōpetunt. Priuatim uero perfusio ex aqua & oleo, in quibus cocta sint, lini semen, fœnum græcū, althęa, laurus, cucumeris syluestris radix. Et ipsum adeò oleum Sicyonium. Post perfusionem autem adhibeantur his primum acopa simpliciora, uelut est id quod ex populo nigra paratur, & quod ex abiete. Bromium item, & Basilio inscriptum, & pyxis appellatum. Postea etiam Aristophaneum, & Azanitæ inscriptum. fortissima uero sunt, & quod Lysiponium, & quod Varium appellatur. Ex emplastris autem Amythaoni inscriptum & Anicetum appellatum. Optimum uero hoc est. Bdellij, adipis uitulini, ammoniaci thymiamatis, iridis Illyricæ, singulorum drach. XVI. opopanacis, galbani, canchryos, styracis, thuris, singulorum drach. VIII. piperis grana CLX. ceræ lib. S. resinæ terebinthinæ lib. S. olei irini fecis quod satis est, uini quod suffi-
B cit. Contunditur hoc medicamentum. Est & Acopon bonum, irino aut cyprino, aut laurino dilutum. Medium uero inter acopa & emplastra locū obtinet, medicamentum è perna multæ mixturæ. Acoporum autem usus per mollem ac perseuerantem fiat affrictum, unà cum hoc ut etiam affecti articuli flexionem ac extensionem experiaris.

Articuli distorti

Ancylæ

Ancyloses

Acoporum usus

De laxatis articulis. *Cap.* LVI.

LAxantur articuli sæpe, & in diuturnis febrilibus morbis, & in colicis, & resolutis, calidiore maxime ac humidiore intemperie ipsos occupante. Atq; hinc motus impeditur. In quibus acaciæ succus aqua dilutus ac affusus, aut rubi, aut myrti, aut lentisci, aut ulmi radicum corticis decoctum conuenit. Aut malicorium in cataplasmate adhibitum, aut myrti folia cerato myrteo excepta imposita. Corroboratione enim opus habent nerui colligantes, per adstringentem ac resiccantem facultatem. Talia igitur medicamenta articulis imponenda sunt, uelut est id quod ex salicibus paratur, & oxerum appellatum, & phœnicinum, quod uinum adstringens, aut acetū insuper assumpsit. Pleriq; uero præ frigiditate talem impotentiam fieri putantes, atq; ita calidioribus auxilijs usi, maiorem noxam induxerunt.

Articuli laxati

De lumbricis. *Caput* LVII.

TRes sunt in uniuersum lumbricorum species. una eius qui rotundus est crassitudine. altera lati. Tertia eius quem Ascarida appellant. Omnibus autem origo est ex cruda ac crassa pituitosa materia, & putrefactioni apta, qualis ferè congregari solet in pueris, & alijs crapulosis: sed non ex calida & acri, aut atrabiliaria materia. Hæ enim quum etiam nutrimenti naturam transgressæ sint, ad lumbricorum generationem ineptæ existunt. Imò uice uersa etiam corrumpendi ipsos uim habent biliosæ maxime superfluitates. Si uero aliquādo unà cum lumbricis excreta fuerit flaua bilis deorsum, aut per uomitus, illos quidem in intestinis esse scito, biliosum autem humorē, aut circa os uentris, aut in alia quadam parte constitisse. Vniuscuiusq; igitur differentiæ ipsorum, & speciem, & ortum, & locum, & dignotionem

Lumbricorum species tres

dicemus, itemq; curationem, à rotundo initio accepto. A

De lumbricis rotundis.

Lumbrici rotundi Lumbrici igitur rotũdi speciem omnibus notam habent, eo quòd etiam hi magis quàm alij redundant. Consistunt autem maxime circa tenuia intestina, appropinquantes quoq; uentri, ut ea de causa sæpe per os efferantur. Quibusdam etiam per nares excreti sunt. Abundant autem magis quàm alij in infantibus, & utplurimum cum febre. Verùm circa principia febrium orientes, ex subiecta corruptione substantiam habent. Circa uigores autẽ, ex morbi malignitate, circa declinationes uero, ex mutatione uniuersorũ in melius. nam Hippocrates ait, Bonum est etiam lumbricos rotundos pertransire, morbo ad iudicationem tendente. Hi uero etiam citius perimũtur. Sequitur in his qui lumbricos rotundos habent, intestinorũ ac uentris motus, & tusses paruæ, irritantes, siccæ. In quibusdam etiam singultus, & somni cum palpitationibus, & surrectionibus præter rationem. Quidam etiam cum clamore exurgunt: & rursus in somnum delabuntur. Pulsus inæquales sunt, & febres augescunt inordinatè inuadentes, cum extremarum partium perfrictione, & ter, aliquando etiam quater in die aut nocte, citra rationem, significationem accessionis præbent. Pueris autem manducatio, cum exerta frustra lingua, & dentium stridor contingit, & oculos claudunt, & tacere cupiunt, & excitantibus indignantur, & oculi subcruenti apparent, & malæ rubicundæ fiunt, & rursus liuescunt. Verùm hæc ad modicum tempus, & ex interuallis fiunt. Quibusdam uero ad stomachũ accurrentes nauscarum ac morsuum causæ fiunt, & ægroti cibum non appetunt, ad sumendum uero cibum coacti, nauseantes uix deglutiunt, aut etiam ingestum reuomunt. Multis etiam uenter defertur cum comestorũ corruptione, & instar tympani inflatur. Reliquum uerò corpus præter rationẽ eliquatur, quũ neq; fames, neq; euacuatio immodica facta sit. Non tamen in omnibus omnia relata signa quærere oportet, sed quædam iuxta id quod exuperat, aliquando etiam plurima. B Hæc autem contingunt, dum animalia circa intestina obuoluũtur ac mordent, & dum febrilis caliditas uapores prauos ad cerebrum affert, ex collecta in uentre putredinosa humiditate. In quibus alicubi ambobus similiter prospicere oportet, febri, & lumbricis: alicubi modica febris ratione habita, lumbricos strenuè è corpore expellere oportet.

Mors ex lumbricis per conuulsionem Multi enim neglecti ab ipsis corrosi sunt, & conuulsi periêrũt. Alij se uidisse affirmant ipsos per inguina ægri egressos. Expelles autem ipsos prius occisos. occides autem per amarorum maxime auxiliorum usum. Quum igitur communis est febris & lumbricorum curatio, auxilia simpliciora conueniunt. *Myxaria* Præbibendum itaq; ipsis dandum est chamæmeli & myxariorũ decoctum: aut etiam ipsa myxaria cocta edenda danda. dandus etiam seridis succus, aut coriandri semen cum aqua calida tritum, aut cum posca. Aut auriculæ muris herbæ decoctum. Aut cornu ceruini ramentum. Aut rubrica sinopica leuissime trita. Aut olei crudi amari cochlearia duo paulatim absorbeant. Nam amaritudine sua lumbricos occidit, lubricitate uero ipsos detrahens unà cum stercore egerit. Quòd si inflammatio ac distentio uiscerũ sit, cataplasmate utendum est ex semine lini, & farina lupini, & absinthio, ac bryoniæ radice, cum aceto mulso. Aut etiam perfusione ex oleo chamæmelino, uino, absinthij semine, & aloë, circa præcordia adhibita. Si uero febres non uehementer uexent, menta ad myxaria ammisceatur ac exhibeatur. At ubi febris delijt, aut non est, etiam efficaciora, uelut est decoctum seriphi, aut calaminthæ, aut filicis. Aut cardamomi semen. Aut radicis mali punicæ acidæ decoctum ad tertias redactum. Aut cumini tosti, & nitri fului, singulorum scrup. III. Aut santonicum, aut abrotonum, aut ambo simul, cum melle in catapotia redacta. Aut lupinorum amarorum scrup. III. Aut brassicæ, aut erucæ semen tritum. Aut absinthium, quod etiam solum sæpe satis fuit. Dandi etiam aloës lotæ scrupuli III. Atq; hoc inter laudatissima habetur.

A habetur. fortioribus etiam illota datur. Quandoquidem uero pueri aloēn non admittunt, supinis ipsis detentis, & ore per cochlearium disparato, per clysterem aliquem fistulam ualidam alligatam habētem, inuitis ipsis aloēn quàm penitissime transmissam iniicimus. Atq; hæc miranda methodus est in pueris ægrè admittentibus: in quibus etiam alimenta sorbilia sæpe hoc modo immisimus, ubi alioqui illa non apperentes auersantur. Sed & Cyphi, & Masuaphium recte dari possunt, & cornu ceruinum ustum cum pipere, ex melle aut aceto mulso. Sed & reliqua ut ex acero mulso ipsis dētur conandum est. præstat autem si scilliticum fuerit acetum, & maxime in perfectioribus. Aut sinapi cum oleo & aceto. Qui uero cū alui fluxione à lumbricis infestantur, eis plantaginis succus præbibendus dandus est, aut ipsa plantago sicca. Ex æquo enim ad utrunq; efficax est, tum fluxionē, tum lumbricos. cataplasma uero his imponatur ex cruda ordeacea farina, filice, absinthio, farina lupini, santonico, & abrotono. Quin & malicorium, & acaciam, & gallam, aut balaustium ammiscere conuenit. Quandoquidem uero quidam amaras potiones auersantur, ex iam relatis danda sunt quæ non palàm amara existunt. Danda præterea etiam chamæpitys, marrubium, helenium, baccę lauri, casia, thymus, pulegium, carpesia, cyperus, polypodiū, iris, cnicus, erythrodanum, spina Aegypria cum *pipere pari*, sex scrupulorum pondere, in decocto mentæ, aut mori *radicis* succo, aut decocto petroselini, ac reliquorum odoratorum seminum. Forinsecus autem utendum est aloē, cum melino oleo & uino. Hoc etiam appetentiam excitat, cuius magna cura habenda est. Sæpe uero ammiscendum est ad aloēn absinthiū, aut felle taurino implendus umbilicus, cum aliquo ex relatis amaris. Aut oleū ex rododaphne frequenter illinendū. Aut cedria tum sola imponenda, tum addito cerato, super totum uentrem. Aut pix arida trita inspergenda. Aut menta, aut nigella cum rosaceo illinenda, aut etiam seriphi decoctū his am-
B miscendum. Aut mali persicæ folia contrita imponimus. Vtendum etiam ceruina medulla ungenti modo, in umbilico, pectine ac lumbis. Sed & ceratum hoc adhibebimus si opus fuerit. Aloēs, absinthij, farinæ lupini, seriphi, melantij, singulorum scrup. VI. ceræ unc. IS. *olei chamæmelini quod satis est*. Arida cum bubulo felle terito. Sæpe uero ipsis per sedem infundenda est aqua mulsa, quoad dulcedinem mellis, lumbrici deorsum prolecentur. Si autem putrefacti in profundo, non excernantur, sed magis euaporationes efficiant, subeducere ipsos oportet, aut aloes, aut amari ex ipsa medicamenti potione, quandoquidem etiam aliàs non inutilis est ipsis moderata per inferna euacuatio.

Aloēs usus mirandus

De *lumbrico lato*.

Lumbricus latus transmutatio, ut ita dicam, est membranæ intrinsecus intestinis agnatæ, in corpus quoddam animatum, atq; hic excernitur sæpe totus, ita ut incredibilem magnitudinem aspicientibus exhibeat, aut etiam per partes secedit, ita tamen ut exolutus, non amplius generetur. Abundat autem quandoq; etiam in non febrientibus Sed & in febrientibus nascitur in morbis longis, mordacitatem stomachi assiduam inducens, & appetentiam ciborum incontinentem. Nam id quod animatum factum est in intestinis, adiacens alimentum abripit, ut alio statim opus sit, & si id non contingat, mordentur intestina. Consequitur in ipsis, gracilitas corporis, & impotentia cum inæqualitate. Verū signum minime omnium mendax est, quòd unà cum excrementis quædam cucurbitæ semini similia excernuntur. Cæterùm curatio superiori consona est. Conueniunt enim præpotationes ex acribus, & allij esus, & filicis aut centaurij decoctum potum, & per clysterē infusum. Itemq; calaminthæ, aut dictamni, aut pulegij decoctum. Infundatur etiam ipsis muria. præbibant etiam hoc, quod neq; his qui ab alijs lumbricis infestantur inutile est, præsertim si febre careant. Nitri rubri, piperis, cardamomi, singulorum æquales partes. Dantur ex hoc scrupuli III. cum

Lumbricus latus

uino aut aqua calida. Aliud eclegma. Piperis, baccarum lauri purarū, cumini Aethiopici, mastiches, singulorum pares portiones, mellis quod satis est. Datur cochlearij mensura, mane & ad noctem dormituro. Si uero efficacius ipsum facere noles, etiam nitri rubri tantundem addito. Aliud. Helenij, ammoniaci thymiamatis, piperis, in alio exemplari, filicis, singulorū drach. V. cum aceto mulso calido. Et interposito tempore, euphorbij drach. I. aut duas perfectæ ætatis hominibus bibendas præbe. Aliud. Filicis acetabulum, nitri drach. II. dato in aquæ hemina præeuacuato. Melius autem efficitur, si parum scammoniæ additum fuerit. Aliud. Corticis radicum mali punicæ summa parte decorticati drach. IIII. piperis drac. IIII. cardamomi drach. VI. marrubij drach. II. Ex melle præbeto à prægresso alij esu. Verùm ad perfectam affectionis depulsionem, etiam theriacen exhibebis, uehementi febre non prohibente.

De Ascaridibus.

Ascarides Quin & ascarides, ueluti iam antea diximus, species lumbricorum sunt, uermibus similes, circa intestini recti extremas partes, & musculi adstrictorij partes primas consistentes, & horum locorum pruritum uehementē inducentes. Generant hanc speciem, uitiosa alimenta, frigiditas, & ciborum corruptio. Euacuare itaq; ipsas oportet, in infantibus per glandulas subditas, ex melle, modico sale, aut nitro. In perfectioribus, muria acri, aut centaurij decocto cū nitro, & melle. Aut decocto colocynthidis, aut absinthij, aut chamæleonis, aut anchusæ, aut cnici, aut hyssopi, aut pulegij, aut calaminthæ, aut lupinorum. Post infusa per clysteres, rectum intestinum subli-natur ex simplicibus, acacia, aut hypocisthide cum nitro, aut rhoë syriaco cum alumine liquido. In his qui adstricti sunt, lemnia terra sphragide appellata cum uino. Ex compositis, pastillo Andronis, & similibus. Sed & cedria ipsis infundatur per clysterem multipliciter perforatum, quales sunt ut. ri fusorij appellati. Aut carne salsa quæ ad hoc apta sit, indita, deligatione utimur, quamdiu id sustinere possint, ita ut ea frequenter alteretur. In commu-

Ichneumonis pili ni uero omnes à uermibus infestatos iuuant pili ichneumonis suffiti. Alimenta ipsis sint boni succi, & quæ facile distribui possunt, & neq; efficientem lumbricorum causam augent, neq; uires imminui permittunt, quarum gratia etiam uinum dabimus aquosum. Et tum ea de causa frequētius ipsos nutriemus, tum ut ne alimento carentes lumbrici, morsus inducant. Tempus autem alimenti dandi tum maxime est, quum aliquantò adhuc lumbrici sunt habitiores. Si uero etiam fluxlo uentris affuerit, nosse oportet magis augeri lumbricos, eo quòd alimenta non distribuuntur. Et lorbiles cibos ipsis exhibere oportet, aliquibus etiam adstringētibus ammixtis, uelut sunt pira, mala, mala punica præsertim acida. Forinsecus autem ad uentrē utendum est auxilijs adstringentibus, uelut suprà dictum est.

De dracunculis. Caput LVIII.

Dracunculi IN India & regionibus supra Aegyptū dracunculi generantur, uelut lumbricis similia animalcula quædam, in musculosis partibus, brachijs uidelicet, fœmoribus, tibijs. In pueris uero etiam in lateribus sub cute consistunt, & manifestè mouentur. Deinde temporis progressu diuturniore, iuxta dracunculi aliquam extremitatem, locus suppuratur, & aperta cute, principiū dracunculi foras procedit. Verum dum attrahitur, dolores inducit, & præsertim ubi abruptus fuerit. Quapropter aliqui plumbeā molem ex dracunculo suspendendam esse dicunt, ut ue acceruatim, sed particulatim ex plumbi mole delapso ipsius fiat. Alij hos damnantes, eo quòd nihilo minus ex pondere plumbi dracunculus abrumpatur, & uehemētes dolores inducat, iubent partem demittere in aquam calidam, quo dracunculus ex caloris fomento foras procedat, atq; ita digitis ipsum particulatim extrahere. Cæ-

Nerui concretionē esse dracunculum teri um Soranus neq; omnino animal, sed nerui alicuius concretionem, dracunculum esse putat, qui opinionem solum inducat, quòd moueatur. Siue autem

A autem hoc sit, siue prius illud, & Sorano, & Leonidæ, & alijs uisum est, affusione calidæ & cataplasmatis cōcoctorijs in his utendum esse, quæ ex aqua mulsa, & farina triticea, aut ordeacea parentur. Sed & emplastri eiusdem facultatis usum quandoq; probant. Commodum autem fuerit & id quod ex baccis lauri, & quod ex melle constat. Nam ex horum usu, dracunculus, siue corpusculum illud contentū mortificatur, & excidit. Suppuratione uero cōtingente, si nō exciderit, dissecetur cutis, & denudatū id quod cōtinet, auferatur, & linamēta indātur, & deinceps suppuratoria curatio adhibeat.

CAPITA QVINTI LIBRI.

In hoc quinto totius Operis libro habetur tractatio de ferarum uenenatarum morsibus, & de plagis earum quæ uenenum eiaculantur, & de auxiliaribus aduersus uenena medicamentis.

PAVLI AEGINETAE REI MEDICAE LIBER V. [redacted]

Medico Physico interprete.

Quæ præseruent in communi ab omnibus uenenum eiaculantibus. Caput I.



De uenenum eiaculantibus animantibus dicturi, ab his quæ in communi omnibus talibus commodant initium sumemus, ea quæ præseruant prius tractaturi. Si igitur quis in locis eiusmodi feris refertis, ex aliqua necessitate dormire cogatur, in quibus maxime salamādrę, aut phalangia, aut reptilia quędam abundant, horum quidē subterraneas latebras, allio cum aqua trito, aut aliqua ex refetendis herbis, obturare conuenit. Suffite uero cornua ceruina, ungulas caprinas, aut pilos, gagaten lapidem, bitumen, bdellium, galbanū, cupressi aut cedri ramenta, melanthium, peucedanum, uiticis folia, calaminthen, sagapenum, castorium, canchryos radicem, conyzam, aut aliquid ex reliquis graueolentibus. *Culices fugantia* Culices uero priuatim fugant suffitu, atramenti sutorij, melanthij syluestris seminis, cumini, singulorum æquales partes cum stercore bubulo. B Adhęc etiam ignem frequentius accendere conuenit. Nam feræ splendorem plerunque fugiunt. Stratum substernendum est ex asphodelis, calamintha, uitice, pulegio, polio, conyza, abrotono. Si uero fieri non possit, ut toto quis strato huiusmodi utatur, strato saltem hæc circumcirca indantur. Animaduersionem etiam habere oportet in his quę coquuntur, & in aquis, & uasis uinarijs, & diligenter obturando. Nec uero focos sub quibusdam arboribus facere oportet, præsertim picea & pinu. In his enim salamandræ & erucæ letales abundant, quæ præ ignis calore calescentes, ollionijs incidunt, aut etiam alijs uasis, si non fuerint contecta. Qui uero securiores esse expetūt, hi cerato liquidiore illinantur, ex cera, rosaceo, galbano modico, & cornu ceruini ramento modico, aut etiam cumino Aethiopico. *Apes & uespæ ne feriant* Priuatim uero ut ne quis ab apibus & uespis feriatur, prohibent maluæ folia cum oleo trita illita.

Curatio communis omnium ab aliquo uenenum eiaculante ictorum aut morsorum. Caput II.

SI contingat ut aliquis ictus sit aut commorsus ab aliquo uenenum eiaculante, statim exuctione utendum est. Oportet autem eum qui exucturus est non esse ieiunum, sed uino os colluisse, & oleum in ipso continere. Deinde si pars admittit, cucurbitulam commorsis affigere, cum multa flamma scarificatione facta, itemq; uicinis locis. Reuellitur enim unà cum sanguinis & flatus attractione, etiam ipsum uenenum. Adurere quoq; oportet & crustis obducere ulcerata. *Præsectio partium extremarum* Sed & extremarum partium præsectiones adhibere commodum fuerit, si animal quod momordit letale fuerit, uelut est aspis, cerastes, uipera, & similia: quemadmodum sanè narrat Galenus, uinitorem quendam à uipera commorsum, quum feram illam cognouisset, statim digitum commorsum falce sibi amputasse, & penitus à periculo liberatum esse. Si uero uenenum prius per corpus distribui contigerit, statim ue-

næ se-

A næ sectione utendum est, & maxime si ictus humoribus repletus tibi uideatur. Dandum autem est cum cibis edendum piper, aut allium. Vinum bibendum est forte, ut ex eo recentibus uaporibus & familiari caliditate, corporis miscella repleatur. Postea uero cataplasmata adhibeantur, quæ morsum calefacere ac lancinare possunt. uelut est brassicæ aut fici cinis, aceto ammixto, aut lixiuio, aut garo. Item cepę cum polenta aut pane, & porrum cum sale. Aut pix liquida calida cum sale. aut cedria, aut caprinum stercus. Conuenit ipsis etiam perfusio ex aceto calido, in quo cocta est calamintha: aut ex aceto & aqua marina, aut ex aceto & muria. Imponendæ sunt locis gallinæ, & magis galli, aut alia animalia resecta calentia. nam & uenenum transsumunt, & dolores mitigant. Sed & emplastris utendum est ex salę, & eo quod ex canchry & adarce constat, & in summa his quæ acriorem facultatem habent. In communi uero omnibus à quocunque tandem uenenū eiaculante com morsis aut ictis, præterquàm si omninò non sunt læsæ partes in profundo, in potu detur seris, aut erica, aut astragalitis cum aceto. Aut bitumen, aut paliurus eodem modo. Aut paliuri decoctum. Aut mustelæ assiccatæ drach. II. cum uino. Hoc celebre est. Aut testudinis marinę sanguis. Aut castorij drac. I. cum uino diluto. Aut libanotidis drach. I. Aut sicyonię radix. Aut porri succus. Aut chamæpitys, aut smyrnium, aut cinamomum, aut aristolochia, aut uiticis semen, aut cupressi pilulæ, aut seseli, aut piper, aut trifolij semen, aut baccæ lauri, aut cancri fluuiatiles tosti aut cocti. Vtere etiam composita huiusmodi theriaca.

Theriace ad uenenum eiaculantia, & uenena, à uiperis morsos, & scorpio ictos.

Bryoniæ, opopanacis, iridis Illyricæ, radicis libanotidis, myrrhæ, singulorum drach. IIII. aristolochiæ drach. V. thuris, rutæ syluestris, singulorum drach. III. farinæ erui drach. II. cum uino pastillos formato, & obolos III.
B cum uino dato. Quin & purgatio omnibus conuenit, & exudationes facientia medicamenta; & theriaces ex uiperis assumptio.

De morsis à cane rabido, & affectione formidinis aquæ. Cap. III.

SErmonē de morsis à rabido cane reliquis proposuimus, eo quòd animal *Canis rabidi*
id multum est, & familiare, & frequenter rabie corripitur, & ægre caue- *morsus*
ri potest, & periculum ex ipso uitari non potest, nisi multis & cōmodis auxilijs quis utatur. Rabiunt canes plerunque in uehementioribus æstibus. Ve-
rum ut Lycus ait, quandoque etiam in intentis frigoribus. Rabiosi uero facti *Lycus medicus*
canes & cibum, & potum auersantur. Et sitiunt quidem uehementer, potū autem non admittunt: & plerunque anhelant, & aures demittunt, & saliuam largam ac spumosam emittunt, & muti in totum sunt, adeoque uelut desipientes, ut neque familiares cognoscant. Inuadunt itaque omnes sine latratu, similiter & feras, & homines, & mordent. Mordentes autem statim quidem nihil molesti inferunt, pręterquàm ex uulnere dolorem. Postea uero affectionem
inducunt, quæ uocatur Aquæ formido, & contingit cum conuulsionibus, *Aquæ formido*
& totius corporis rubore, maxime autem faciei, & cum exudatione ac anxietate: & aquam fugiunt, siue uideant, siue admoueantur: quidam etiam omnem humorē. Quidam etiam latrant, uelut canes, & aggressi alios mordent, & morsu suo eiusdem affectionis causa sunt. Porrò symptomatum aliorum causa manifesta est, quum appræhenderit uenenum omnes partes. Quòd uero timent aquam, aliqui ob immodicam siccitatem fieri dixerunt,
nimirum humida ipsorum essentia penitus immutata. Verum Rufus me- *Rufus medicus*
lancholiæ talem ipsis speciem oboriri pronunciauit, ueneno illum atræ bilis humorem imitante, quemadmodum alios melancholicos nouimus alia atque alia timere. Quæ sanè causa concurrit etiam his qui dicunt ipsos putare, quòd canis qui ipsos momordit imago in aquis obuersetur. Cæterùm eorum qui hanc affectionē inciderunt, nullum sanatum esse nouimus, pręterquàm unum atque alterum ex historia nobis cognitos, & hos ipsos non à

rabioso

rabioso cane morsos, sed ex aliquo commorso affectione transsumpta. An te uero huius affectionis tentationem, multi etiam ex his qui à cane morsi fuerunt, seruati sunt. Hinc igitur curationis initium faciamus. Quando uero sæpe id contigit, ut ex eo quòd aquæ formidinis affectio hactenus nō ac cessit (plerunque enim circa quadragesimū diem irruere solet. In quibusdam post sex menses. narratur quibusdam etiam post septimū annum accidisse) quidam canem qui momordit non rabiosum esse opinati, ulcus ad cicatricem perducere festinarunt, atque sic ipsi affectionis autores fuerunt: hac probatione usus, utrum rabiosi canis sit morsus, aut non, comperies. Nucesregias probe tritas ulceri imponito, & postridie acceptas gallo edendas obijcito, aut etiam gallinæ: & primum quidem ipsas non continget, si uero fame urgente ederit, attendito. Si enim non rabiosus fuerit canis qui momordit, uiuet animal quod edit. Sin rabiosus, postridie morietur: & tunc ad ulceris apertionem festinabis, & post paucos dies rursus eadem probatione uteris. Et ubi animal non morietur, ulcus ad cicatricem perduces, nimirum uelut ægro iam à periculo liberato. Hanc itaque probationem Oribasius tradidit. At si ex relatis signis canem rabiosum esse exacte cognouerimus, aperientibus statim utemur. Primum igitur ex aperientibus est id quod ex pice, aceto acerrimo, & opopanace paratur, ad sauciatos neruos relatū. Si uero tenera cute præditus fuerit is qui commorsus est, irino aut balsamo, aut aliquo huiusmodi diluatur. Aut fomento prius adhibito, ulcera allio integito. Hoc etiam crustam inducit.

Canis rabidi morsus cognitio

Siccum crustificum in rabiosi canis morsu.

Salis fossilis drach. VIII. chalcitidis drach. XVI. scillæ drach. XVI. rutæ uiridis drach. IIII. æruginis rasæ drach. IIII. seminis marrubij drach. I. Vtere primum sicco, ut crustam inducat deinde cum rosaceo ut crustæ excidat. Seruentur autem partes non inducta cicatrice ad dies quadraginta duos.

Cataplasma in rabiosi canis morsu osculo ampla conseruans.

Cepas cum sale & ruta imponito. Aut silphium cum sale. Aut salsamentum uetus. Aut cinerem sarmentitium cum oleo. Aut allium, aut sambuci folia, aut mentam, aut melissophyllon, singula cum sale. Aut nuces regias cum cepa, & sale, ac melle. Aut cinerem ficulnum cerato exceptum. Abluito autem ulcus chamæmelo in aqua cocto, & rumicis syluestris radice. Quidam etiam ferramentis ignitis ulcus urunt. Præbibenda uero ipsis danda sunt simplicia, lycium, absinthium, silphij succus, chamædrys, scordium, polium. composita hæc. Cancrorum fluuiatilium ad sarmenta uitis albæ, in cyprio aut æreo uase ustorum cochlearia II. radicis gentianæ tritæ cochlea. I. cum uini meraci ueteris cyath. II. ad dies quadraginta bibenda præbe. Quidam etiam sanguinis perdicis cochlearia II. addunt. Cancros autem augescente luna capere oportet, ante solis exortum. In his uero qui eodem die non biberūt, duplam mensuram dato, aliquando etiam triplam. Quin & ex uiperis theriaca recte dari potest. Purgare uero oportet medicamēto ex cucurbita syluestri quotidie dato, cum decocto salute, aut sideritidis heracleæ, quam sane etiam alysson uocant. quidam etiam hepar canis qui momordit edendum dederūt. Victus talis assumatur qui simul obtundat ac extinguat ueneni facultatem, simulque impediat in profundum delationem. Vtrunque autem facere potest uini dulcis meraci ueteris, & lactis potus. Similiter allorum, ceparum, & porri esus. Si uero non à principio assumpta fuerint auxilia relata, propter aliquod impedimentum, carnis refectionem, aut cucurbitarum admotionem, aut ulceris ustionem non assumere oportet, quum iam ulcus ad profundum processerit. Verum relato ex alto euocandi ductu utendū est, nō oborta uidelicet aquæ formidinis affectione. purgatio itē ex Hiera, & ex scillo lacte assumatur. Sudorem elicientia exhibeantur. & dropacismi & sinapismi fiant particulatim per totum corpus. efficacissimus autem omnium cognitus est ueratri uius sæpe assumptus.

Cyprium uas

Alysson, sideritis Heraclea.

Hepar canis

Adnon

Ad non rabiosorum canum morsus. Cap. IIII.

CAnum non rabiosorum morsus, qui & ipsi uenenosa aliqua essentia ac natura participant, statim asperso aceto, expassa manu percute, insuperq; nitrum cum aceto tritū ex alto supra morsum destilla, & deinde spongiam nouam aceto imbutam, aut etiam aceto cum nitro mixto tinctam, ad triduū impone, & deligatam sæpe madefacito. perfectè enim persanat. Aut erui farinam oleo subactam imponito. Aut spongiam nouam. Aut lanā succidam aceto & oleo imbutam adhibeto. Aut rubi folia contusa cum aceto imponito. Aut cepam tritam cum melle. Aut origani comæ, & salis, & cepe, singulorum æquales portiones cum melle. Aut marrubium nigrū, quod etiam balloten uocant, cum sale. Cæterùm ad morsus iam suppuratos farinam erui melle subactā imponito, priuatim enim ad hos facit. Inflammatos autem spuma argenti trita cum aqua illinito. Canis non rabiosi morsus Ballote

De uespis & apibus. Cap. V.

QVi ab apibus icti sunt, eos consequitur plagæ dolor, rubor, tumor, partium circumstātiū eleuatio, & aculeus in plaga manet. Qui uero à uespis, similia quidem, uerum magis intenta, eo excepto quòd aculeus nō relinquitur. Ad utriusq; morsum facit lutum, aut stercus bubulum illitum, aut fici succus, aut mori folia trita, aut maluę folia, aut ordeacea farina cum aceto imposita. fomentum item ex muria, aut aqua marina. Vesparum & apum ictus

De phalangijs. Cap. VI.

COmmorsis à phalangijs ipse quidem locus rubicundus apparet, & punctis similis, neq; tumidus, neq; calidus, sed moderate subrubicundus, uerum perfrigeratus & pruriginosus. Sequitur percussos perfrigeratio, tremor, corporis grauitas, sudor frigidus, dolor intentus, pallor, urinarum assidua ad excretionem irritatio, In quibusdam urinæ difficultas, & colis arrectio, oculi humidi, distentio circa inguina & poplites conuulsoria, morsus
B stomachi uehemens, linguæ obscuritas, uomitus aquarum, aut aranei telis similium: quibusdam etiam per urinas & uentrem eadem feruntur. Et si in calidam aquam demittantur, dolore liberantur, & rursus uehementer dolent. Auxilium uero sentiunt, si extrinsecus ipsis imponas cinerem ficulnum, cum sale trito uino subactum. Aut mali punicæ syluestris radicem tritam. Aut aristolochiam cum farina ordeacea aceto subactam. Perfundenda sunt ulcera aqua marina calidiore, & melissophylli decocto, huius etiam folia imponenda sunt. Oportet etiam balnea frequentiora adhibere, & prępotationibus uti his, abrotoni semine, aniso, aristolochia, cicere syluestri, cumino Aethiopico, cedri baccis tritis, platani cortice, trifolij herbæ semine, myricæ fructu, singulorum horum drach. II, bibendas præbe, cum uini hemina una. facit & uiridium cupressi pilularum aut foliorum decoctum, uino temperatum. Quidam etiam cancrum fluuiatilem in succum redactum, cum lacte & apij semine exhibitum, liberare tradunt. Phalangiorū morsus

De araneæ morsu. Cap. VII.

EST etiam quoddam aranearum genus, quod ubi percussit intentos dolores circa medium præcordium gignit, ruborem item & urinæ difficultatem: quandoq; etiam suffocationem. Alleuantur autem icti ab his, si cuminum syluestre thebaicum, aut urticis semen, aut populi albæ folia in potu sumant, aut allium solum ingerant, & uinum meracum insuper sorbeant. Araneæ morsus

De scorpij plaga. Cap. VIII.

A Scorpio ictis locus statim inflammari incipit, ut qui durus & rubicundus, & cum dolore circumtentus fiat, & uicissim nunc feruorem, nunc frigiditatem percipiat. Et quum dolor sequitur, quandoque leuiter affligit, quandoq; augescit. Concomitatur sudor, horroris sensus, tremor, extremarum partium frigiditas, inguinum tumor, & membri arrectio. Sepe uero etiam flatuum cum strepitu per sedem eruptio, pilorum erectio, color fœdus dolorosus circa summam cutē, quum sensus ita afficiatur, uelut ab acupunctura Scorpij plaga

ctura fiat Sed & his confestim auxiliatur fici succus uulnusculis instillatus, A
& ipse scorpius qui percussit tritus ac plagæ impositus. Postea uero sal tri-
tus imponatur, cum lini & althææ herbę semine. Auxiliatur etiam sulphur
uiuum resina exceptum, aut terebinthina. Similiter & galbanum ad splenij
formam dilatatum ac impositum, calamintha trita imposita, & cruda farina
ordeacea præparata cum uino & rutæ decocto. Sic etiam auxiliatur semen
trifolij herbæ tritum ac impositum præbibant etiam aristolochiæ drach. II.
maxime corticis cum uino. Gentianam item contusam, & pulegium satis
decoctum, & baccas lauri decem tritas, & calaminthen diutius coctam cũ
posca, & cyperum cum uino. Rutam eodem modo, & fici succũ, & silphiũ
si adsit: sin minus, succo parthico utendum est. Facit & trifolij semen potũ,
Argenti effi- & ocymi semen. præter opinionem quoq; facit argentum statim plagæ ap-
cacia positum. His uero omnibus conferri potest balnei usus assiduus cum mul-
ta exudatione, & uini potus meracior, itemq; uinum aqua dilutum. Com-
posita præbibantur hæc: Sulphuris uiui fabæ Aegyptiæ magnitudo, cum
piperis granis VIII. in uini hemina dimidia. Aut silphij succus cum can-
cro tritus in uino. Aut melanthij, cumini Aethiopici, uiticis seminis, singu-
lorum æquas portiones cum uino.

Ad graues scorpionum ac phalangiorum plagas.

Fecis uini drach. XVI pyrethri drach. IIII. seminis rutę syluestris drach.
III. castorij, erucæ seminis, singulorum drach. II. excipiantur testudinis ma-
rinæ sanguine. Dantur oboli IIII. cum uini meraci aut aceti cyathis III.
Aliud. Pyrethri, aristolochiæ, singulorum drach. IIII. piperis drach. II. suc-
ci silphij drach. I. datur fabæ Aegyptiæ magnitudo.

De scolopendra terrestri ac marina. Cap. IX.

Scolopendræ MOrsis à scolopendra, in communi locus circumcirca morsum liuescit,
utriusq; mor- & attollitur, & aliquando fœculentus, raro uero etiam rubicundus ap-
sus paret. Vlceratur etiam ab ipso morsu uitio lacto, ulceratione quadam do- B
lorosa ac ægrè curabili. Ad hæc etiam pruriginosus sensus per totum cor-
pus contingit Priuatim autem his qui à marina scolopendra morsi sunt, a-
quosus & pellucidus quandoq; tumor fit: qui uero à terrestri, rubicundus.
Ipsi igitur plagæ salem tritum imponere oportet, aut rutam tritam, aut ci-
nerem aceto subactũ, aut scillam. Perfundere uero muria acida oportet, aut
uelut Archigenes iubet, oleo multo calido, atq; sic relata imponere. In potu
exhibeantur Aristolochia cum uino, aut serpillum, aut calamintha, aut ru-
ta syluestris, aut trifolium, aut succus radicis asphodeli heminæ dimidiæ
mensura cum uino.

De stellione. Caput X.

Stellionis QVi à stellione morsi sunt, intentè dolent, & morsum liuidum habent.
morsus Opem autem statim sentiunt, si plaga cepis & allijs integatur. Quin
& si eadem edant, insuperq; uinum meracum absorbeant, curantur. Sesamũ
etiam tritum ipsis imponitur.

De mure araneo. Caput XI.

Muris aranei AD muris aranei morsum sequuntur dolores pulsatiles, rubores circa sin-
morsus gulas dentium puncturas, pustulæ circum morsum sanioso humore ple-
næ, & in propinquo omnia liuescunt. Etsi pustulæ cutis subexcorietur, al-
bum apparet ulcus, dilaniatis membranis neruolis. Ad hęc excidunt partes
putrescentes, uomeriente similiter ut in eis quæ pascendo proserpunt. In-
super etiam tormen sequitur circa intestina, & urinæ difficultas, & frigidæ
humiditatis circumestuatio. Auxiliatur ipsis ex galbano splenium, per se
impositum, aut cum aceto tritum Aut farina ordeacea cum aceto mulso im-
posita. Et ipse mus araneus qui momordit dilaniatus ac impositus, & pyre-
thrum impositum. Aut mali corium mali punici dulcis coctum. Aut malua
syluestris. Aut allium tritum, aut sinapi tritum cum aceto. Et muriæ calidæ
perfusio, deinde ordei usti cum aceto cataplasma. Præbibant abrotonũ co-

ctum

A ctum cum uino, aut sisymbrium, aut serpyllum, aut erucam, aut galbanum, aut saluiam, aut cupressi pilulas teneras cum aceto mulso. Aut pyrethrum cum uino. Aut chamæleonis radicē, aut hœdi coagulum siue agni. Aut gentianæ radicem, aut uerbenacam. Hæc etiam cataplasmatis uicem præbet. Sed & ipsum murem araneum qui momordit, tritum cum uino bibendum exhibent. Facit & hoc. Myrrhæ drach. VI. aristolochiæ corticis drach. IIII.

Cæterum ad muris aranei & scolopendræ morsum, salem cum pice liquida imponito. Aut cedriam cum melle. aut allium cum fici folijs & cumino. aut calaminthæ folia, aut ordeum cum aceto.

De uipera mare ac fœmina. *Cap. XII.*

IN his quâ à uiperatum mare, tum fœmina cōmorsi sunt, aut etiam à simili bus uenenum eiaculantibus, sequitur in principio quidem dolor cōmorsi loci, postea uero etiam totius corporis. apparent autem in morsu duo foramina parum inter se distantia, & fluxio ex his sanguinis & humoris saniosi, postea uero etiam oleosi, postremum etiam æruginosi ac uenenosi, quem sanè quidam ferarum illarum uenenum esse dicunt. Sequūtur quoq; tumores circa morsum subrubicundi ac liuidi, coloris circa corpus nitiditas, uertigo, stomachi exolutio, animi deliquium. In quibusdam etiam uomitus biliosus, urinæ difficultas: & circum morsum pustulæ emergunt uelut in ambustis: & nome circumcirca depascens corripit ad circumsitas partes proreptans, & gingiuæ ipsis cruentantur. Accedit ipsis etiam tremor, & sopor, & frigida exudatio. Minore uero periculo liberari uidentur qui à uipera fœmina morsi sunt, quam qui à mare. Et ex his ipsis minus periclitantur qui cibum præsumpserunt. At in curationibus præsentissimum auxilium est al lij esus, & meri potus, adeò ut si quis hæc sustineat, alio auxilio opus nō habeat. Edant etiam porrum, & cepas, & salsamentum acerrimum. Quidam etiam ranas cum iusculo præparatas edendas dederunt. faciunt quoq; hæc B singula cum uino pota, testudinis marinæ sanguis siccus cum cumino syluestri, coagulum leporis, aut hinuli trium obolorum pondere, ceruini puden di sicci drach. I. anchusa tenuifolia tota. Hanc etiam quidam appendūt. succi porri hemina dimidia ex aqua mulsa, melissophylli foliorum succus, ruta syluestris, gallinarum domesticarum cerebrum, panacis radix cocta cum uino, agarici drach. I. baccæ iuniperi, asphodeli radix, pistacia trita, uiticis semen, mustelæ assiccatæ drach. II. echij radix & succus, cancri fluuiatiles, aut marini per se, & cum staphide syluestri, & sale, ac polio, aristolochiæ radix cū myrrha, & gentiana, & baccis lauri, singula æquis portionibus melle excepta. Sed & hoc admirandum est, ab Oribasio traditū ad uiperæ morsus. Anisi acetabulum, piperis drach. IIII. aristolochiæ corticis, opij, castorij, myrrhæ, singulorum drach. I. passo trita in pastillos fabæ græcæ magnitudinis efforma, & pro uiribus præbe, cum uini diluti cyath. III.

Uiperæ morsus

Aliud ex libris Lyci, pharmacum ad uiperæ morsus accommodatum. Myrrhæ, castorij, piperis, portulacæ, singulorum drachmam I. seminis anethi acetabulum, passo trita dato. *Lyci libri*

Aliud ex libris Archigenis. Cancros XX. cum sufficienti farina triticea in pila diligenter tundito, & calaminthes ac salis modicum ammisceto, & in pastillos efformato ac siccato. Utere uero in cataplasmate cum lacte. & cum aqua mulsa unum bibendum præbeto. Si uero cancros fluuiatiles non habeas, marinis inquit, utere. forinsecus autem plagæ impositū caprinum stercus cum uino egregiè auxiliatur. Aut lauri folia cocta cum oleo. Aut lauri baccæ, aut calamintha, erica, ruta, apium, abrotonum, galbanum in splenio, origanum uiride tritum, pulli gallinacei dissecti, & calidi impositi, ac frequenter permutati, erui farina uino subacta, raphani cortex tritus. scilla cocta, cruda ordeacea farina cum aceto mulso, cucumeris syluestris folia cum polentæ polline, fex uini similiter cum polentæ polline, ruta cum sale & melle, furfur in aceto coctum, cinis cum aceto, cedria cum sale, pix *Cancrorū medicamentum*

r liquida

liquida cum sale. Verum perfusio fiat cum trifolij decocto, aut pulegij, aut muria acida. Quum uero subcruentæ factę fuerint pustulæ, findito ipsas ita ut ne excories, deinde multa aqua perfundito, & lenticula cocta cum melle integito, donec persanatæ fuerint. Cæterùm antidotus ex uiperis priuatim in his efficax est, & pota, & morsui imposita.

De amphisbæna ac scytala. Cap. XIII.

Amphisbæna Scytalæ morsus

COnsimilia eueniunt etiam ex horum morsibus, & eadem auxilia opitulantur. Quapropter priuatam aliquam descriptionem non requirunt.

De dryino. Cap. XIIII.

Dryinus

DRyinus uelut Galenus ait, in quercuum radicibus uitam degens, adeò maleficus est ad male perdendum, ut si quis ipsum calcet, pedes ipsius excorientur, & multus tumor per tota crura fiat: & quod adhuc magis admirandum est, aiunt quòd si quis etiam curare ipsos uelit, huius manus excoriari. Si uero quis defendendi se studio ipsam feram occidere uelit, hunc pessime olere dicũt, & nihil aliud olfacere. Percussis autem à dryino tumor eleuatur circa locum, cum rubore, & pustularum eruptione in circumsitis partibus. Sequitur etiam quandoq; aquosæ saniei excretio. Concomitatur autem oris uentriculi morsus, & tormen. Conuenit ipsis aristolochia in uino pota, & trifolium herba, & asphodeli radix similiter accepta, & omnis quercus fructus tritus potus. Similiter etiam ilicis radices contusæ ac impositæ locale auxilium præbent.

De hæmorrhoo, prestere siue dipsade. Cap. XV.

Hæmorrhus

AB hæmorrhoo commorsis uehementes circumcirca incidunt dolores, qui breues penitus ac angustas reddunt corporis raritates, præ afflictionum cõtinuitate. Ex morsu autem sanguis excernitur multus, & si ulla corporis parte cicatrix fuerit, erumpit ac sanguinẽ fundit. Alui egestiones cruentæ excernuntur, & qui defluit ab ipsis sanguis, in grumos concretus est. Dum autem tussiunt, sanguinem è pulmone educũt, & euomentes citra auxilium pereunt. *Dipsas* At à dipsade morsos, ardor insedabilis corripit, & sitis uehementer intenta, ut neq; expleri possit, neq; desinat, & ægri potũ abundanter trahant, & ita tamen affecti sint, uelut qui omnino potum non accepissent, consimilisq; corporis totius habitus consequitur, uelut in hydropicis propter assiduam potus ingestionem. *Prester Causus* Vnde & πρηστὴρ, & καῦσος, ab ardore, aut dipsas à siti appellatur. Cæterùm apud plurimos ueterum, ab hæmorrhoo & dipsade commorsi, pro desperatis, & quibus auxilium ferri non possit, habiti sunt. Verum si his quæ proprietate quadam aduersus hanc bestiam prosunt, destituti fuerimus, communia auxilia experiri oportet, & statim scarificationes adhibere, & ustionẽ, & si locus permiserit, extremarũ partium præsectionem. Consequenter uero acrium cataplasmatum impositiones. Commodat & omnis acrium ciborum esus, maxime salsamentorũ. Meraci item uini potus. & balneũ. Hæc uero assidue, & ex paruis interuallis sæpe adhibere oportet, priusquàm irruant morbi. Nam ubi illi comparuerint, nulla penitus utilitas auxiliorum ex medicis contingit. At localia ad morsus ipsos imponenda, in dipsadis quidẽ morsu descripta reperimus, portulacæ folia trita cum aceto. polentam & rubi folia trita cum melle plãtaginem, hyssopum, allium album, porrum, rutam, urticam. In hæmorrhoi uero morsu tum hæc, tum ad hæc, uitis folia cocta cum melle trita. Per os uero ipsius bestiæ caput ustum bibatur, aut allium cum oleo irino. Edant etiam uuas passas.

De hydro siue natrice. Cap. XVI.

Hydrus Natrix

AB hydro commorsis ulcus dilatatur, & liuescẽs magnum fit, saniesq; ex ipso nigra, multa, graueolens, uelut ab ulcere depascente excernitur. curatio mali temporis progressu, & uix perficitur. His igitur Origanum tritũ cum aqua subactum, super morsum imponatur. Aut lixiuium quercinum oleo mixto. Aut farina ordeacea cum melle eliquato. Bibuntur & aristolochiæ

A chiæ drachmæ duæ in uino diluto, aut poscæ cyathis duobus. Deinde mar rubij succus, aut decoctum cum uino. Aut nasturtium syluestre. Aut hastulæ regiæ semen, aut flos. aut fœniculi semen cum uino. Recens etiam fauus mellis facit, si edatur cum aceto.

De cenchrina siue miliari. Cap. XVII.

His qui à cenchrina morsi sunt, morsus similis est uiperæ morsui, cõsequitur putredo, & defluunt carnes, quæ prius uelut in hydrope intumuerunt. Lethargo corripiuntur, & in somnum profundiorem delabuntur. Erasistratus dicit ipsis affectum esse hepar, & uesicam, & intestinũ crassum. Refectis enim ipsis, partes hæ corruptæ inueniuntur. His igitur lactucæ semen cum lini semine impositum auxiliatur. Et satureia trita, & ruta syluestris, & serpillum cum hastula regia tritum. In potu uero euestigio dantur, centauræ radicis drach. II. cum uini cyath. III. Aut aristolochiæ radix eodẽ modo. Similiter item nasturtium & gentiana. Cenchrinas

De ceraste & aspide. Cap. XVIII.

Tres aspidis species Galenus esse dicit. Vnam quæ terrestris appellatur. Alteram quæ chelidonia. Tertiam quæ Ptyas, quæ etiam perniciosissima omnium existit. Nam hæc ubi collum extendit, & spacij longitudinem mensa est, collimatè uenenum corporibus inspuit. Hanc reginam Cleopatram peremisse dicit, quæ ubi Augustus Antonio deuicto ipsam captiuam abducere uellet, ipsa bestiæ huic sinistram mammã admouit, & ab hac cum morsa perijt. nam ita celerrimam mortem inducit. Commorsis itaq; à cerastẽ locus attollitur, cum duricia & pustulis. Fluit ex morsu sanies, quandoque nigra, quandoq; subpallida, & prasini coloris. Et uaricum speciem præ se ferunt morsi, per totum corpus. Et pudendum quidem intenditur. Mens autem emouetur. Oculorum uero obscuratio succedit. Tandem autem pereunt in anteriorem ac posteriorem partem conuulsi, uelut in tetano solent. Aspidis III. species Chelidonia Ptyas Cleopatræ interitus Cerastes

B At ab aspide morsis, paruus omnino apparet morsus, similis puncturis acus, citra tumorem. Sanguis non multus, sed paucus niger destillat. Velox autem oculorum obscuratio apprehendit. Dolorq; corporis multiformis omnino leuis, & non sine uoluptate consequitur. Quapropter bene exclamauit Nicander: Perimitq; uirum absq; dolore. Nicander poeta

Color permutatur & uiridis ac herbaceus fit. oris uentriculi morsus mordicus est. frons assiduè reuellitur. palpebræ absq; sensu mouentur, uelut in somni accessione. Et in his mors corripit, ne tertia quidẽ diei parte dilatione facta. Vtrisq; igitur compendio auxilium affert extremarũ partium resectio. Quapropter citra dilationem resecanda est commorsa pars, si id fieri potest. Aut caro circumcirca euestigiò concidatur, & per profundum ad os usq; excindatur, quo commorsas partes & his uicinas uenenum non excurrat. deinde reliqua cauterijs resiccentur. Horum enim uenenũ, uelut etiam Basilisci, instar taurini sanguinis, celerrime & sanguinem, & spiritum in arterijs congelat.

De Basilisco. Caput XIX.

Et hæc bestia raro in hominum conspectum uenit. Erasistratus autẽ dicit. Quum basiliscus momorderit, plaga subaurea fit. Et conferre ipsis dicit castorij drach. III. in potu. Eodem modo etiam papaueris succum. Nos autem nihil horum experti sumus. Basiliscus

De marina pastinaca, & muræna. Cap. XX.

In marinis, uelut est pastinaca & muræna, dignotio conspicua est. Sunt enim noti pisces. Morsis ab ipsis opitulatur succi fici guttæ IIII. aut paulò plures, cũ serpylli ramulis III. aut IIII. potæ. Itẽ quæ ad uiperas descripta (sunt. Pastinaca marina. Muræna

De dracone marino. Cap. XXI.

Marini draconis plagam plumbo confricato. Aut serpyllo trito integito. Aut lente cocta, aut sulphure cum aceto. Aut ipso dracone discerpto. Vrina uero humana irrigato. Absinthium uero aut saluiam cum uino Draco marinus

 diluto

diluto bibendum dato. Aut cremorem uini dulcis in quo fici ramuli cōmaduerunt. aut piscis cerebrum. A

De scorpio marino. Cap. XXII.

Scorpio marinus

SCorpij marini plagam sanat mullus dissectus & impositus. Sulphur uiuum cum aceto affrictum. baccæ lauri tres tritæ ac potæ.

Præparatio sanguinis testudinis marinæ. Cap. XXIII.

Testudinis marinæ sanguinis præparatio

TEstudinis marinæ sanguis ad repositionem pręparandus est hoc modo. Testudini super ligneum aut fictile uas reclinaræ supinæ caput cito amputato. Ipsum uero congelatum sanguinem, in multa frusta per harundinē diuidito, impositoq; uali operculi uice cribrato, ad solem exponito, & resiccatum reponito, ac utitor ad uiperę morsum, uelut dictum est, drachmis II. cum aceti cyatho I. secūda die drach. IIII. cum aceti cyath. II. tertia drach. VIII. cum aceti cyath. III.

De morsis à crocodilo. Cap. XXIIII.

Crocodilus

IN morsis à crocodilo, nitrum tritum cum melle, donec repurgetur ulcus imponito. deinde melle, butyro, medulla ceruina, adipe anserino morsum impleto. Galenus se cognouisse dicit, eos qui à crocodilo morsi essent, exactè auxilium sensisse, adipe ipsorum crocodilorum uulneribus imposito.

De morsis ab homine. Cap. XXV.

Hominis morsus

NOn extra propositū opus fuerit, inter uirus eiaculantia animalia, etiam hominis morsum scribere, si quidem multò maligniora alijs ulceribus apparēt ea quæ hominum morsus sunt, & maxime si ieiunus fuerit qui momordit, & legumina, & maxime lenticulam antea comederit. In communi igitur ea quæ de alijs uenenum eiaculantibus dicta sunt, etiam in his cōueniunt, ab initio morsui forinsecus adhibita, exceptis his quæ ualdè acria sunt, & urentia. propriè uero morsu ex oleo prælito, fœniculi radicem cum melle imponito. Aut fabaceam farinam cum posca & oxyrhodino imponito, & frequenter permutato. Emplastro uero utere hoc. Squamæ æris, galbani, æruginis, singulorum unc. I. ceræ lib. I. plumbaginis lib. II. olei sextario I. plumbago cum oleo præcocta, æruginē & squamam æris assumit, & ubi spissata fuerint, liquescibilia liquefacta adijciuntur. Sedata uero inflammatione, uelut commune ulcus, etiam hæc curato. B

De uenenis. Cap. XXVI.

Venena simplicia

QVum de animantibus uenenū eiaculantibus compendiò docuerimus, consequenter ad tractationem de uenenis progrediemur, simplicia quidem expositiri, & horum notas, ac auxiliaria medicamenta, tum in cōmuni, tum singulis peculiaria producturi. composita uero tractanda si quis

Venena composita

uolet sinemus. Nam uariorum medicamentorū occidendi uim habentium compositiones quidam exposuerunt, quæ lædere magis, quàm prodesse legentibus possunt. Necq; enim exacta signa horum in his qui ea sumpserunt comperiuntur, quo etiam conueniens auxilium quis ipsis adaptare possit. Quum uero uaria hæc appareant ex prædominante in ipsis facultate, fortassis etiam id quod aduersus illa accepta exhibetur, uariū quis efficere poterit, ita ut quandoq; ex æquo, quandoq; ex prædominante facultate, iuxta coniecturæ usum id concinnet. Rursus igitur & hic à pręseruantibus initium faciendum est.

De præseruatione à uenenis. Cap. XXVII.

A uenenis præseruantia

IN doctrina de medicamentis uenenosis, ea species quæ præseruationē docet maxime difficilis est, eo quòd hi qui occultè illa exhibent, ita rem moliantur, ut etiam peritissimos fallant. Nam letalīū amaritudines medicamentorum, ammixtis dulcedinibus tollunt: graueolentias uero, aromatū ammixtionibus. Aliquando uero in morbis, dum in utilitatem exhibere putātur talia, uelut est absinthium, abrotonum, opopanax, castorium, ipsis uenena ammiscent. Quin & in cibis, uelut sunt duriora, aut uaria obsonia, illa ammixta uenena offerunt. Quare si quis suspicionem habet, is condita edulia

uitet,

A uitet, & omnem intentam qualitatem, dulcem uidelicet, salsam, & acidam. Maxime uero aquæ quod satis est præsumere oportet. Expleta enim appetentia, de cætero facile deprę henduntur qualitates. Sed alia quędam adhuc est præseruationis ratio ualidior. Nam eos qui tale quid suspectum habent, præsumere oportet ea quæ medicamenta hebetare ac destruere possunt, uelut sunt caricæ, cum nucibus regijs, & ruta, ac salis grano: & mala medica, cedromela appellata. Bibant etiam napi semen drachmæ pondere cum uino: aut calaminthæ folia, aut lemniam terram sigillatam, aut rutæ folia XX: & à nullo medicamento lædentur. Sed & antidoti quotidie præsumptæ cũ uino, fabæ Aegyptiacæ magnitudine, ualdè securè præseruant. Tales sunt, Antidotus ex scinco, & quæ ex sanguinibus constat, & Mithridatica. Hac quondam etiam ipse rex Mithridates usus est, præseruandi à letali medicamento gratia, quotidie ipsam sumens. Quum igitur à Romanis captus esset, bis poto letali medicamento, ubi inde uitam finire non posset, gladio se ipsum peremit. Quandoquidem uero etiam citra insidias, ex casu quandoque in desertis locis, homines in noxias res incidunt, uelut si ita contingat, ut sub arbore aliqua, pinu puta aut picea, cibum capiant, attendant ad ea letalia animalia, quæ ex his arboribus, aut etiam ex laquearibus decidunt. Vasa item uini, & aquæ, & in quibus obsonia coquunt, operculis tegant, quemadmodum etiam in animantium uenenum eiaculantium præseruatione dictum est.

Mithridates contra uenenã munitus

Curatio communis eorum qui quodcunq; uenenum sumpserunt.

Caput XXVIII.

SI qui ultrò letale medicamentum sumpserint, quo seipsos uita priuent, qualia multa in uita contingunt: aut etiam per insidias aliquorum illud datum fuerit, si quidem manifestum nobis est id quod assumptũ est, statim ad auxilium conueniens deueniemus, uelut in tractatione horum dicetur.
B Si uero datum medicamentum nobis incognitum fuerit, statim ad ea quæ in communi omnibus qui medicamentum biberint, competunt, progrediemur. Nam expectare consequentia signa, omninò incurabile malum facit, quum ob auxilij tarditatem ægrè opem sentiant. Statim igitur nulla dilatione facta, oleum calidum per se, aut cum aqua assumant, & ad uomitum cogantur. Si uero oleum non adsit, butyrum cum aqua calida exhibeatur, aut maluæ, uel seminis lini, uel tragi, uel fœni græci, uel seminis urticæ decoctum. Non enim per uomitus solum hæc euacuabunt, sed etiam aluum subducent, & medicamentorum malignitati se opponent, ut quæ acrimonias ipsorum obtundant, & præsertim oleum. Hoc autẽ euidenter inde cognosces. Si enim cutem ulcerare uolueris per cantharidem, aut calcem uiuam, aut eiusmodi acre quiddã, & oleo corpus prius illeueris, hoc nõ exulcerabitur. Imò neq; adstringere corpus potueris oleo prę illitum. Et alioqui uomitus non ob id solum quòd noxium euacuat, utilis est, sed quòd etiam acceptum medicamentum ostendit, ex odore, aut grumis, aut colore. Ex odore quidem & amaritudine, papaueris succum: ex colore uero, cerussam, aut gypsum: Ex grumis, lac, aut recens mactati tauri animantis sanguinem: ex uirositate, & qualitate ac odore, leporem marinum, & ranam rubetam; ut per hæc ad remedia unicuiq; congrua iter pateat. Ammiscendum porrò est oleo, maluæ decoctum, aut anseris adeps, aut pinguium carnium, aut gallinarum iusculum, aut lixiuium è cinere lignorum. facit etiam nitrũ tritum cum aqua mulsa, & uinum uetus multum, & potiones ex adipe, aut butyro. Cæterũ his quæ in uentre hęserunt per uomitus eductis, etiam id quod ad intestina delapsum est, acriori infuso euacuabimus. Postea uero lac bibendũ detur. Molestia enim & uis medicata ab hoc facile alterabitur. Dantur etiam medicamẽta in communi omnibus competentia, ex quorum numero est rubrica lemnia, abrotonum, agaricum, irio, eryngij radix, pastinacæ semen uel calaminthes, nardus celtica, castorium, ferulæ uiridis medul-

Oleũ uenenis aduersatur

 la, nerij

A

la, nerij quod & rhododendron & rododaphne appellatur, flores, marrubij succus, silphium aut succus eius, sagapenon, opopanax, peucedani succus & radix, aristolochia longa, rutæ syluestris semen, cestri quæ betonica appellatur, folia: singulorum drachmæ pondus cum uino. facit & polij decoctū, & pix liquida delincta. Præclarè auxiliantur etiam antidoti prædictæ, & magis theriaca ex uiperis. Nō autem eandem uim habent, si ante & post letalia medicamenta sumantur. Nam quæ magnitudo præsumpta satis est ad hoc ut nihil perpetiātur, ea in quadruplum aut quintuplum aucta: si post accepta letalia pharmaca detur, prodest: & nō semel in die, sed bis. Ita enim etiam admirando illi Galeno uidetur.

Antidotorum mensuræ ratio

Enumeratio simplicium uenenorum. *Cap.* XXIX.

Venenorū simplicium numerus

EX uenenis animalia mortifera sunt hæc, cantharis, buprestis, salamandra, eruca pinus, lepus marinus, rana rubeta, & rana palustris muta, hirudines deglutitæ. Semina uero, hyoscyamus, coriandrum, psyllium, cicuta, melanthium. Succi autem, papaueris succus, opocarpason, thapsia, elaterium, mandragoras. Radices, chamæleon, aconitum, thapsia, ixias, ueratrum, agaricū nigrum, ephemeron, quod aliqui colchicum uocāt, eo quod in colchide nascitur. Ramosa & olera, smilax, quam aliqui Thymion, Romani Taxum uocant, solanum furiosum, quod & dorycnion uocāt, Sardonia herba, quę ranunculi species est, papauer cornutum, pharicum, toxicū, ruta sylucstris, fungi. Ab animalibus sumpta, sanguis tauri recens, lac coagulatū, mel quod in Heraclea generatur. Metallica, gypsum, cerussa, calx, auripigmentum, sandaracha, spuma argenti, adarce, plumbum, & argentū uiuum hydrargyros appellatum. Ex familiaribus autem, uinum multū acervatim à balneo potum, aut passum. similiter etiam frigida aqua.

De cantharide. *Cap.* XXX.

Cantharides

HIs qui cantharidem hauserunt signa grauissima adsunt. Nam ab ore ferme usq; ad uesicam, omnia ipsis morderi uidētur. In gustu uero pici aut cedriæ simile quid percipiunt. dextrumq; præcordium inflammatū habent, & urinam ægre reddunt. Sæpeuero etiam sanguinem per urinam emittūt. progrediuntur autē ipsis per aluum, qualia in dysentericis solent. Et in animi deliquia, anxietatesq; ac uertigines incidunt. Tandem uero mente mouentur. Auxiliatur autem ipsis uomitus ex oleo & aqua, & potus lactis, & cimoliæ drach. IIII. cum aqua mulsa, nuclei pinei, cucumeris semen, iusculum bubulum pingue, aut anserinum, aut ouillum. carnes gallinaceæ, aut agninæ, aut ouillæ, aut porcellorum, flaccidæ ac pingues coctę cum lini semine. uinum dulce multum, corticis thuris drach. IIII. post uomitiones autem infundere oportet per clysterē, succum oryzæ, aut alicæ, aut tragi, aut ptisanæ, aut maluæ, aut seminis lini, aut althææ, aut fœni græci. Quandoq; uero etiam aqua mulsa cum nitro, intestinum detergere oportet, & illa rursus infundere. Postea autem inflammatas partes, cataplasmatis ex lini semine & ordeo mitigare. Nam ab initio hæc lædunt. Deinde etiam balneis aquarū dulciū utendū est. In potu danda sunt etiā ungenta, irinū & rosaceū.

De bupresti. *Caput* XXXI.

Buprestis

QVi buprestim hauserunt, uiroso nitro simile quid in gustu percipiunt. consequitur stomachi ac uentriculi dolor uehemēs. Tumor item uentris, uelut in hydropicis. circumtenditur ipsis totius corporis cutis. & urinæ supprimuntur. Auxiliantur ipsis eadem quæ aduersus cantharides dantur. priuatim uero opem sentiunt, post euacuationes per uomitus, & infusa per clysteres, si ficus aridas sumant, & decoctum ipsarū bibant cum uino. Declinante uero acuminis periculo, melius habent ex palmularum Thebaicarū esu, aut earundem tritarum potu cum lacte, aut uino mulso. Itemq; ex pirorum omnis generis esu, & ex muliebris lactis potu.

De salamandra. *Caput* XXXII.

Salamandra

A Salamandra accepta consequitur linguæ inflammatio, & mentis impedimen-

pedimentum, & tremor cum torpore quodam ac exolutione. Quędam cor poris partes liuescunt in orbem, ita ut sæpe ubi intus manserit pharmacum, putrescentes decidant. In hac accepta, omnia faciemus quæ aduersus cantharides. priuatim uero ipsis exhibemus resinam pinus aut piceæ, aut galbanum cum melle, aut nucleos pini cum decocto chamepityos. Aut urticæ folia cum lilijs cocta, cum oleo. Testudinis marinæ aut terrestris oua cocta. Ranarum iusculum, cum quibus cocta est eryngij radix.

De erucapinus. Caput XXXIII.

Eruca pini hausta, statim dolor circa os & palatum consequitur, inflammatio linguæ uehemens. & stomachi ac intestinorum dolor, cum pruriginosæ sensu circumtensionis. Ardor item per totum corpus, & anxietas. His opitulandum est similiter uelut in cantharidibus haustis. priuatim uero pro simplici oleo, melinum in his assumemus. Eruca pinus

De lepore marino. Caput XXXIIII.

Lepore marino poto consequitur sapor similis piscibus uirosis. progressu uero temporis uentriculus dolet, & urinæ supprimuntur. Si uero quandoque excretæ fuerint, purpurei coloris uidentur. Auersantur & odio habent omnes pisces. sudorem excludūt graueolentem. comitatur etiam uomitus biliosus, aliquando sanguine mixtus. Dandum autem est ipsis lac asininū, aut passum assidue. Aut maluæ radicis & foliorum decoctum. Danda etiā cyclamini radix trita, cū uino. Et ueratri nigri, aut scammoniæ succi drach. I. cum aqua mulsa. Et anseris recens mactati sanguis adhuc calidus. Sed & cancros fluuiatiles solum in cibo admittunt. Signum porrò salutis est, piscem edere posse. Lepus marinus

De rana rubeta, & palustri. Cap. XXXV.

Rana rubeta, aut etiam palustris rana accepta, tumorem corporis inducit, cum pallore buxeo intento. Accedit spirandi difficultas, & oris grau- Rana rubeta
B eolentia, & singultus. Quandoque etiam feminis emissio inuitis. facile tamē auxilium sentiunt, post uomitum, ex multo uini meraci potu. Item radicis harundinis drach. II. aut cyperi totidem acceptis. Verum cogere ipsos oportet, ut contente ambulent ac currant, propter eum torporem quem in se habent. Lauent autem quotidie.

De hirudinibus. Cap. XXXVI.

Hirudines cum aqua deuoratas, & deglutioni adhærētes, cognosces qui- Hirudines
dem ex eo quòd osculum uentriculi uelut exugitur & mordetur, quod sanè signum est hirudinem deuoratam esse. Quandoque uero etiam sanguinem floridum spuunt dum exscreant, hirudinibus gutturi affixis. Ejcit autem ipsas muria si sorbeatur, & succus cyrenaicus, aut folia silphij, aut bete, cum aceto. Aut nix cum posca pota. Gargarissent autem nitrum cum aqua, aut atramentum sutorium cum aceto. Eas uero quæ gutturi affixæ sunt extrahes, si in solium calidum ad collum usque desidere iubeas, & aquam frigidam ore detinendam præbeas. Egredientur enim frigidiorem aquam expetentes. Quidā cimices dederunt his qui hirudines deuorarunt. Ego uero inquit Galenus, allijs semper in his utens, cimicibus non opus habui.

De chamæleone. Cap. XXXVII.

Qui chamæleonem nigrum sumpserunt, his uehemens uentriculi morsus ac dolor adest, & cum euersione totius corporis tremor. Deinde etiam cōuulsio incidit. Et uomitus pituitosi ac spumosi. Quibusdam etiam singultus cum uocis interceptione, & faciei distortio. His conuenit succus triticeus pinguis, calidus potus: & uinum dulce aquosum calidum. & uomitus, & lactis potus, & molle per clysterem iniectum. & ex cataplasmatis fomenta. Ad eum uero qui strangulationem & liuorem inducit, absinthij potus facit, aut nitri cum aceto mulso, aut raphanorum. Conueniunt etiam præcordiorum fomenta. Chamæleo

De hyoscyamo. Cap. XXXVIII. A

Hyoscyamus HYoscyamus potus aut comestus, mentis percussionem uelut in ebrijs
inducit. facile uero curatur, ut qui opem sentiat aqua mulsa multa po-
ta, & lacte, maxime asinino, sin minus, caprino, aut bubulo: & ficuum arida
rum decocto. faciunt etiam nuclei pinei, & cucumeris semen cum passo ac-
ceptum. & uinum salsum cum adipe suillo recenti ac passo. & urticæ semen
eodem modo. Aut nitrum cum aqua. Conueniunt etiam intyba, & sinapi,
& nasturtium, & raphanus, & cepæ, & allia, singula hæc cum uino acce-
pta. Verùm cogere ipsos oportet ut quiescant, quo uelut hi qui uinum bi-
berunt concoquant.

De coriandro. Caput XXXIX.

Coriandrum COriandrum propter odorem latere non potest. Potum uero uocem exa
sperat, & insaniam inducit, uelut ex ebrietate. Loquuntur itaq; qui id
hauserunt turpia dictu, & per totum corpus ipsorũ coriandri odor transpi-
rat. Auxiliatur ipsis post eductionem cum oleo, aut irino, uelut dictum est
factam, uinum meracum multum cum absinthio, & per se potum. Oua e-
tiam in unum uasculum euacuata, trita'que ac cum muria absorpta. Sed &
muria per se pota, & iusculum salsum ex gallina & ansere. Et uinum dulce
cum lixiuio acceptum.

De psyllio. Caput XL.

Psyllium PSyllium potum frigiditatem totius corporis inducit, & torporem cum
exolutiõe ac mœrore. Aduersant huic omnia quæ etiã coriãdro hausto.

De cicuta. Cap. XLI.

Cicuta CIcuta pota uertigines & caligines oculorum inducit, ut eminus ne pa-
rum quidem uideant: singultum insuper ac mentis emotionẽ, & extre-
marum partium frigiditatem. Tandem uero cõuulsi suffocantur, spiritu qui
in arteria est suppresso. Ab initio igitur uelut etiam in alijs, per uomitus, e-
ductionem ipsius facimus. postea infusi euacuatorij usu, id quod ad intesti- B
na delapsum est excernimus. Et tũc uelut ad maximum auxilium, uini me-
raci potũ deuenimus, interuallis interpositis, in quibus dandum est lac bu-
bulum, aut asininum. Aut absinthium cum pipere & uino. castorium item,
& ruta, & menta cum uino. Et cardamomi aut styracis drach. I. aut piperis,
cũ urticæ semine, ex uino. Aut lauri folia tenera. Similiter & silphiũ, & suc-
cus ipsius, cũ uino & passo. Vinũ quoq; dulce per se potũ abunde cõpetit.

De papaueris succo. Cap. XLII.

Papaueris succus AD papaueris succi potum consequitur delatio in profundiorem somnũ
cum perfrigeratione, ac pruritu intento, ita ut sæpe præualente pharma
co, tantus accedat pruritus, ut ab ipso excitentur. Odorq; medicamenti per
totum corpus distribuitur. His auxiliatur post eductionem uomitus per o-
leum, & post infusa per clysterem acria, acetum mulsum cum sale potũ. Aut
mel cum rosaceo calido. Et meracum uinum multũ cum absinthio & cina-
momo Et acetum calidum per se. Et nitrum cum aqua Et origanum cum li
xiuio. Et rutæ semen cum pipere & castorio ex aceto mulso. Aut satureiæ,
aut origani decoctum cum uino. Oportet autem & hos odoramentis exci-
tare, & in calidum solium immittere, & propter accedentem pruriginẽ fo-
mentis mitigare. Et post balneũ pinguibus iusculis uti cum uino, aut passo.
Sed & medulla, cum oleo pota ipsis opitulatur.

De carpasi succo. Cap. XLIII.

Carpasi succus CArpasi succus potus, soporem grauiorem inducit, & repentinam suffo-
cationem. Qui hunc hauserunt, auxilium ex illis ferunt, quæ ad cicu-
tam sunt descripta.

De mandragora. Caput XLIIII.

Mandragoras SEd & mandragora poto, statim grauis sopor consequitur, & exolutio, a-
deoq; uehemens in somnum delatio, ut affectio nihil differat ab appella-
to lethargo. Conuenit his antea quàm horum quid accidat, & uomitus, &
post

A post hunc aqua mulsa. & nitrum, & absinthium cum passo aut uino dulci sumptum. Et capitis irrigatio, cum rosaceo & aceto. Excitatio item per corporis commotionem, & per odoramenta, uelut est piper, sinapi, castorium, ruta cum aceto trita, pix liquida, & lucernarum funiculi incensi ac extincti. Quòd si ægrè excitari possint, etiam sternutatoria ipsis admoueantur. Sed & alijs communibus auxilijs, etiam in his utendum est.

De aconito. Cap. XLV.

Aconitum

ACONITUM statim dum bibitur linguam cum quadam adstrictione edulcat, uertiginemq; maxime in exurgendo efficit, & oculorum humiditatem inducit. Grauitatem item thoracis & præcordiorũ, unà cum hoc quòd multi flatus redduntur. In his per uomitus medicamentum educere oportet, & aluum per clysterem subducere. Propinabimus autem origanum, & rutam, aut marrubium cum uino. Aut absinthium, aut erucam, aut abrotonum, aut chamæleam, aut chamæpityn. Conueniet ipsis etiam opobalsami drachmæ unius pondus cum uino. Et coagulum hœdi, aut leporis, aut hinuli cum aceto. Et ferri recrementum, aut ipsum ferrum, aut aurum, aut argentum, in uino extinctum, ita ut uinum hoc bibatur. Et lixiuium cum uino. Et gallinæ coctæ, aut carnium pinguium iusculum sumptum cum uino. Appellatur autem chamæpitys, quæ priuatim in his competit, in Heraclea quidem pontica ubi etiam Aconitum nascitur, holocleron, Athenis autem Ionia, in Eubœa uero Sideritis.

Metalla uino extincta

Chamæpityos species quædã: Holocleron Ionia Sideritis

De Ixia. Caput XLVI.

Ixias Vlophon

IXias quæ & ulophonon appellatur, in bibendo ocymi & odorem, & saporem aliquem refert: inducit autem linguæ inflammationem uehementem, & mentis perculsionem, & omnes excretiones supprimit, murmura simulq; strepitus inducens, cum animi deliquio, citra hoc ut aliquid progrediatur. Auxiliatur autem ipsis post largiorem per uomitum eductionem, &
B alui solutionẽ, absinthij cremor potus cum uino multo, aut aceto, aut aceto mulso. Et rutę syluestris semen, & silphij radix. Similiterq; Tragorigani decoctũ cum aliquo ex prædictis, aut cum lacte. Aut resinæ terebinthinæ, aut nardi, aut castorij, aut silphij, singulorũ obolus cum uino. Conueniũt etiam nucis regiæ fructus triti cum uino. Aut resinę, & castorij, & rutæ, singulorũ drach. I. Similiter chamelææ drach. II. Aut succi thapsiæ drach. II. cũ aqua mulsa. Et acetum calidum per se potum.

De ephemero. Cap. XLVII.

Ephemerum Colchicum Bulbus syluestris

QVi ephemerum acceperunt, quod aliqui Colchicum, eo quòd in Colchide nascitur, appellant, aliqui bulbum syluestrem, hos pruritus per totum corpus concomitatur, uelut ab urtica aut scilla excitatus. Et circa internas partes morsum percipiunt, stomachoq; uruntur cum multa grauitate. Inualescente uero affectione, per aluum fertur cruentũ quiddam ramentis ammixtis. His auxilium ferendum est uelut his qui salamandram hauserunt, & per uomitus, & per infusa per clysterem. At uero antea quàm inualescat uenenum, dandum est ipsis quercus foliorum, aut glandium, aut malicorij, aut serpylli decoctum, cum lacte bibendum. Aut polygoni succus, aut uirgultorum uitis, aut rubi, aut ferulæ tenerę medullæ, aut baccarũ myrti succus cum uino. Sed & ipsæ myrti baccæ tusæ, tritæ, & in aqua maceratæ opitulantur, cremore ex ipsis accepto. Similiter facit & castanearũ, quæ glandes Sardianæ appellãtur, media illa pellicula, cum prædictis succis accepta. Et origanum cum lixiuio potum. Exactum uero adeò auxilium sentiunt, ex lactis bubuli potu, aut eodem in ore detento, ut hi quibus eius copia est, alio nullo auxilio opus habeant.

Sardianæ glandes

De smilace. Caput XLVIII.

Smilax Thymion Taxus

SMilax, quæ à quibusdam thymion, à Romanis autem taxus appellatur, pota frigiditatẽ totius corporis inducit, suffocationemq; ac celerẽ mortem. Auxiliantur autem his omnia quæ ad cicutam haustam relata sunt.

De

De Solano furioso, à quibusdam dorycnio appellato. Cap. XLIX.

Solanum furiosum / Dorycnium — DOrycnio siue solano, ut quidam appellauerunt, furioso poto, in gustu uelut lactis qualitas quædam percipitur. Singultus adest assiduus, & linguæ humiditas, & sanguis aceruatim reijcitur, uniocoſq; ipſis per aluum feruntur, uelut in dyſentericis solet. Verum antea quàm horum aliquid consequatur, opem ferre oportet per ea quæ ad ephemerum acceptum relata ſunt, per uomitum dico, & infuſum per clyſteren, & quæ potum medicamentum educere poſſunt. proprie uero ipſis auxiliatur aqua mulſa, aut lac aſininum uel caprinum. Et uinum dulce tepidum cum modico aniſo potum, & amygdalæ amaræ, & pectuſcula gallinarum cocta, & omne conchyliorum genus crudum & aſſatum in cibo acceptum. Et locuſtæ, & gammari, & iuſcula ex ipſis pota.

De Sardonia herba. Cap. L.

Sardonia herba / Riſus Sardonius — SArdonia appellata herba, ranunculi ſpecies eſt, quæ pota aut comeſta, mentis emotionem inducit, & conuulſiones cum labiorum contractione, ut riſus imaginem præ ſe ferat qui ipſam hauſit. A qua affectione etiam Sardonius riſus, non admodum boni nominis adagio, uulgò circumfertur. In his priuatim poſt uomitum conuenit aqua multa multa data, & lac, irrigatio q; ac pinguefactio totius corporis per calefactoria medicamēta. & ſolium ex aqua & oleo calido, ita ut poſt egreſſum ex ſolio abundè illinantur ac confricentur. In ſumma uelut ad conuulſionem, totam curationem facere oportet.

De papauere cornuto. Caput LI.

Papauer cornutum — PApauer cornutum quod potum aut comeſtum, eadem ſymptomata quæ ſuccus papaueris inducit, iiſdem auxilijs ſubiacet.

De pharico. Cap. LII.

Pharicum / Saliunca — PHaricum ſapore in totum nardo ſimile eſt. potum uero reſolutionē inducit, & mentis percuſſione ac conuulſione. Oportet autē poſt eductionem ipſius, cum uino abſinthite bibendum ipſis exhibere cinamomū, aut myrrham, aut nardum celticam, quam aliqui Saliuncam uocauerunt. Aut ſpicæ nardi drach. II. & myrrhæ obolos II. ammixto paſſo. Aut iridem, & croci florem, cum uino. Cataplaſmata uero capiti præraſo adhibenda ſunt ex farina ordeacea, cum ruta trita, & aceto.

De toxico. Caput LIII.

Toxicum — TOxicum ex eo nominatum eſſe uidetur, quòd Barbari ſagittas τοξεύματα dicta, cum ipſo illinerent. Conſequitur eo poto, labiorum ac linguæ inflammatio, & inſania quæ detineri non poteſt, cum uarijs imaginationibus irruens, ut etiam ob id difficulter curentur, & rarò ſeruentur aliqui quid biberunt. Oportet tamen uinculis continenter deligatos cogere, & per uim dulce uinum cum roſaceo ipſis bibendum exhibere, & ad reuomendū impellere. Priuatim uero rapi ſemē cum uino potū ipſis conducit, & quinquefolij radix, ſanguiſq; hircinus aut caprinus, & quercus, aut phagi, aut ilicis cortex, cum lacte tritus. Et mala cydonia comeſta, aut cum pulegio trita ex aqua pota. Amomum item, & balſami ſemen cum uino. Quòd ſi periculū ex eo aliqui effugerint, longo tamen tēpore & in lectis decumbunt, & ubi ſurrexerint, uelut mente conſternati reliquū uitæ tempus tranſigunt.

De fungis. Cap. LIIII.

Fungi — FVngi partim genere, partim copia lędunt. Inducunt autem omnino acceptī ſuffocationes, ſtrangulationibus per laqueos ſimiles. His ſtatim commune auxilium exhibere oportet, per oleum ad uomitum cogendo. Mirifice uero opem ſentiūt, lixiuium ex cinere ſarmentorum uitis, aut lignorum piraſtri, cum poſca, & ſale, aut nitro bibentes. Sed & ipſa pira ſylueſtria, aut piraſtri folia, ſi cum fungis coquātur, ſuffocandi uim ab ipſis auferunt. Ipſa quoq; pira ediſſe prodeſt. Commodat ipſis & gallinarum ſtercus in poſca potum. Ariſtolochiæ drach. I. aut abſinthij, cum uino. Mel item ſi delinga-tur &

tur & bibatur cum aqua. Et apiastrum cum nitro. Aut panacis radix & semen cum uino. Et ex uini usta cum aqua. Et atramentum sutorium cum aceto, Raphanus etiam, aut sinapi, aut nasturtium in cibo. Quandoquidem uero quidam fungi à uenenatis bestijs arrosi, non solum suffocant, sed etiam ulcerant intestina, dandum est absinthium largum, & ficuũ & origani decoctum, & aqua mulsa. Conducet etiam uomitus, & folium calidum, & cruda ordeacea farina præcordijs imposita.

De sanguine taurino. Cap. LV.

SAnguis tauri recens mactati potus, spirandi difficultatẽ inducit, & suffocationem, & meatus circa tonsillas & deglutitionem obturans, cum uehementi conuulsione. Inueniturq; in ipsis lingua rubicunda, & dentes colore infecti, & grumi inter ipsos. In his uomitum recusamus, eo quod grumi magis in stomacho compingũtur, dum per attractionem eleuantur. Verum danda sunt ipsis quæ congelationẽ sanguinis dissoluere possunt, & aluum subducere. Dandi sunt grossi ficus succo pleni, *cum posca & nitro. Facit* etiam coagulum omne cum aceto. Et silphij radix cum succo similiter, & brassicæ semen, & lixiuium ficulneum, & conyzæ folia cum pipere, & rubi succus cum aceto, oportet autem aluum subducere. Cæterum his qui seruantur, fluida ac graueolentia per sedem reddi solent. Sed & stomachus & uentriculus ipsorum, farina ordeacea cum aqua mulsa cataplasmatis modo integendus est. *Sanguis taurinus*

De lacte coagulato. Caput LVI.

QVi lac coagulatum sumpserunt, his aceruatim ingens suffocatio immi-net, eo quòd in grumos cogatur. His in auxilium exhibere oportet, uelut antidotum ipsum coagulum cum aceto, *ita ut sæpe hoc bibere cogan*tur. Calaminthæ etiam folia arida, aut succum similiter. Aut silphij radices, aut succum cum posca. & thymum cum uino, & lixiuium pleatorum, si suero nihil ingerant. Inde enim lac magis congelatur, & in caseum abit. Sed neq; his uomere expedit. In stomacho enim inhærens in grumos coagulatum strangulat. *Lac coagulatum* *Lixiuium pleatorum*

B

De melle in Heraclea. Cap. LVII.

QVi mel in Heraclea ponti nascens ederunt aut biberunt, his eadem accidunt quæ ab aconito sumpto ingruunt. Conueniunt ipsis etiam ea quæ de illo relata sunt. Facile autem opem sentiũt, ex uini mulsi assiduo potu, rutæ folijs ipsi ammixtis. *Mel in Heraclea*

De gypso. Caput LVIII.

GYpsus pota suffocationem inducit lapidescens. unde auxilia ad fungos congrua transferre huc oportet, & in his maluæ decoctũ dare pro oleo. Quum enim id pingue sit, in reuomendo lubricitatem inducẽs, corpora deradi non sinit. Gypsum enim lapidescens hoc facit. Conuenit etiam oleum in aqua mulsa, & ficuum decoctũ, & lixiuium ficulneum, aut ex sarmentis uitis, cum uino multo. Et origanus, aut thymus cum lixiuio aut aceto, aut passo. Oportet autem & his maluæ decoctum per clysterem infundere. *Gypsus*

De cerussa. Caput LIX.

CErussa propter colorem latere non potest. Vltrò uero accepta palatum inalbat, & linguam, & intermediam dentium partem. Inducit autẽ singultus & tussim, & linguæ siccitatem, & extremarum partium frigiditatẽ, cum mentis perculsione, ac motus difficultate. His conuenit dare aquam mulsam, aut ficuum aut maluæ decoctum, aut lac calidum, aut sesamum tritum cum uino, aut lixiuium ẽ sarmentis uitis, aut oleum amaracinum, aut irinum. Persicorum etiam ossa cum ordei decocto. Aut thus, aut prunorum gummi, aut ulmi liquorem illum qui in folliculis continetur, cum aqua tepida. Vomant autem ab unoquoque. Conuenit ipsis & thapsiæ succus, aut scammoniæ succi oboli III. cum aqua mulsa poti. *Cerussa* *Persicorum ossa* *Vlmi liquor*

De

De calce, sandaracha, & auripigmento. Cap. LX.

Calx Sandaracha Auripigmentum Arsenicum — CAlx & sandaracha & arsenicum siue auripigmentum pota, alui & intestinorum dolores inducunt, cum morsu uehementi. Quare exhiberi ipsis oportet omnia quæ temperare & soluere possunt, & uomendi facilitatem, & ad aluum lubricitatem exhibere: qualis est hibisci & maluæ succus, & seminis lini decoctum, aut tragi, aut oryzæ. Lac item multum, & aqua mulsa, & iuscula pinguia & boni succi.

De spuma argenti. Cap. LXI.

Argenti spuma — SPuma argenti pota, stomachi & uentris, & intestinorum grauitatem inducit, cum torminibus intensis. Quandoque etiam intestina sauciat grauitate, & urinas supprimit. Intumescit autem ipsorum corpus, & plumbi colorem induit, indecorumque efficitur. In his conuenit post uomitum, hormini syluestris semen cum uino potum. myrrhæ oboli III. Absinthium, hyssopus, aut apij semen. Aut piper, aut ligustri flos cum uino. Columbaru item syluestrium fimus aridus, cum nardo & uino.

De plumbo. Cap. LXII.

Plumbi ramenta — ET qui plumbi ramenta, aut loturā hauserunt, similia symptomata habēt, & similia auxilia requirunt, cum his qui spumam argenti biberunt.

De argento uiuo. Cap. LXIII.

Argentum uiuum Hydrargyrus. — ET argentum uiuum hydrargyros appellatum, eadem quæ spuma argenti inducit. Et in his, auxilijs ijsdem uti oportet. Videtur autem ipsis prodesse multi lactis potus, uerum & hi uomant.

De ueratro albo, thapsia, elaterio, agarico nigro, ruta syluestri, melanthio, recentibus Cacti spinæ pappis. Caput LXIIII.

Thapsia. Veratrū album. Elaterium. Agaricum nigrum Ruta syluestris. Melanthium Pappi qui sint Cactos spina. — PRouidentia utendum & in his quæ ob utilitatem exhibentur, pericula uero non minora sæpe inducunt quàm alia medicamenta, qualia sunt proposita, dico autem, ueratrum album, thapsia, elaterium, agaricum nigrū. Hæc enim suffocationem aut nimiam purgationem inducunt. In quibus suffocationes quidem, uelut de fungis & similibus dictum est, curabimus: nimias autem purgationes, his quæ excretiones cohibere possunt, supprimemus. Quin & ea quæ parum quidem lædere uidentur, aliquando autem pericula inducunt, non negligenda sunt. Ex quorum numero est & syluestris ruta, & melanthium, & recentes pappi. Sunt aūt flores spinæ, quæ cactos appellat̃. In his solus uomitus adhibitus restituit eos qui illa acceperūt.

De his quæ nobis familiaria sunt, uelut est uinum, & frigida aqua. Caput LXV.

Venena esse etiam nobis familiaria — ET frigida aqua accurata pota, & meracum multum, & dulce uinum, maxime à balneo, aut cursu, & ualidis exercitationibus, suffocationes & dolores inducunt. In his autem uenæ sectio, & infusi per clysterem euacuatio assumpta, imminens periculum exoluunt.

CAPITA SEXTI LIBRI.

In hoc sexto totius Operis libro, de his quæ per chirurgiam administrantur tractatur, tum his quæ in carne, tum quæ in ossibus cōsiderantur, quæ sanè in tractatu de fracturis & luxationibus absoluuntur.

B

PAVLI AEGINETAE REI MEDICAE LIBER VI. [redacted]

Medico Physico interprete.

Procemium de his quæ per Chirurgiam administrantur.

Caput I.



QVVM totam tractationem de his quæ per Chirurgiam administrantur, bifariam diuiserimus, tum in ea quæ in carne aggredimur, tum in ea quæ in ossibus, quorum consideratio & in fracturis, & in luxationibus consistit: Nunc ab his quæ in carne administrantur ordimur, consueto nobis compendio etiam hic usi. Rursus igitur ex superioribus partibus initium facientes, ustionem quæ in capite, et eam maxime quæ in uertice fit exponemus.

De capitis ustione in lippientibus, ægrè respirantibus, & in Elephante

Caput II.

IN oculis humore ex supernis influente, & in difficulter spirantibus, ob superfluæ humiditatis redundantiam, quæ ex capite deorsum ad thoracem demittitur, & partes quæ isthic sunt, sua assiduitate affligit, ustionem circa medium capitis faciunt, hoc modo. Prærasis circa uerticem partibus, cauteres oliuænucleos referentes immittunt, ad os usq; cutem adurentes, & post crustam elapsum os deradentes. Quidam uero etiam ipso osse usto, squamā paruam excidere faciunt, quo illinc humorum in capite perspiratio ac euacuatio facilis contingat, seruantq; aliquandiu ulcus, deinde sic ipsum ad cicatricem perducunt. At uero in his qui ad Elephantiasim inclinationem habent,

Vstio circa medium caput.

bent, quidam quinq; crustas in capite inurunt. Vnam ab anterioribus, partibus paululum supra sinciput. Alteram hac inferiorem, paululũ supra frontem, ad finem pilorum. Et aliam ad occipitium. Et reliquas duas, iuxta squamiformia dicta agglutinamẽta, paululum supra aures, ita ut altera à dextra parte, altera à sinistra fiat. Atq; hoc modo per plurium squamarum detractionem, & multitudinem, & crassitudinem humorum exhalare faciunt, & ex capitis profunditate uelut per canales educunt, & per hoc ne oculi lędãtur prohibent. Sed & alium cauterem spleni adhibent, quo primariæ atrabiliarij humoris parti, per crustam in cutem factam, curatio contingat.

Squamiformia agglutinamenta.

De Hydrocephalis, *Cap.* III.

Hydrocephalus affectus.

HYdrocephalus affectus nomen habet ab humoris, qui essentia aquosus est, proprietate. Contingit hic pueris circa ipsum partum, capite ab obstetricibus inepte compresso, aut ex causa obscura, aut ex ruptura uasis siue uasorum, effuso sanguine in lentam substantiam commutato: aut per rarefactionem, materia persudante, et inter cutem, ac membranam caluariam ambientem delata. Nam aut inter caluariæ membranam, et cutem, humor consistit: Aut inter caluarię membranam, et os: aut inter os, & cerebri membranam. Quibus igitur inter cutem, & caluarię membranam est humor, his adest tumor ad tactum mollis, concolor, doloris exors, in altum incuruatus, per exiguum corpusculum ad digitorum innixum occurrens, facile cedens ac contra renitẽs. Quibus uero inter caluariæ membranam, et os consistit, reliqua quidem similiter habet, tumor autem solum durior est, & tarde cedens, ut qui etiam per plura corpuscula occurrat. Magis etiam dolent. Quibus autem inter cerebri membranam et os, his tumor quidem erit, sed non cedens, neq; similiter ad tactum mollis, & tamen uiolenta compressione impulsus cedit. Nam os infantium quum adhuc recens compactum sit, facile cedit, et maxime suturis rarefactis si humoris transitus foras contingat. Hoc
B uero facile cognoscitur, ex eo quod humor in compressione retrò redactus, in profundum decurrit. Dolor etiam bis maior est, & caput totum disparatur, et frons ipsis extrà proiecta est, & intentis oculis uident, & frequentius lachrymãtur. In his igitur chirurgiam reprobamus, etiamsi aliqui chirurgi terebello circumforatum os eduxerint, uelut in loco de fracturis in capite dicetur. At si inter cutem & caluariæ membranam humor consistit, & paruus sit tumor, unam dissectionem per medium transuersam faciemus. Si uero inter caluariæ membranam et os, & maior fuerit tumor, duabus dissectionibus usi sumus per medium sese mutuo secantibus. Si uero adhuc aliquãto maior tumor sit, etiam tribus literam .x. imitantibus. Cæterum post chirurgiam excreto humore, & linamentis inditis, commode deligabimus, & usq; ad tertium diem uino & oleo rigabimus. Post quem diem solutione facta, per linamenta medendi ductu curabimus. Et si moram trahat os carne non obductum, leuiter ipsum rademus.

Rasura ossis.

De arteriarum sectione. *Cap.* IIII.

Arteriarum sectione.

IN fluxionibus oculorũ diuturnis, et in uertiginis affectione, arterias retro aures dissecare consueuimus. Præradenda igitur est posterior capitis pars & per digitos tentanda. Nam ex pulsu eius loci, arteriæ situs facilime deprehendetur. Et postea ad os usq; secare ipsam oportet, duorum digitorum longitudinem sectione habente, et atramento scriptorio antea notata. Hac uero non occurrente, trium digitorum spacium ab auribus metiri oportet, & tunc chirurgiam adhibere, & arterias per transuersum dissecare, donec & fluxus sanguinis apparuerit pulsatorius & organum contigerit os ipsum. Cæterum post moderati sanguinis fluxum, diuisa caluariæ mẽbrana, ne ob distentionem inflammetur, & osse deraso, cuneolum ex linteo inijciemus uulneribus, & linamentario ductu curabimus. Si uero etiã his nudum os permanserit, similiter huius rasura utemur.

Rasura ossis.

De uasorum exsectione, & ustione. Cap. V.

Vasorum exsectione

A

IN dimidiæ capitis partis affectione, & in his qui diuturna, aut etiam in acuta fluxione, calida & acri, oculos dolent, ut etiam calor circa temporum musculos cum tumore oboriatur, uasorum exsectionem omnes approbarunt. prærasis igitur circa tempora pilis per digitos tentabimus, fomento præmisso, aut etiam colli constrictione usi. Vbi uero uasa sub aspectum uenerint, ipsaq; atramento notauerimus, cutem ex lateribus, & nostræ sinistræ manus, & ipsius ministri digitis leuabimus, & in ipsum uas superficiariam sectionem faciemus. Deinde penitus insectum, hamulisq; distentum, uas, et per instrumenta membranis detrahendis apta denudatum, undiquaque exolutum attollemus: et siquidem tenue fuerit, hamulo cæco id extentum & obtortum per totum penitus excidemus ita ut etiam pars ipsius apprehendatur. Si uero magnum sit, duplo filo, aut lino crudo, aut alio quopiam ualido, per acum subiecto, & primum uase in directum per uenæ secandæ instrumenrum diuiso, & moderato sanguine euacuato, iuxta duas extremitates nudatum filo deligabimus, & intermediam partem aut statim aut solutionis tempore excisam auferemus. Quidam uero etiam citra sectionem, per cauteres oliuæ nucleos referentes uasa perurunt, ad multam profunditatem. At uero post chirurgiam linamẽtis siccis conuulsis inditis, & splenio superimposito deligabimus. Post solutionẽ uero, puluillis incarnantibus, & his quæ linamentis excepta induntur, & medicamentis ad cicatricem perducentibus, curationem transigemus, nimirum ubi iam computruerint ac exciderint fila ac uincula deligationis.

Venarũ ustio

De hypospathismo. Cap. VI.

Hypospathismus

INstrumenti species huic chirurgiæ nomen fecit. Vtimur autem hypospathismo in his quib. multa pituita ad oculos defertur. Sed et facies ipsis rubicunda existit, et circa frontem discursum quendam uelut uermium aut formicarum percipiunt. Prærasis itaq; circa frontẽ pilis, infernam maxillã mouere iubebimus et uitato musculorum temporaliũ motu tres sectiones in fronte rectas consimiles faciemus, ita ut unaquæq; duorum digitorum longitudinem habeat, et ad os usq; profunditatem, et inter se trium digitorum spatio distent. Post sectionem, hypospathisterem instrumentum adhibentes, à sectione ad sinistrum tempus, usq; ad mediam deueniemus, totum id quod interiacet una cum caluariȩ membrana excoriãtes. Deinde rursus spathulam à media sectione usq; ad reliquã immittemus. Et postea cultelli acuti acie ad primã sectionẽ immissa, ita ut acutum ipsius latus internæ cutis carni adaptatum sit, obtusum uero ossi, usq; ad mediam sectionem ipsum impellemus. omnia quidem à capite ad oculos descendentia uasa, non tamen ad summam usq; cutem dissecantes. Et rursus à media sectione, ad ultimam ipsum adigentes similiter uasa dissecabimus. Cæterum post moderatam sanguinis euacuationem expressis grumis, linamenta intorta tria, singula in singulas sectiones immittemus, & linteum complicatum aqua madefactum super imponemus, ac deligabimus. Postera die non solum ulcera, sed etiam temporum musculos, & aures ob inflammationem, uino & oleo irrigabimus. Et tertia die solutione facta, multa perfusione utemur, & emplastro Basilico cum rosaceo soluto linamentis illitis ac inditis consequenter curationem absoluemus.

Formicarum discurrẽtium sensus

B

Hypospathister, idẽ quod spatha

De periscyphismo. Cap. VII.

Periscyphismus

IN quibus multa & profunda uasa fluxionis copiam oculis immittunt, in his periscyphismum, id est incisionem circum scyphium, id est caluariam adhibemus. Signa uero adsunt his talia. Primum inuenies ægrotorum oculos macilentos ac paruos, et ad uisum debiles, angulos autem erosos, & palpebras exulceratas, et pilos ab ipsis defluentes. Et lachryma tenuis ualde et acris cum caliditate defertur. Et dolor est in capitis profunditate acutus & uehemens, et assidua sternutatio. Præraso igitur capite, et temporum musculis,

lis, uelut dictum est uitatis, sectionem transuersam à sinistro tempore ad dextrum usque ducemus. Habeatautem sectio terminos in partibus motus exortibus, paulò supra frontem inducta, coronaria sutura à nobis uitata. Leonides in mediam frontem sectionem facit. Denudato uerò osse, cuneolis aut linamentis pluribus disparabimus, extremitates autem sectionis deligabimus, & uino ac oleo uelut antea dictum est irrigabimus. Post solutionem uero, inflammatione iam declinante, eos rademus, donec carnem producere incipiat, & ductu concarnationis curabimus puluillis incarnantibus utentes. Ex quorum numero est & is qui recipit farinæ triticæ partes duas, colophoniæ partem unam, & qui priuatim puluillus capitalis appellatur. Item incarnantia ex pumice composita. Cute.n. per crassiorem cicatricem densata, etiam uasorū oscula cōclusa, priorē fluxionē ad oculos deferri prohibēt. *Concarnationis ductus*

De palpebræ supernæ sutura, & alijs modis, in his quibus pili in palpebris succrescunt. Cap. VIII.

Pilorum ordo geminatus qui distichiasis dicitur, est exortus pilorū præter naturam ad naturalem pilorum palpebræ ordinem accedens, ex fluida affectione originem trahens, quum multus quidem, lenis tamen et non acris fuerit influens humor. Nam qui acrior est, aut salsuginosior, aut aliâ, qui mordax, is sua diuturnitate etiam naturales palpebrarum pilos corrumpit. Quando que igitur in hac affectione sutura utimur. Quandoque in phalangosi, ubi palpebræ margo intrònutat et cum ipso phalanx & acies pilorum intrò uertitur. Quandoque uero etiam in laxatis palpebris, quum naturales pili oculi bulbum compungunt. Proinde ægroto in sella collocato, aut ante nos, aut à sinistris, supernam palpebram euertemus, & si quidem longos habuerit pilos, eos indice ac pollice sinistræ manus apprehendemus: sin breues, acum trahentem filum per mediam marginem ab interius foras transmittimus. Deinde extenta per filum, cum sinistra manu, palpebra, cum dextra per specilli cuspidem, retro filum, ipsam sinuatam euertemus, & paulo interius quam siti sunt pungentes pili, subsectionem in marginem à magno angulo ad paruum usque pertingentem faciemus. Filo uerò post subsectionem extracto, sinistræ manus pollici paruum quoddam duplicatum linteolum subijcientes supercilium extendimus. Sed & alijs paratus complicatis linteolis in summos angulos iniectis, per ipsa ministrum retro stantem, palpebram distendere iubebimus. Et tunc per scalpellum suturis destinatum, primum sectionem uerutam appellatam faciemus, paulo supra naturales pilos, ab angulo ad angulum pertingentem, ea profunditate ut sola cutis diuidatur. Post ipsam uero, etiam lunatam adhibemus, inde initio sumpto, unde etiam uetuta incipiebat, in tantam autem altitudinem progressu facto, ut tota superflua cutis circumscribatur, ut similiter desinamus, ubi etiam illa desinebat. Postea quum circumscripta per duas sectiones cutis myrti folium referat, angulum illum ad dextram nostram hamulo transfigimus, & totam hanc cuticulam excoriamus. Deinde ubicibus per spongias detersis, tribus aut quatuor suturis, uulneris labia contrahimus à media sectione initio sumpto, & acu in ipsam subsectionem transmissa. Sit autem filum ex lana, cuius superfluum non prope futuras resecetur, sed ut triumdigitorum longitudo ab ipsis supersit, quam ad frontem extentam emplastro aliquo glutinatorio agglutinabimus. At palpebræ pilos per acus aciem à suturis liberabimus. Hic igitur chirurgiæ modus communis et tutus est. Quidam uero fugiunt excoriationem. Quapropter post factam subsectionem, palpebræ tenendæ apta uolsella, hoc est ad circumferentiam palpebræ formata, distentam superfluam cutem, per scalpellum rescindunt, & suturas uelut diximus adhibent. Quod si in parte quadam palpebræ solum fiat à pilis punctura, in illa etiam solum facere chirurgiam conuenit. Postea linteis complicatis posca madefactis & impositis deligabimus, ita ut ad tertiam usque diem posca aquosa irrigemus, qua soluemus, & recisis superfluis filis,

Distichiasis

Phalangosis

Veruta sectio
Lunaris sectio

Collyrium croceron ex rosis

filis, aut croco aut glaucio, aut aliquo inflammationem arcente collyrio, ueluti quodam ex rosis crocero, palpebras oblinemus. Si uero suturæ inflammatæ fuerint, etiã emplastrum quoddam molle ipsis imponemus, & ouis lactis ammixtis oculo infusis mitigabimus. Laxatas autem suturas recisas detrahemus. Noui porro quendam, excoriationem quidem palpebræ facientem ut dictum est, suturis autem non utentem, sed per medicamentum cicatricem inducens curationem perficientem. Coalescenre.n. uulnere, palpebra ex parte extenta, pilos foras nutare cogebat. Quemadmodum alius quidam neq; palpebræ excoriatione, neq; duabus extrinsecus sectionibus utens, sed subsectionẽ solũ faciens, per digitos aut etiam per hamulum, laxã palpebræ rugam extendebat, & duabus arundinibus, aut folijs siue bracteis quibusdam æqualem palpebræ longitudinem habentibus, latitudinem aũt angusti ueneę incisorij scalpelli, totam intermediam superfluam cutem intercipiebat, & uinculo ipsa iuxta utrosq; fines constringebat. Atq; ita tota retro cutis non nutriebatur, & propterea mortificabatur, intraq; decimum aut decimum quintum ad summum diem, unà cum arundinibus, aut folijs siue bracteis excidebat, ut ferè neq; cicatrix appareret. A

De palpebrarum ustione per medicamentum. Cap. IX.

Vstio per medicamentum

Lagophthalmica affectio

PAlpebrarum equidem ustionem per ustorium medicamentum, omnes ut uno uerbo dicam, ueteres reprobarũt, tum propter medicamenti acrimoniam oculis infestam, tum quod ustione modum excedẽte, lagophthalmica oboritur affectio, in qua hiantibus palpebris, uisus à quauis occurrente causa oblæditur. At quum multi qui semper à pilis pungũtur, & neq; nomẽ suturę sæpe audire possunt, inuitos nos sępe cogãt, uelut in rebus desperatis ustionẽ per medicamentũ adhibemus. Et compositio quidem medicamenti eiusmodi est. Calcis uiuæ partes. II. saponis gallici aut cõmunis partes. II. Quidam etiã aphronitri partes. IIII. Hæc trita lixiuio excolato, aut saponarico, aut alio ex ficulneo aut querneo cinere, urina pueri nõdum corrupti excepta, per specilli caput palpebræ inijcimus, myrtei folij figura tantum spacij adurentes, quantum etiam in sutura detraxissemus. Adusta uero in prima aggressione cute, tãtum illud per spongiam detrahimus, & rursus inijcimus, tandiu medicamentum manere sinentes donec locus nigrescat. Si uero non fuerit denigratus, etiam tertio inijciendum est. Denigrara uero iam cute, et crusta de cætero facta, abluto medicamento, balneis & perfusionibus, usque ad crustæ casum utemur. Post quem linamentis rasis, & collyrijs teneris cicatricem inducere conuenit. B

Lixiuium saponaricum

De Lagophthalmis. Cap. X.

Lagophthlami

LAgophthalmos appellãt eos qui supernam palpebram reuulsam habẽt. Hęc autem affectio fit uel ex natura, uel ex uulneris cicatrice, & hoc aut sponte, aut ex sutura, aut ustione, uelut paulo ante dicebamus, inepte administrata, inducta: In qua etiam solum moderata correctio fieri potest, si sufficientem crassitudinem palpebra habeat. Ipsam.n. cicatricem diuidere oportet, & disparatis per linamentum labris, uinculo ad absolutam usq; curationem uti, ita ut non ualde siccantibus utamur sed magis laxantibus pinguibus, qualis est fœnigræci succus affusus, & regium tetrapharmacum solutum, ac linamentis exceptum inditum.

De sutura palpebræ infernæ, & ustione per medicamentum. Cap. XI.

Phalangosis distichia

QVot pilorum affectionibus superna palpebra obnoxia est, totidem etiam inferna. Nam si & maior seipsa fiet, euertitur, & phalangosim, & distichian, hoc est multiplicem pilorum aciem, et geminatum eorundem ordinem sustinet. Eodem igitur etiam hic suturæ modo utendum est, immutato saltem ordine, ita ut primum Lunarem sectionem faciamus, propter impedimẽtum quod ex sanguine contingit. Deinde uerutam. Subsectio uero reprobanda est, eo quod insita grauitate inferna palpebra promptè euertitur. Sed & reliquam curationem, uelut in supernæ palpebræ sutura adhibe-

re

re oportet, hoc excepto, ut filorum eminentia in fronte non agglutinetur. A Si uero etiam hic chirurgiam fugientes, ustionem per medicamentum magis expetunt, etiam hanc iam traditam habes.

De palpebræ infernæ euersione. Cap. XII.

QVemadmodum in superna palpebra affectio lagophthalmica, ita in inferna euersio contingit, uerum non ex natura, sed aliquãdo propter laxationem ex medicamentis, quæ hanc inflammatione prægressa efficere possunt: aliquando uero propter suturam aut ustionem inepte administratam, palpebra euertitur. Acu itaq; accepta duplicatum filum trahente, carnosam palpebræ partem transfigimus, à sinistro angulo, ad dextrum ipsam traijcientes. Deinde annexo extremitatibus ipsius utrisq; filo, carnem per acum extendimus, atq; sic ipsam scalpello excindimus, unà cum ipsa auferentes etiam acum. Et si quidem receperit figuram suam palpebra, & intrò conuersa fuerit, contenti sumus hac Chirurgia. Si uero adhuc euertatur post carnis ablationem, auersum specillum iuxta externam partem sectæ palpebræ subijcimus, et iuxta internam palpebræ partem duabus factis sectionibus, à duobus angulis sectionis prius factę initium sumentibus, has ipsas in acutum ducimus, & his in unum iam adductis corpusculũ. Λ. literę græcæ simile auferimus, ita ut sit quidem acuta ipsius pars inferne ad oculũ, lata uero superne ad palpebræ marginem. Et postea disparatas partes acu laneum filum ducente contrahimus, duabus suturis contenti. Si uero propter suturã, aut ustionem palpebræ euersio fuerit facta, sub palpebræ pilis in ipsam primam cicatricem, simplicem sectionem faciemus, & disparatis labijs linamenta indemus, & reliquis uelut in lagophthalmis utemur, fomentis saltem exceptis, donec sutura conglutinetur.

Palpebræ infernæ euersio

De Illaqueatione, & ustione per ferrum. Cap. XIII.

IN quibus non sunt multi in palpebra pili oculum pungẽtes, sed unus, aut B duo, aut tres ad summum, prope inter se siti, in his illaqueationem probamus. Acu igitur tenuissima accepta, per auriculã ipsius, muliebris pili, aut simplicissimi fili byssini, duas extremitates simul coniunctas trãsmittimus, ita ut id quod transmissum est duplicem sinum siue ansam habeat: & alteram eiusmodi filum aut pilum, per ansam immittimus, transmissaq; in marginem acu, ubi pili illi superflui enati apparent, & per auricularium specillum pilo siue pilis illis in ansam inditis, attrahemus. Et si quidem palpebræ pilus inclusus ducatur, ansam sursum trahimus. Si uero unus aut plures pili exciãdt, per principiũ fili inditũ, rursus ansam detrahimus, & rursus pilo siue pilis illis inditis attrahimus. Si uero unus saltem fuerit pilus oculum pungens, isq; tenuis, alterũ cum ipso ex iustis palpebræ pilis simul attrahimus, ita ut ipsos gummi, aut alio quopiam glutinoso illitos deligemus, donec simul coalescant. Quidam ustionem illaqueationi præferentes, euertũt palpebram, et extracto per pilorum euulsoriã uolsellã pilo, siue unus is sit, siue duo aut tres, specilli bicipitis caput, aut auriculariũ specillũ, aut tale quoddam tenue instrumentum igne calefactum adigunt loco, unde pilus aut pili fuerunt euulsi. Sic. n. densata cute, neq; alius pilus enascitur.

Illaqueatio

De uesicis siue Aquulis palpebrarum. Cap. XIIII.

VEsica siue Aquula, quæ hydatis græcis dicitur, substantia quædam est pinguis palpebræ cuti præter naturam substrata. In quibusdam uero, & maxime in pueris uelut humidioribus augescens, multorum symptomatum causa fit, grauans oculum, & ob id fluxiones inducens. Palpebræ itaq; ipsis sub superciliјs aquosæ apparent, & uelut decet sursum attolli non possunt. Et si digitis disparatis eas compresserimus, id quod in medio ipsorum est inflatur. Qui uero ita affecti sunt, diluculo maxime fluxione infestãtur, neque solis splendorem intueri possunt, nisi lachrymantes. Sed & assiduas incidunt lippitudines. Aegroto itaq; commode collocato, duobus digitis, indice & medio paululum disparatis palpebram comprimemus, ita ut col-

Vesica palpebræ
Aquula
Hydatis

lectio quædam aquulæ in medio digitorum fiat. Deinde retro stantem & caput fulcientem ministram, iuxta medium supercilium, moderate extendere palpebram iubebimus, & uene incisorio instrumento accepto, ipsam per medium transuersim dissecabimus, non maiore quàm in uenæ sectionibus diuisionem facientes, ea uero profunditate, ut totam cutem diuidat, aut etiã ipsam uesicã cõtingat, diligẽti in hoc habita animaduersione. Multi enim profundius adacto scalpello, aut corniformẽ tunicam diuiserũt, aut omnino musculum palpebræ sauciarunt. Et sanè si statim cõparuerit uesica, hanc extrahemus: Sin minus, etiam rursus leniter diuidemus. Hanc autem confectã, per molle linteolum digitis apprehensam, hac illac & q̃nq; circũcirca motã extrahemus. Et post extractionem duplicatum linteum posca imbutum imponemus ac deligabimus. Quidam uero etiam salem tritum per specilli caput in sectionẽ indunt, ut si quid de uesica relictum sit, id ipsum consumat. Post solutionẽ uero, si absit inflammatio, collyrijs quæ oblini solent, aut lycio, aut glaucio, aut croco, curationem absoluemus. Si uero inflammatio affuerit, cataplasmatis & alijs auxilijs ad hoc commodis, medebimur. A

De cohærentibus palpebris. Cap. XV.

Palpebræ cohærentes

Concretionem sustinet superna palpebra, quãdoq; ad infernæ marginẽ, quandoq; ad tunicã oculi agnatã, q̃nq; etiam ad ipsam corniformẽ tunicam, Et hic morbus oculũ ad functionẽ suam impeditũ efficit. Oportet igĩt aut auriculario specillo palpebræ amplitudini subiecto, aut ipsa per hamulum distenta, concretionem per pterygijs secandis destinatum scalpellũ dissoluere, cauendo ut corniformis tunica ne sauciatur, ut ne procidẽtiæ oculi occasio ex hoc detur. Post sectionem uero, liquoribus oculo infusis, palpebras per linamenta disparabimus, ut ne iterum concretio fiat, & lana ouo imbuta imposita, post tertiam diem attenuantibus & cicatricem inducentibus collyrijs utemur.

De grandinibus. Cap. XVI.

Grando palpebræ

Grando lẽti humoris circa palpebrã collectio est, quæ si ante externã palpebræ superficiem occurrit, diuisa extrinsecus transuersim per scalpellum palpebra, postea specillo auriculario aut eiusmodi quodam, grandinem eximemus. Et si magna aut hians fuerit sectio, sutura contrahimus labia, & emplastro utimur: Sin parua, omissa sutura, similiter curationem perficiemus. At si intus fuerit grando, ut per chartilaginem transpareat, euersa palpebra, & intrinsecus transuersim diuisa, ipsam extrahemus, & muriæ infusione utemur. B

De uerrucis, & carnis in magnõ oculi angulo incremento. Caput XVII.

Verrucæ palpebræ

Encanthis

Verrucas circa palpebram, & carnis iuxta magnum oculi angulum incrementum, quod encanthida, id est, carnem angularem uocant, uolsella præhensam, scalpello excidimus, & chalcitidem tritam imponimus.

De pterygijs. Cap. XVIII.

Pterygia oculi

Bulbus oculi

Membrana neruosa à magno oculi angulo omnino exorsa, & paulatim intrò repente, hæc affectio contingit. Lædit autem oculum, tum quòd contractione bulbi motum impedit, tum quòd procedendo totam pupillã cõtegit. Quum igitur curatu faciliora sint tenuia & albicantia pterygia, ad hunc modum chirurgiam aggredimur. Diductis palpebris pterygium hamulo modicè incurvo exceptum distendimus, & accepta acu setam equinam, & ualidum filum in auricula sua trahente, modicè quæ in summa parte incurua, ipsam in medium pterygium trajicimus, & filo quidem deligatum pterygium, in sublime extendimus, seta uero partem ipsius ad pupillam, uelut serrando, ad finem usque subexcoriamus. Reliquam uero ipsius ad magnum oculi angulum partem, scalpello futuris destinato ex fundo excidimus, naturalem anguli carnem relinquentes, ne ipsa ablata Rhoeas ex decremento fluida consequatur. Quidam filo, uelut dictum est, exten-

Rhoeas

tum,

A tum, scalpello totum pterygium excotiant, cauentes ne corniformem tuni/cam contingant. At post chirurgiam, modico sale trito in locum immisso, lanam ouo imbutam superimponimus ac deligamus. Verum post exolutionem, diu muriam instillamus. Si uero inflammatio consequatur, descriptis ad hanc auxilijs utemur.

De staphylomatis. Cap. XIX.

Staphyloma tunicæ corniformis incuruatio est, debilitatæ una cũ acino/formi, quandoq; ob fluxionem, quandoq; ob ulcerationem. Chirurgiam autem adhibemus, non ut uisum deperditum reuocemus: Hoc enim fieri nõ potest: sed ut moderatum decorem ægro reparemus. Acum igitur ex infer/nis sursum, per staphilomatis fundum traijcere oportet, & alteram acum du plex filũ ducentem, ab angulo qui ad manũ est, ad alterũ per staphilomatis fundũ transfigere, & manente priore acu, fili ansam secare, & alterã staphy/lomatis partem ad superna, alteram ad inferna, per fila deligare, & tũc ab/lata acu, lanam ouo imbutam imponere. Post solutionem uero, oculum le/nibus infusionibus mitigare, donec fila unà cum staphylomate excidant. *Staphyloma*

De suppuratis oculis. Cap. XX.

De suppuratis oculis Galeni uerba apponere satis fuerit, quæ hoc modo se habent. Ex nostri temporis medicis ocularijs quidã nomine Iustus, etiam per capitis concussionem multos ab oculorum suppuratione libera uit. Erectos enim ipsos in sella collocabat, & apprehenso utrinq; capite à la teribus, ita ipsos concutiebat, ut nos palàm pus deorsum procedere uidere/mus. Manebat autem infernè, ob substantiæ grauitatem, etiamsi suffusiones non maneant, si non ualdè accurate ipsas quis constringat. Eidem rursus in progressu, Sæpe, inquit, pus aceruatim euacuauimus, dissecta cornea for/mi tunica paululum supra illum locum, iuxta quem omnes tunicæ inter se concrescunt. Appellant autem eum locum irin aliqui, alij uero coronam. B Hæc habemus in libro curatoriæ methodi dicit. Cæterum post puris excre tionem, ulcere per infusiones aquæ mulsæ, aut succi fœni græci addito mel/le, repurgato, consequenter reliquam curationem adaptabimus. *Oculi suppu/rati* *Iustus medicus ocularius* *Iris quæ et Co rona.*

De suffusionibus. Cap. XXI.

Suffusio est lenti humoris in corniformem tunicam iuxta pupillam colle ctio, quæ aut uisum impedit, aut ne clare uideamus efficit. Fit autem ma xime ob frigiditatem, & debilitatem spiritus uisorij, & propterea senibus magis, & qui ex longo morbo ægrotarunt accidit. Contingit etiam ex uo/lento uomitu, & ex plaga, & propter plures alias causas. At uero de suffu/sionibus quæ adhuc fiunt, & ad chirurgiam nihil pertinent, in tertio dictũ est libro Nunc autem de his quæ perfectam collectionem ac concretionem acceperunt tractabimus Omnes igitur suffusi splendorem aut multum, aut modicum uidẽt, atq; hac ratione etiam suffusiones ab obscuratione ac glau cedine separamus, quum obscuratione ac glaucedine affecti, splendorem omnino non uideant. Rursus igitur docebit te Galenus & concretionem, & differentiam suffusionum, & quæ ex his chirurgiam admittunt. Conclu/so oculo suffuso, palpebrã per magnum digitum ad oculũ comprimimus, ipsamq; cum compressione hac illac impellimus. Deinde aperto oculo, in/spectam suffusionem consideramus. Nam si his quæ nondũ sunt cõcretæ, fit sio quędã ex digiti cõpressione accedit, & primũ quidẽ latior apparet, uerũ rursus ad propriam figuram ac magnitudinẽ redit. In his uero quæ concre/tæ sunt, nulla mutatio neq; secundum latitudinem, neq; secundum figuram, ex compressione occurrit. Quandoquidem uero commune hoc est indici/um, & earum quæ moderatè, & quę supra modum concreuerunt, ex colore has discernemus. Quæ enim ferri colorem, aut cœruleum aut plumbeũ re/ferunt, hæ moderatè concretæ sunt, & commode deduci possunt. Quæ ue/ro gypsum aut grandinẽ colore referunt, supra modũ concreuerunt. Postq; igitur hæc didicimus ex Galeno, locato homine ad splendorem absq; sole, *Suffusiones o/culorum*

ocu-

oculum illæsum diligēter deligabimus, & diductis alterius oculi palpebris, ab appellata iride iuxta paruū angulū, ad capitis specilli mēsuram ipsas disparamus, & tunc specilli cuspide locū perpungendū notamus, ita ut in sinistro oculo, dextra manu operemur, in dextro uero, sinistra. Et cōuersa specilli acie circa finē rotunda fortiter innitimur et per notatā prius partē usq; ad inanem locum transfigimus. Modus aūt progressus in profundū ea fiat mensura, quanta est à pupilla ad iridem distantia. Ex superius igitur iuxta suffusionis apicem specillum demittentes (Nam ob corniformis tunicę pelluciditatē æs conspicuè uidetur) per ipsum in subiectos locos suffusionē deducimus. Et si quidē statim deducta fuerit, paululō quiescētes expectamus. Si uero redundarit, rursus ipsam deducimus. At post suffusionis deductionē, specillū punctoriū educimus, sensim ipsum obtorquentes, & solutū in aqua modicum salem cappadocicum oculo infundimus, & imposita extrinsecus lana oui candido cum rosaceo imbuta deligamus, simul etiam sanum oculū deligantes, ut ne cum altero commoueatur, & reclinatū in domuncula subterranea penitus quiescere iubemus, tenuē exhibentes uictum ad septimū usq; diem deligato, si non quid impediat. Post septimum diem deligatione soluta, uisum ipsius experimur, rebus uisibilibus obiectis, id quod in Chirurgia, aut statim post chirurgiam facere improbamus, eo quòd ex uiolenta intentione suffusio promptè rursus redundet. Si uero inflammatio aliqua urgeat, etiam ante septimum diem facta solutione, huic nos opponemus.

De Aegilope. Cap. XXII.

Aegylops

AEgylops tumor est abscessui similis, inter magnū oculi angulum, & nasum. Aegre uero curatur affectio, tum propter corporum tenuitatem, tū propter consensus ad oculum timorem Si igitur ad summam cutem eruperit abscessus, quicquid extuberauit ad os usque auferemus, & si ad malam subierit fistulā, totam ipsam expandemus, & si adhuc incorruptum os est, rademus. Eo uerò corrupto, per cauteria oliuaria peruremus, spongia frigida aqua imbuta oculo imposita. Quidam post carnium resectionē terebra usi, humorem aut pus in nasum traduxerunt. Verum nos ustione sola contenti fuimus, per ægilopica cauteria tantum adurentes, ut squama decedat. Et post ustionem lenticula cum melle, aut malicorio cum melle, & reliquis resiccantibus auxilijs utemur. Si uero ad angulū repit Aegilops, & omnino non ad summam cutem, tunc scalpello pterygijs destinato, aut uenæ incisorio, corpus id quod inter angulum usq; ad abscessum est exoluimus, & carnes ex profundo educimus, & tunc moderatè resiccamus. Et uitrum sanè in puluillum detritum, his inspersum mirificè siccat. Et aloe cum manna similiter. Reliquam uero ægilopum curationem libro tertio tradidimus.

Terebræ usus

De auditorijs meatibus non perforatis. Cap. XXIII.

Auditorij meatus non perforati

HAec affectio ex natiuitate consistit, membrana quadam auditoriū meatum obturante, quandoq; in superficie, quandoq; in profundo. Sed & postea superuenit, prægressa circa meatū ulceratione. Nam superenascens caro ipsum obturat. Si igitur in profundo fuerit impediens membrana, aggressio difficilis est. Conandum tamen est, ut tenui quodam instrumento illam dissecemus. Si uero in superficie, acuto cultello illam dissectam, si opus fuerit, etiam eximemus. Si uero caro superenata fuerit, etiā hanc pterygijs destinato, aut polypis excidendis apto scalpello auferemus. Deinde linamentum ex linteo obtortum, factum ad amplitudinem meatus, in aqua madefaciemus, & hoc in chalcitide trita aut eiusmodi quodam puluillo obuolutum, in meatum indemus, ut ne rursus caro enascatur. Si uero inflammatio adsit, cito ipsum extrahimus. At si sanguis ex meatu erumpat, spongiam frigida aqua imbutam imponemus, & alijs ad hoc commodis utemur.

De his quæ illabuntur in auditorium meatum. Cap. XXIIII.

Illabentia in aurem

INcidunt in aures nō solum calculi, sed etiam uitrum, & fabæ, & siliquarū ossicula. Vitrum igitur & calculi in propria magnitudine perseuerāt, fabę

uero

uero & siliquarum officula, & alia huiusmodi, ex naturali corporis humiditate intumescentia, maximos dolores inducunt. Auriculario igitur specillo, aut hamulo, aut uolsella, hæc eximere oportet. Aut uiolenta capitis distentione ac concussione, aure circulo alicui imposita. Quin & per stipulā sæpe hæc exugentes extraximus, quemadmodum etiam aquam in aurem illapsam, cera similiter circumcirca ei stipulæ parti oblita, quæ ad aurem est, ut nulla parte spiritui transitus pateat. At calculos & eiusmodi moles, lana specillo obuoluta extraximus, ita ut resina terebinthina, aut glutinoso aliquo tinctam, leniter in auditorium meatū insereremus. Si uero non successerit, sternutatorio naribus indito, os & nares obturato. At si neque sic sequantur illa, priusquam inflammationes, & conuulsiones, & simpliciter periculum accedat, per chirurgiam ipsa educemus. Locato igitur ægro aure auersa, sectione parua lunari ad fundum auris retro fibram utemur, & auricularij specilli concauo, insitam molem eximemus. Post extractionem uulnus consuatur, & cruentorum uulnerum ductu curetur.

De polypis. Cap. XXV.

Polypus naris

Polypus moles est corpusculi præter naturam in naribus consistens, à marini polypi similitudine nominata. Nam & illius carni assimilis est, & uelut ille cirrhis suis uenantes ulciscitur, manus ipsorum apprehendens. Ita & hæc affectio ægrorum nares obturans, medelæ adhibendæ difficultatem, & circa respirationem, & circa loquelam inducit. Duros igitur & renitentes, & subliuidos, ac malignos polypos, uelut ad cancrum tendentes uitare oportet. friabiliores autem & laxos, & torpidos, & non malignos, chirurgiæ subijcere. Proinde ad solis radios homine collocato, & nasi meatu per sinistram manum expasso, cum dextra manu per scalpellum acutum, myrti folium referens, polypis excidendis aptum, polypum aut carneam illam molem circum circa uesecemus, qua parte nari adhæret ferri acie immissa. Postea uero conuerso instrumento, per concauum ipsius resectam carunculam educamus. Et si quidem nasi meatum purum factum uiderimus, ad curationem deuenimus. Si uero aliquid de corpore polypi restet, accepto alio polypis eradendis apto instrumento, per aciem ipsius relictum corpusculum, cū tensione & obtritione & rasione, strenuè educemus. At uerò malignos cauterijs oliuaribus perurimus, & post ustionem curatione ad perusta commoda utemur. Cæterum post chirurgiam locis per spongiam exactè detersis, poscam, aut uinum, in nares infundimus. Et si pertransierit liquor per palatum ad fauces, rectè administrata est chirurgia. Si uero non pertransierit, manifestum est quod circa ossa coliformia, aut in supernis naris partibus caruncula sunt, quæ polypicis instrumentis non fuerunt comprehensæ. filum igitur mediocriter crassum, uelut funiculus, est ut in ipso duorum aut trium digitorum distantia, nodi ligari possint, specilli bicipitis foramini inserimus, & alteram bicipitis specilli extremitatem per narem sursum ad coliformes meatus immittimus, ipsamq; per palatum & os transmittentes ambabus manibus attrahimus, quo uelut per serram, nodis illis carunculæ deteratur. Et post chirurgiam, meatu per lucemario funiculo simile linamentū, disparato conseruato, tertia die postea, Musæ pastillo & consimilibus, intus relicta consumemus, simulq; locum resiccabimus. Postea uero etiam pastillis cicatricem inducentibus utemur, plumbeis canalibus si opus fuerit, per totam curationem naribus inditis..

Ossa coliformia

Coliformes meatus

De curtis Cap. XXVI.

Curta,

CVrta circa aures, aut labia hac ratione tractātur, ut primum quidem cutem ex inferna parte excoriemus, postea uero uulnerum labia inter se contrahamus, & callis ablatis deinde suamus, & conglutinemus.

De epulida & parulida. Cap. XXVII.

Epulis
Parulis

EPulis carnis supereminentia est in gingiuis, iuxta aliquem dētem oborta. Parulis uero abscessus paruus est circa gingiuas. Epulidem igitur uol

fella

sella aut hamulo extentam resecamus. Paruli idem uero iuxta circumscrip-
ptionem excisam linamentis explemus ac dispergamus. Scio autem sæpe ip- A
sam scalpello uenæ incisorio solum punctum, pure euacuato cessasse. Post
chirurgiam ueto uino colluere iubemus, postera die aqua mulsa, & post hãc
pusillum floridum uulneri inspergemus, donec perfectè curetur. Si uero
putredo gingiuis accedat, & per commoda medicamenta non curetur, oli-
uarijs cauterijs hanc peruremus.

De dentium extractione. Cap. XXVIII.

Dentium extractio

DEntem ad locellos usq; circumscarificatum, & forcipe paulatim concus-
sum extrahemus. Si uero corrosus fuerit, tenui linamento primum ca-
uernam explere oportet, ut ne frangatur dum ab instrumento cõstringitur.
Post extractionem, sale tenuissimo caruncculas relictas conspersas consume
mus. Postea uero uino aut posca colluantusque ad absolutam curationem.

Dentes superuacui

Quandoquidem autem & superuacui quidam dentes agnascuntur, eos qui
dem qui locellis insiti sunt, per scalpra excidemus. Qui uero locellis insiti nõ
sunt, eos per forcipem extrahemus. Si uero dens aliquis supra modum au-
ctus sit, aut etiam defractus, præminentem aut superuacuam partem ipsius
lima deterimus. At uero adhærentes ipsis dentibus squamas, uelut sane fieri
potest, uel specilli cõcauo, uel rasorio instrumento, uel limula repurgamus.

De incuruatione linguæ. Cap. XXIX.

Linguæ incuruatio

INcuruatæ linguæ affectio aliquando ex natura fit, si detinentes linguam
membranæ duriores & curtiores sint ab initio: aliquando uero ex aduen-
titia causa, propter cicatricem aliquam duriorem, ex ulceratiõe, sub ipsa lin
gua inductam. Qui igitur ex natura hanc affectionem habent, ex eo cogno
scuntur, quòd & tardè loqui incipiunt, & quòd nulla prægressa ulceratiõ-
ne, uinculum sub lingua moderato amplius apparet. Qui uero ex aduenti-
tia causa, cicatricem palam apparentem habent. Aegrotus igitur in sella col
locetur, & linguam ad palatum eleuet, & neruosum illud uinculum trans- B
uersim secetur. Si uero ex cicatrice, ea linguæ incuruatio facta fuerit, hamu
lo transfixum callum sursum attrahemus, & sectione obliqua facta curuita
tem exoluimus, ita ut corporum in profundo incisionem uitemus. Nam san
guinis eruptionem, quæ ægre sisti potest, sæpe induxit. Post chirurgiam a-
qua frigida, aut posca colluant. Et Postea laxatorio & concatuante medica
tionis ductu curatio perficiatur.

De tonsillis. Cap. XXX.

Strumæ Tonsillæ

Antiades unde dictæ

QVemadmodum glandulæ induratæ appellantur Strumæ, Sic tonsillæ
inflammatæ, & ultra modum auctæ, & uelut induratæ, deglutitioniq;
& spiritui, difficultatem functionis inducẽtes, quum ex aduerso inter sepo
sitæ sint, antiades græcis uocatæ sunt, latinis & pars, & affectio eodem ton-
sillarum nomine censentur. Inflammatas igitur has chirurgia non aggredi-
mur. Sedata moderatè inflammatione, manus admouebimus, & maxime si
albæ fuerint, & contractæ, & fundum angustum habuerint. Nam laxæ &
rubicundæ, & fundum latũ habentes, ad sanguinis eruptionem procliues
sunt. Collocato itaq; ad solis splendorem homine, & hiare iusso, ministro ca
put continente, & altero linguam per instrumentum ad hoc aptum, ad in-
fernam maxillam deprimente, nos ipsi acceptum hamulum in tonsillam de-
figimus, ipsamq; quantum eius fieri potest attrahimus, absq; hoc ut membra
næ simul attrahantur, & postea ipsam totam ex fundo, per scalpellum lin-
guæ incuruatæ aptum, & ad manum commodũ, resecamus. Duo enim sunt
eiusmodi instrumenta, flexuras inter se aduersas habentia. Quare post uni-
us excisionem, in altera eodem modo, manu & instrumento uice uersa mu-
tatis operabimur. Post chirurgiam, aquam frigidam aut poscam æger col-
luat. At si sanguinis eruptio aliqua accedat, etiam rubi, & rosarum, & myrti
decocto tepido utantur. Si uero copia sanguinis feratur, etiam plantaginis
& symphyti succum, & pastillum ex succino, & lemnium sigillum, ex po-

sca

A sca colluendum exhibemus. Sedata uero sanguinis eruptione, postera die
rosarum flore & croco, & amylo, cum lacte illinantur, aut cum aqua, aut o-
ui candido, aut hydrorosato. Quod si sordes ulceribus accedat, etiã ex mel-
le collutionibus, ac illitionibus utantur.

Hydrorosatũ.

De uua Cap. XXXI.

GVrgulio qui uelut plectrum quoddam uocis est, sœpe fluxionem à capi
te suscipit, & præter naturam auctus, ubi longus & tenuis factus est, co
lumella appellatur: ubi uero crassus infernè ac rotundus, uua, utroq; nomi-
ne à similitudine ducto. Si igitur uniuersalibus auxilijs cedere noluerit, di-
co autem uenæ sectionibus, & euacuationibus per purgationem subducen
tibus, Item localibus adstringentibus ac repellentibus, aut etiam discutere
potentibus: ad chirurgiam deuenimus: ut ne ex assiduis irritationibus tus-
ses & uigiliæ, aliquando etiam suffocatio consequatur. Contractas igitur
& rotundas uuas, & non oblongas, & sanguinolentas aut subnigras, chirur
gia non aggredimur. Tenues uero & oblongas, & summa parte imminu-
tas ac resolutas, & non ualde sanguinolentas, sed subalbicantes manu trac-
tamus. Statim.n. hæ etiam inflammatione carent. Tantum uero de uua sal-
tem auferendum est, quãtum naturalem excedit modum. Nam resectiones
ipsius in totum, omnes circa thoracem regiones extremè lædunt, & uocem
intercipiunt. Collocato itaq; ad solarem splendorem ægro, multumq; hiare
iusso, uuaria forcipe aut uolsella superuacuum eius præhensum, & ad infer
nam partem tractum, per scalpellum uuarium, aut futuris destinatum rese-
cabimus. Quæ uero post chirurgiam requiritur, ea uelut in uasorum exse-
ctione dictum est, adhibeantur. Sœpe uero aut ob ægri timiditatem, aut ob
sanguinis eruptionis formidinem, aut ob medicamenti præstantiam, ferrũ
recusantes, ustorio potius medicamento uuam consumimus. Oportet igi-
tur medicamentum ustorium illud quod in palpebrarum ustione relatum
B est, aut aliud eiusmodi accipere, et ex hoc ustorij uuarum instrumenti ca-
uitates implere, & ægro multum hiate iusso, linguaq; per ministrum cum
instrumento ad id apto depressa, tantam uuæ partem instrumẽto quantum
satis est aperto compræhendimus, quantam alioqui excideremus. Habeat
aũt medicamentũ compagem neq; liquidã, ut ne diffluens ab uua aberret,
& subiectas partes comburat: quapropter monemus hominem, ut per totũ
ustionis tempus non deglutiat: neq; omnino duram, quo facile uuæ adhæ-
reat. Et si quidem ex una admotione summa uuę pars fuerit denigrata, con
tenti sumus: Sin minus etiam bis utemur, per totum operationis tempus ho
mine inclinato, quo saliua eliquescens, una cum medicamenti particulis, e-
xtra os effluere possit. Mortificatur enim in una hora, excidit aũt circa terti
am aut quartã diem. Post ustionem uero, indice digito molli lana aut stupa
obuoluto, partes circa gurgulionem extergimus, aut etiã aqua colluere iu
bemus. At uero partes circa collum irrigationibus ex oleo chamæmelino,
tum in his, tũ in quibus tonsillę ablatę sunt, propter affectionem per consen
sum, confouebimus. Gargarismis item & illitionibus similiter utemur.

Gurgulio
Columella
uua

Medicamentĩ ustorij præ-stantia

De spinis faucibus infixis. Cap. XXXII.

DEuorantur sœpe inter edendum spinæ aut piscium, aut aliarum rerum,
in diuersas partes. Quæ igitur sub conspectum ueniunt, eas instrumen
tis spinis eximendis destinatis extrahimus. Quæ uero inferius hærent ad i-
psam gulam siue deglutitionem, alio modo. Quidam.n. maiora frusta ipsis
deuoranda censent, uelut sunt caules lactucarum, aut buccellæ panis. Alij
spongiæ puræ ac mollis non magnã adeò molem filo alligatã deuorare iu-
bẽt, eãq; filo prehensam rursus reuellere, atq; hoc sœpe facere, quo spina spõ
giolæ infixa simul educatur. Leonides cataplasmatis concoctorijs extrinse
cus uti iubet, qualia sunt quæ ex cruda ordeacea farina constant, quo sup-
purata spina sua sponte excidat. At si circa ipsum deglutitionis tempus, aut
etiam ante concoctionem in uentre, ad affectum hominem accesserimus, &

Spinæ faucibus infixæ.

Leonides

t quod

quod infixum est nõ compareat, uomere iubebimus, aut digitorum aut pennarum demissione facta. Nam aliquando unà cum his quæ per uomitum reijciuntur, etiam id quod infixum est educitur. A

Antylus.

De summi gutturis sectione. Cap. XXXIII.

OPtimi chirurgi etiam hãc chirurgiam descripserunt. Antylus igitur ita dicit. In anginis, uelut circa uictus modum trademus, reprobamus chirurgiam, quum inutilis fiat dissectio, ubi omnes arteriæ & pulmo affectus est. At in his qui circa os & mentum inflammationem habent, aut etiam in tonsillis, quæ gutturis osculum operiunt, arteria ab affectione immuni, rationi consentaneum est uti summi gutturis sectione, ad suffocationis periculum euitandum. Proinde opus aggressi, infra gutturis caput, sub tertium aut quartum ipsius circulum, partem quandam arteriæ dissecabimus. Totum.n. diuidere periculosum est: Idoneus autem est hic locus, tum quia carne caret, tum quia uasa procul à diuiso loco sita sunt. Reflexo itaq; retrorsum ægroti capite, ut magis conspicuum fiat guttur, transuersa sectione inter duos circulos utemur, ita ut non cartilago, sed membrana cartilagines continens dissecetur. Si uero quis circa actionem timidior fuerit, hamulo prius extentam cutem diuidat. Deinde ita ipsum guttur aggressus, & uasis si quæ occurrant disparatis, sectionem faciat. Hæc Antylus. Coniectabat autem gutturis dissectionem, tum ex spiritu per ipsam exeunte cum impetu quodam, tum ex uocis interruptione. At post prætergressum suffocationis periculum, labrijs uulneris renouatis, suturis utemur, cutem solum absq; cartilagine consuentes, & medicamentum cruentis uulneribus aptum adhibebimus. Si uero hoc nõ glutinabitur, incarnãte ductu utẽdũ est. Porrò si quis nobis offeratur, qui uitæ finiẽdæ causa sibipsi guttur incidisset, similiter curabimus.

Gutturis summi sectio.

De abscessibus Cap. XXXIIII.

Abscessuum Chirurgia

QVod abscessus corruptio sit & mutatio carnium aut carnosarum partium, & qui sint generationis ipsius modi, & quot abscessuum differentiæ, in quarto libro sufficienter dictum est. Nunc uero quæ ad chirurgiam ipsius attinent persequemur. Postquam perfecta mutatio in pus facta fuerit (Hanc autem cognoscimus, ex eo quod & dolores, & febris, quæ antea fuerũt, et rubor, & pulsus, & reliqua inflammationis signa minuuntur, et tumoris moles in acutũ fastigiatur, & ad digitorũ innixũ pus subsidit, maxime si in summa cute sit abscessus) tunc ad chirurgiã nos conuertimus. At si neq; ad tactũ subsidat ac occurrat, neq; fastigietur, eo quod in profundo cõsistit, alijs mutationis signis intẽti chirurgiã adhibebimus. Sciendũ tamẽ q etiã ante pfectã in pus mutationẽ aliquãdo crudos adhuc abscessus secamus, ubi uel articulis, uel principalib. partib. fuerint uicini, ut ne perseuerãte putrefactione simul corrũpatur ligamẽtũ, aut pars aliqua necessaria. Sed & prope sedẽ abscessus, ante perfectã concoctionẽ, crudos secare iubet Hippocrates, timẽs ne in perforationẽ procedãt. Secamus itaq; nõ in omnibus similiter sectionẽ facientes, sed lineas naturales, uelut in facie, & pilorũ exortus, uelut in capite sequẽtes, decoris, quãtũ fieri potest, curã habebimus. In alijs aũt in directum secantes, uelut in musculis & tendinibus, & neruos et arterias, et principales partes uitãtes, securitatis rationẽ habebimus, ita ut modo in directum secemus, modo transuersim abscessum diuidamus, prout res singulatim postularit. In minoribus itaq; abscessibus, unã sectionem faciemus. In magnis, plures, pro magnitudinis ratione ubiq; tenuiora & ad subeffluxionẽ commoda uulnuscula secãtes. Et qui quidẽ plurimum fastigiati sunt abscessus, & crudi, & tenues, ac mortificati, eos amputamus, iuxta triangulũ, aut myrtei folij formã, aut aliam angularẽ figurã, ablationẽ facientes, quum circularis figura inepta sit ad cicatricem inducendam. Qui uero fastigiati non sunt, eos solum simpliciter secabimus. At si magnum sinum repererimus, si quidem carnosa fuerit, & glutinari potuerit incumbẽs cutis, ad defluxionem solum utemur loci sectionibus. Si uero tenuis & ualde B

Sedis abscessus

Figura circularis inepta cicatrici

de excarnis fit cutis, totum secundum longitudinem simplici sectione diuidemus. Et post simplicem sectionem, si tenuia ualde, & non carnosa apparuerint utring; corpuscula, ipsa amputamus. Post chirurgiā, facta per spongiā detersione, si paruus est abscessus, & sectio una, simplici linamento utemur. Sin magnus & plures sectiones, etiam lemniscum qui per. rahi possit, per ipsas ducemus. Eos uero qui amputati sunt, similiter linamentis imple bimus. At si sanguis erumpat, aqua frigida aut posca utendum est. Verum eruptione sanguinis perseuerante, chalcitidis puluillum inspergemus, quo etiam ob flaccidam putredinem sæpe utemur. Cæterum splenia hyeme, & in neruosis corporibus, uino & oleo imbuta imponemus. Aestate uero & in corporibus carnosis, aqua & oleo, aut etiam uino & oleo frigidis; & facta deligatione, postridie his ipsis liquoribus irrigabimus. Tertio uero die facta solutione, & per spongiam detersione, tetrapharmaco linamentis illito utemur. Et si inflammatio absit, eandem irrigationem ad linamenti conseruationem imponemus. Si uero adsit inflammatio, cataplasma concoctorijs superdamus, perfusionibus prius usi. Sedata autē inflammatione, suppurante & incarnante medicationis ductu curabimus. Sed & sinus glutinatorijs medicamentis sanabimus, uelut in quarto de sinibus dictum est. Lemniscus

De strumis Cap. XXXV.

Struma est tumor induratus circa collum, & alas, ac inguina maxime consistens. choeras græcis appellatur, aut à choeradibus petris, aut à suibus, eo quod multiplici fœtu fœcūdum est animal, aut quia sues eiusmodi colla habent. Nascuntur autem strumæ aut circa anteriores colli partes, aut circa alteram ipsius partem, aut circa utrasq; & aut una, aut duæ, aut plures. Omnes autem in proprijs pelliculis continentur, quemadmodum steatomata, & atheromata, & melicerides. Dolorosæ itaque, et quæ ad contactum, ac impositionem medicamenti, deteriores fiunt, malignæ sunt, quas sane etiam canceratas quidam appellarunt & manifestum est ipsas non ita ualde chirurgijs cedere. Benignas igitur & ad tactum, & ad tempestiuum medica mentorum usum, hoc modo aggredi oportet. Quæ in summa cute consistunt, & ad cutem repunt, simplicis sectionis usu, ab incumbentibus corporibus exoluemus, et distēta hamulis cute, labia à pelliculis liberabimus, uelut in uasorum exsectione docebamus, & paulatim auferemus. Maiores uero hamulis transfixas leuabimus, & similiter excoriantes undiq; à continentibus ipsas corporib. absoluemus, sic ut ubiq; carotidas appellatas, sopotatias arterias, & recurrentes neruos uitemus. Si uero uas aliquod diuisum operi impedimento sit, laqueo ipsum constringimus, aut penitus per totum recidimus, si non ita magnum existat. Et quū strumæ fundum ad angustiam deuenerint, induserīe ipsam resecamus: Et demisso indice digito scrutabimur, an etiam aliæ strumæ adsint, ipsasq; eodem modo auferemus. At si magnum aliquod uas, aut etiam plura circū strumæ fundum suspectum habuerimus, non ex fundo ipsam recidemus, sed laqueo cōstringemus, ut particulatim citra periculum sua sponte excidat. Et tunc sane curationis per linamenta ductum adhibebimus. Si uero illico resecetur, labia contrahemus. Omnino uero sectiones in directum facere oportet, & si nihil superflui habuerint, statim consuemus. Si uero ex strumæ mole, aliquid de cute redundat, partem ipsius ad myrti folij figuram recisa, futuris utemur, & medicamentum cruentis uulneribus accommodatum super imponemus. Struma Choeras unde Carotides arteriæ Nerui recurrentes

De Steatomatibus, atheromatibus & meliceridibus. Cap. XXXVI.

Qum abscessuum generis & hæc sint, in hoc differunt, quod qui proprie abscessus uocatur, inflammati sunt ac dolorosi, acresq; & erodente humorem continent, & non in propria pellicula aut tunica continentur. Differunt autem hæc inter se, quia hoc quod in steatomate continetur: iuxta nominis rationē, seuo simile est: quod in atheromate, pulti ex frumento: quod in meliceride, melli. Dinosces autem ipsa hoc modo. Steatoma alijs Steatomata Atheromata Melicerides

durius est, & ad tactum remittitur, fundumq; solidius habet Meliceris autē tangentibus uelut corpus quoddam laxum cedit, & tarde quidem diffunditur, cito autem rursus colligitur. At uero chirurgiam his similiter uelut strumis adhibemus, in sectione, & excoriatione, & suturis, ac reliqua curatione, id modo ut uitemus, ne & pelliculam sauciemus, eo quòd contentus humor effusus impediat chirurgiam: & ne partem ipsius relinquamus, quæ regenerationis plerunq; causa fit, circa manuum iuncturas, & malleolos, & partes quæ secundum articulum mouentur: quemadmodum etiam struma si aut tota, aut pars ipsius relinquatur. Quod si tale quid relictum fuerit, melius est non suere, sed erodentibus medicamentis relicta consumere.

De Arteriæ dilatatione. Cap. XXXVII.

Arteriæ dilatatio

DIlatatio arteriæ, tumor est ad tactum mollis, & digitis cedens, ex sanguine & spiritu generationem habens. Et Galenus de ipsa dicit, Arteriæ osculo aperto, affectio appellatur aneurysma id est dilatatio. fit etiam arteria sauciata, ubi quidem incumbens ipsi cutis ad cicatricem deuenerit, manserit autem uulnus arteriæ neq; conglutinatæ, neq; cicatrice obductæ, neq; carne obturatæ. Cognoscuntur autem huiusmodi affectiones, ex pulsu arteriarum. Imò etiam ubi comprimuntur arterię, tumor omnis disparet, substātia ipsum efficiente ad arterias recurrente. Hæc Galenus. Nos autem ipsas inter se distinguimus hoc modo. Quæ ex osculi arteriæ apertione fiūt, oblongiores apparent, & in profundo consistunt, & ad digitorum impressionem, uelut strepitus quidam auditur, quum in affectionibus ex ruptione nullus sonitus audiatur, & sint quoq; magis hæ rotundæ, & in summo occurrant. Quę igitur in alis, & inguinibus ac collo fiunt, itemq; in alijs locis, si magnitudine excedunt, eas chirurgia non tentamus, ob magnitudinem uasorum. Quę uero in extremis partibus, & artubus, aut in capite consistūt, eas sic aggredimur. Si ex apertione tumor factus est, sectionem rectam in lōgitudinem cuti infligimus. Deinde disparatis per hamulos labijs, uelut in uasorum exsectione dicebamus excoriantes, & per apta ad hoc instrumenta à membranis repurgantes, arteriam nudabimus, & acus sub ea transmissione, & per duo fila deligatione usi, ubi prius intermediam arteriæ partem scalpello punxerimus, & quod continetur in ea euacuauerimus, suppurante curatione utemur, donec deligata filorum uincula excidant. Si uero ex arteriæ ruptione dilatatio facta est, totum ipsum quantum eius fieri potest, unà cum cute, digitis præhendere oportet. Deinde acum infra apprehensam traijcere, quæ duplex filū trahat: et post traiectionē, ipsam duplicis fili ansam dissecare, & sic per duo fila tumorem hac illac deligare, uelut de staphylomate dicebam⁹. Quod si timor sit, ne fila dilabant, etiā alia acus transmittenda est, quæ priorem per totum premat, similiterq; duplex filum trahat, & ansa dissecta, sic per quatuor fila tumorem deligabimus. Aut aperto iuxta medium tumore, post excretionem eius quod in ipso continetur, curem amputamus, eo quod deligatum est relicto, & splenio uino ac oleo imbuto imposito, curatione per linamenta utemur.

Aneurysma

De Gutturis ramice. Cap. XXXVIII.

Bronchocele
Ramex gutturis

TVmor fit in collo magnus & rotundus ex internis partibus, qui bronchocele græcis, latinis gutturis ramex appellatus est. Differētiæ ipsius duæ sunt. Aliæ. n. steatomata, aliæ arteriarū dilatationes referūt. Quę igitur dilatationes referūt, eas ex ijsdē notis quibus illas cognoscemus, & uelut desperatas reprobabimus quū omnes arteriarū dilatationes sil'r periculosam aggressionē habeāt. pcipue tamē quæ circa collū consistūt, ob magnitudinē arteriarū. Quæ uero steatomata referūt, eas sil'r ut steatomata chirurgia tractabimus, discretis ac transgressis uasis, eodem modo uelut de strumis dicebamus.

De Ganglio Cap. XXXIX.

Ganglium

GAnglium nerui in nodum coactio est, ex plaga aut labore oborta, quæ plerunq; circa manuum iuncturas, & malleolos, & corpuscula quæ

secundum

fecundum articulum mouetur, consistit: fit tamen etiam in alijs partibus. A Consequitur tumor concolor, renitens, doloris exors. Si uero quis uiolenter comprimat, torpidum sensum exhibet, non in profundo, sed sub ipsa cute consistens, & ad latera quidem transfertur, prorsum ac retrorsum nequaquam, etiamsi quis per uim protrudat. Quæ igitur in cruribus, aut brachijs, aut extremis partibus cõsistunt, ea excidere tutum non est periculum. n. est ne mutila pars fiat. Quę uero circa caput aut frontem sunt, ea aggredimur, cutem scalpello diuidentes, & si quidem parua fuerint ganglia, uolsella ipsa præhendentes, & ex fundo recidentes. Sin maiora, hamulis transfixa excoriamus ac amputamus, & labijs per suturas contractis, medicamento cruentis uulneribus commodo curamus.

De uenæ sectione. *Cap.* XL.

Venæ sectio

VEnæ secandæ modus etiamsi omnibus sit manifestus, tamen ut nihil quod ad chirurgiam pertinet desit, & propter artificiosas ipsius distinctiones, non erit nobis negligendus. Primus itaq; uenæ sectionis scopus est redundãtis sanguinis euacuatio. Duplex autem sanguinis redundantia demonstrata est. Vna ad uires, etiamsi uenæ non plenæ appareant, ob quã cito debiles & infirmi fiunt, quum natura grauitatem, uelut onus quoddam ferre non possit. Altera ad continentia ipsum uasa, quæ in ipsa sanguinis fusura spectatur, etiamsi uires citra molestiam ipsum ferant. Ex qua dum rumpuntur aliquando uasa, sanguinis sputiones, aut aliæ fluxiones contingunt. Redundantiam igitur ad uires, ex corporis grauitate cognosces: ad uenas, ex distentione, & quod ipsæ repletæ apparent. Ambæ uero euacuationem indicant. Proinde etiam in prima morbi die aliquando uenam secabis, si necessitas urgeat, sola ciborum in uentriculo concoctione, aut etiam perfecta in hepate sanguificatione expectata. Si uero ab aliquam causam, uenæ sectio ab initio non fuerit assumpta, etiam ultra septimum diem uenam secare nihil absurdi fuerit, si & necessitas exigat, & uires non re-

Sanguinis redundantia duplex

B pugnent. Considerare insuper oportet eum qui uenam secare uolet, num multum stercoris sit in intestinis retentum, quod si est, mollis prius infuso per clysterem illud euacuamus, ne uenæ ab intestinis aliquam putredinosam superfluitatum substantiam attrahant. Qui igitur ob præsentem morbum, sanguinis detractione opus habent, eis omni tempore uenam secabimus, uigore solum particularium exacerbationem in febribus uitato. Si uero continua febris fuerit, omnino matutinum tempus commodius erit. Qui uero morbo non præsente, præseruationis tamen gratia, sanguinis euacuationem requirunt, his Ver commodum est. At uero in ætatibus, usque ad annum decimum quartum, euacuatio sanguinis recusanda est, quemadmodum etiam post sexagesimum annum, si non ineuitabilis necessitas nos cogat: & in summa, qui debiliores uires habent uitandi sunt. In partibus itaq; recens inflammatis, ex oppositis partibus euacuationem facere oportet. In diuturnioribus inflammationibus, ex uicinis. In multis equidem corporis locis uenam secamus, plerunq; tamen in ipsa cubiti intrinsecus flexura. Verum attendendum est. Nam internæ uenæ, quæ alaris appellatur, arteria subiacet: Mediæ neruus: Superna, humeralis etiam appellata, penitus omni metu uacat. Et in morbis quidem circa caput, humeralem secabimus: In his qui sunt infra collum, alarem: Vtrisque uero conuenit media. Oportet igitur partem aliquam circa brachij musculos, angusta quadam fascia deligare, & per manuum frictionem mutuam, repletam uenam eam quæ necessitati commoda est, transuersim diuidere, secundum totam ipsius latitudinem solum. Nam maiora quam pro hoc modo uulnuscula, ægre cicatricem recipiunt: & quæ ualde angusta sunt, ad hoc quod crassioris humoris transitum impediunt, etiam inflammationem inducunt. At in quibus secunda die, aut tertia, quandoque etiam quarta, detractionem repetere uolumus, in his obliquius uenam secare oportet, quo in brachij fle-

Vicinæ & oppositæ partes quando secandæ

Venæ. III. in cubiti flexura

Humeralis.

Media.

Alaris.

xionehians, non cito cicatricem recipiat. Sic.n. Antylo uisum est. Cæte-
rum quantitas eius qui euacuatur sanguinis, & uirium robote, & morbi A
magnitudine iudicetur. Si igitur humoris multitudo subest, & materia fer-
Animi deliquij causæ in uenæ sectione uet, semel ad animi deliquium usq; euacuamus, ualidis uidelicet adhuc ui-
ribus, ægroto non propterea quod humor ad stomachum defluxit, animi
deliquium patiente: Nam hac de causa multi statim ab initio, ante sufficien-
tem euacuationem animo linquũtur: sedratione euacuationis, his animi de
liquium fieri oportet. Si uero multa quidem opus sit euacuatione, uires au-
tem fuerint imbecilles, partiri euacuationem oportet, & prima detractione
defectuosiore facta, rursus si opus fuerit, & tertio dettahete. Euacuamus
autem totum non solum in repletionis affectione constitutum corpus, ue-
lut Galenus ait, sed etiam ob magnitudinem affectionis, toto corpore in hu
morum commoderatione constituto, uelut in sanguinis ex naribus, aut ali-
unde eruptione, quum non redundantia est quæ profluit, etiam ex opposi-
tis reuulsorio modo euacuamus: Imo etiam in uehementibus inflammatio-
nibus, quemadmodum in colicis, & rhenibus ex calculo laborantibus, lip-
pitudinibusq; & alijs acutis morbis urgentibus. Nam dolor, & color par-
tis inflammatæ, causæ sunt fluxionis, etiamsi totum corpus non habeat su-
perfluos humores. Tunc itaq; defectuosius hoc ipsum facere oportet, & ea
Indicationes uacuandi sanguinis euacuatione uti quæ conuenire uidetur ætati maximè, & ægroti naturæ,
considerando insupet etiam tempus, & tegionem, & consuetudinem ægro
ti. At uero in quibus iuxta diuisam uenam, inflammatio quædam magna
est, quemadmodum in pleuriticis & hepaticis, in his optimum est expecta-
re sanguinis mutationem in colore & compage. Alius autem est sanguis
in inflammatione, ab eo qui secundum naturam est. Nam dum amplius ca-
lescit, si prius crudior erat, rubicundiot & flauior euadit. Si uero talis prius
erat, ad nigriorem colorem adassatus permutatur. Non tamen omni modo
mutationem expectare oportet, sed aliquando etiam antea quam fiat, cessa B
re conuenit, atq; hoc duplici de causa. Nimirum aut ob uirium debilitatē,
quam ex pulsuum contactu cognosces. Inuenies.n. ipsos inæquales in uehe
mentia & magnitudine, uel etiam obscuros. Et fluxionis uigor labascens,
debiles iam uires indicat: aut etiam ob inflammationis malignitatē. Quan-
doq;.n. nihil remittit, sed uehementer adstricta est. At si nihil horum impe-
dit, & ægre in uigote ætatis fuerit, mutationem expectare oportet, & hoc
eo magis si ambiens aer tempetatus fuerit. Porrò si sanguis ante sufficientē
euacuationem suppressus fuerit, id quod fit, aut ob timiditatem & animi de
liquium, aut ob grumum, aut ob uiolentam constrictionem, ad singula hæc
instabimus: & animi quidem deliquium, odoramentis reuocamus: constri-
ctionem uero, remisso uinculo laxamus: grumum autem oleo affuso, aut di-
gitorum fotu dissoluimus. Reliquus secandæ uenę apparatus, omnibus no
Venæ frontis sectio tus est. Atq; hęc quidem in uenis flexuræ cubiti competunt Si uero à frōte,
uelut in capitis doloribus, detractio fieri debeat, fomento prius adhibito, fa
scia collum ipsis deligabimus, digito iuxta guttur immisso, ut suffocationē
uitemus, & uenam in fronte repletam scalpelli uenæ incisorij, aut alterius
Venæ sub lingua acie secamus Eodem modo etiam iugulares uenas in summa cute extantes,
in lippitudine diuturna secamus, per specilli concauum sanguinis effluxio
nem facientes. Sed & sub lingua uenas, uelut in anginæ affectione trans-
uersas incidimus, uitata constrictione. Quidam etiā in magnis oculorū an
gulis conspicuas uenas, uelut in diuturnis capitis & oculorum morbis, eo-
dem modo secant. In quibus etiam eas quæ inter nares sunt aut compres-
sione pet specilli caput, aut per asperas quasdam tes itritando rumpunt.
Venæ retro aures Quin & uenas retro aures, propter affectiones circa caput diuidūt. Aut eas
quæ circa poplitem sunt, in rhenibus affectis. Eas uero quæ in extremis par-
tibus sunt, ubi & superius sitarum partium uinculis, & manuum confrictio-
ne, & pedum ambulatione repleuerunt, secant, in sinistra quidem manu, in
spleni-

splenicis, eam quæ inter paruum & annularem digitum est: In hepaticis autem, eam quæ eodem loco in manu dextra est. Nam extremarum partium euacuatio, quum magis è longinquo fiat, efficaciorem reuulsionem facit. In pede uero, uelut in coxendicum morbo, aut in uteri affectionibus, superiorem interno talo uenam secant.

A

De cucurbitulis. Cap. XLI.

Cucurbitularum usus

NEque in principijs affectionum, neque dum repleta sunt corpora, cucurbitulis utemur, sed ubi totum corpus prius fuerit euacuatum, & nihil amplius influit parti, & opus fuerit aliquid mouere, agitareque ac foras trahere. Leuis itaque cucurbita inflationes soluit, & stomachi fluxiones sistit, & sanguinem attrahit, & eundem si feratur, rursus sistit, si oppositis partibus adhibeatur, & quod in profundo est, ad summam cutem educit. Et in summa, humorum quidem translationem, flatuum autem euacuationem efficit. Quæ uero cum scarificationibus affigitur, efficaciorem transpirationem causis præbet, ea quæ adfligunt ex profundo, ita ut sensu percipiamus, educens. Non. n. sanguinis solum, sed etiam aliorum humorum euacuationem facit, & præsertim si cũ largiore flamma adhibeatur. Verum si de carnosis partibus detractionem facere uolumus, primũ facta scarificatione, postea cucurbitam imponimus. Si uero minus carnosa fuerit pars, leuem cucurbitam prius agglutinabimus. Vbi uero in molem eleuata pars est, facta scarificatione rursus ipsam imponimus. Et si quidem parum uacuare uolumus, una fissura contenti erimus: Si plus, plures incutiemus. Et si tenuiorem contentum sanguinem deprehenderimus, in summo scarificabimus: si crassior, in profundum, quum etiam grumos sanguinis ex plaga euacuare uoluerimus. Terminus autem moderatæ fissurarum profunditatis, crassitudo sola cutis est. Quidam instrumentum ad hoc excogitarunt, tribus æqualibus scalpellis simul coniunctis, quo una aggressione tres fissuræ infligerẽtur. Verum nos hoc inutile ducentes, uno scalpello utemur. Alij uitreis cucurbitis utuntur, eo quod euacuati sanguinis quantitas in ipsa attractione ex ipsis pellucet, sed magis trahunt æreæ, ampliorem flammam sustinentes, quum uitreæ facile frangantur. Sed & qui per cornua ore sugentes attrahunt, minus quidem euacuant, nihil autem resiccant, quemadmodum quæ cum flamma adhibentur, si opus fuerit. At ubi iam cucurbitam affigere uoluerimus, erecta parte figurata, ex latere ipsam agglutinabimus. Si. n. iacentibus ipsis funiculum lucernarium supernè admouerimus, una cum flamma in cutem illabens uehementer urit, nulla necessitate hoc exigẽte. Quandoque uero etiam cucurbitæ magnitudo sit pro ratione subiectæ partis. Hac enim de causa etiam multæ sunt cucurbitarum, iuxta paruitatem & magnitudinem differentiæ: quemadmodum etiam aliquæ longiore collo, & ampliore uentre, fiunt ut magis quam aliæ trahant. Cauendum autem est ne prope mammas cucurbitam adhibeamus. Illabentes enim in ipsas, & quandoque inde intumescentes mammæ, faciunt ut ualdè difficulter illæ auelli possint. Et tunc spongijs ex aqua calida cucurbitas circundare oportet. Ita enim remittunt. Si uero neque sic remiserint laxatæ, iam perforare ipsas oportet.

B

De Alæ ustione Cap. XLII.

Alæ ustio

IN humeri coarticulatione contingente luxatione, in quibusdam sæpe & frequenter brachij caput excidit, aut ob redundantem humiditatem, aut quòd ob assiduam eluxationẽ, loco huic uia facta est. Tunc igitur ad ustionem deuenimus. Oportet itaque aut supino, aut in sanum latus reclinato ægro, interiorem alæ cutem, qua parte maxime articulus excidit, duobus sinistræ manus digitis, aut uolsella distendere, & tenuibus ac oblongis ignitis cauterijs perurere, ita ut ex cauterio quod in aduersam partem pertrudi potest, per unam aggressionem duæ crustæ fiant. Et si multũ inter has fuerit spacium, specilli capite per ipsas transmisso, aliam in medio crustam faciemus,

urentes donec cauteriũ contingat specillum. Sed & alias duas crustas uult fieri Hippocrates, ab utraq; parte mediæ relatæ, æquali interuallo uelut illæ distantes, iuxta quadranguli figuram. Profunditatem autem inuremus non altiorem cute. Nerui enim & glandulæ, & alia subiacent, quæ inflammationem & operis difficultatem inducere possunt. Curare autẽ oportet per porri cum sale trito impositionem, & pet reliquam ad crustas pertinentem curationem. Et postea cautè actiones pet manus obeundas tractare. A

De agnascentibus digitis, & de sedigitis. Cap. XLIII.

Digiti agnascentes

AGnascuntur digiti circa manũ, quandoq; prope magnos digitos, quandoq; iuxta paruos, raro autem circa alios digitos uisi sunt. Qui uero ita agnascuntur, partim per totum carnosi sunt, partim etiam ossa in se habent: quandoq; etiã ungues. Qui ossa habent, partim ab articulo exortũ habent, in commissura ad articulum cum altero digito communicantes, partim ab internodio enati sunt. Qui igitur ab internodio, siue spacio inter articulos, enati sunt, penitus immobiles sunt. Reliqui quandoq; mouentur. At carnosorum facilis est amputatio. Quicquid enim superuacuum est, per totũ penitus scalpello resecamus. Eorum uero qui ab articulo exortum habent, difficilior est aggressio. At eorum qui ab internodio enati sunt, carnem primã in circulum ad os usq; resecamus, Ipsum uero os exciforio scalpro diffecamus, aut serra amputamus. Deinde in curatione tractamus ipsa, & cicatrice obducimus, quemadmodum de uulneribus in ossibus diximus.

De chirurgia & ustione suppuratorum. Cap. XLIIII.

Suppuratorũ pectore ustio

EFficacissimum auxilium pectore suppuratis ustio inuenta est. Oportet igitur aristolochiæ longæ radicem oleo imbutam, ipsis per ignita cauteria ustis, in crustas indere, quarum una inter claucularũ commissuram inusta sit, sursum tracta cute. duæ uero paruæ, paulolum ad mentum à soporarijs atterijs procedendo. duæ sub mammas grandiores aliquanto, inter tertiam & quartam costam. Aliæ duæ inter quartam & sextam paululum nutantes retrorsum. Et alia in medium pectus. Et alia supra os uentriculi. Tres aũt à tergo, una in mediũ dorsum, & ab utraq; spinæ parte duæ, eam quæ in dorso est crustam transgredientes, non ita in summa cute. Alij uero, uelut etiam Leonides ait, cauterio oliuari igni candefacto per intermedium costarum spacium, qua parte abscessum esse notarunt, usq; ad pus ustionem fecerunt. Quidam etiam chirurgia in his uti ausi fuerunt, per medium quintæ ac sextæ costæ, transuersa sectione paululum subobliquè cute diuisa, atq; ita per acutum cultellum membrana costas succingente perforata, et pure excreto. Verum & hi, & qui per ferrum in profundum usq; urunt, aut statim mortẽ inducunt, ut tali spiritu accruatim unà cum pute euacuato, aut fistulas incurabiles efficiunt. B

De cancro Cap. XLV.

Cancer

CAncer tumor est inæqualis, asper, abominabilis, subliuidus, dolorosus: quandoq; absq; ulceratione, quem etiam occultum Hippocrates nominauit, qui etiam ex chirurgia deterior euadit: quandoq; uero ulceratus. Nã ex atra bile generationem habens, plerunq; erosionem perpetitur. Et in pluribus quidem corporis partibus consistit, maxime uero circa uterũ & mammas in mulieribus. Habet autem & uenas undiquaq; extentas, uelut animal cancer pedes, unde etiã nomen ipsi inditũ est. Curatione equidẽ ipsius per medicamẽta, in quarto libro sufficiẽter diximus. Eiusuero qui in utero consistit, hic tacito. Quando quidem uero corpora putrefacta, aut simpliciter à naturali statu digressa, ablatione expetunt, eos cancros qui in utero consistunt, ut chirurgia tentemus, fieri non potest, neq; conducibile est. Proinde eorum qui in externis partibus, & præcipue circa mammas sunt, chirurgiã trademus. Quidam igitur cauterijs totum id quod redundat consumũt. Alij tota mamma excecta urunt. Galenus chirurgiam per sectionem solum assumit, hoc modo scribens. Si tamen aliquando ausus fueris per chirurgiã curare cancrum, ab atrabiliarij humoris purgatione euacuare incipe. Deinde tota

tota affecta parte exactè resecta, ut nulla radix relinquatur, sanguinē effluere sine, & non cito cohibe, sed etiam circūsitas uenas preme, crassum sanguinem ex ipsis exprimēs. Postea similiter ulcus alia ulcera cura. Hæc Galenus. Sed & reliqua maligna ac putredinosa ulcera, phagedænas, & gangrænas, & consimilia, eodem modo per chirurgiam aggrediemur. *Phagedæna Gangræna*

De Turgentibus mammis in uiris. Cap. XLVI.

QVemadmodum in fœminis, ita etiam in maribus, circa pubertatis tempus, mammæ aliquantulum inturgescunt. Verum plerisq; rursus subsidunt. In quibusdam uero initio sumpto augescunt, adipe subenascente. Hæc itaq; res quum effœminatæ naturæ opprobrium afferat, chirurgiam meritò requirit. Proinde lunata sectione in infernam mammæ partem facta, & excoriatione sequuta, pinguedineq; detracta, suturis oras committimus. At si forte ob magnitudinem mamma suis partibus deorsum, uelut in fœminis, nutat, duas lunares sectiones iuxta extremitates sese mutuo cōtingentes incidemus, ita ut minor à maiore comprehendatur: & intermedia cute excoriata, ac pinguedine detracta, similiter suturis utemur. Si uero aberrantes minus resecuerimus, ea parte quæ redūdat rursus amputata consuemus, & medicamentum cruentis uulneribus destinatum imponemus. *Mammæ uirorum turgidæ*

De hepatis ustione. Cap. XLVII.

SI cum grauitate dolor fiat his qui in hepate abscessum habent, carnosa ipsius pars affecta esse indicatur. Si uero acutus est dolor, in tunica magis pus est, & ustionem sic facere oportet. Cauteria tenuia oliuaria exacte candefacta, paulum supra inguen ad finem hepatis immittimus, unam crustā incutientes: Perusta uero tota cute, & ad tunicam usque perducti, pus excernimus. Post cuius euacuationem, lenticula cum melle usi, medicamentis ex aqua mulsa & incarnantibus speciebus, postea uero etiam cicatricem inducentibus, utemur. *Hepatis ustio*

De splenis ustione. Cap. XLVIII.

CVte spleni incumbente per hamulos distenta, longo candenti cauterio per totum ipsam penitus perurimus, ita ut una aggressione duæ crustæ fiant. Atq; hoc trifariā facimus. Vt omnes crustæ sex fiant. At uero Marcellus tridente, aut cauterio tridentis formam habente utens, una aggressione sex crustas inurebat. *Splenis ustio*

De stomachi ustione. Cap. XLIX.

IN diuturnis stomachi fluxionibus Iuniores ustione usi sunt. Et alij quidem oliuaribus cauterijs tres crustas incutiunt, Vnam in cartilaginem gladiū referentem, alteras duas inferius, iuxta triangularem figuram, ea profunditate ut totam cutem perurant. Alij uero unam solum faciunt, eamq; maiorē, iuxta ipsum uentriculi osculum. Quidam neq; ferro urunt, sed iscis uocatis. Sunt autem iscæ spongiosa quædam corpuscula, in quercubus & nucū regiarum arboribus nascentia, quæ Barbari magis in usu habent. Vlcera uero aliquādiu sinunt, nec cicatricem ipsis inducunt. Imò magis insuper ipsa laniant, quò ob multā per ipsa exhalationē, os uētriculi fluxione nō infestet. *Stomachi ustio* *Iscæ quid sint*

De hydrope. Cap. L.

QVum hydropis siue aquæ inter cutem constitutionē, & quot huius sint differentiæ, & quæ causæ, cognitionem item, & per medicamenta curationē, tertio libro tradiderimus, & in illo etiam antea ostenderimus, quod solus Ascites hydrops chirurgiam admittat, hanc nunc tradituri sumus. Erectum itaq; statuemus hominem, sin minus id fieri possit, in sella collocabimus. Si uero neq; hoc fieri possit, recusanda est nobis chirurgia in eo qui ad tantam debilitatem deuenit. Stante itaq; erecto homine, iubebimus ministros à tergo ipsius stantes, ut tumoris molē per manus comprimant, & deorsum ad pectinem protrudant. Nos autem accepto cultello acuto, aut uenæ incisorio scalpello, si quidem à partibus circa intestina hydrops obortus est, iuxta perpēdiculum umbilici, tribus sub ipso digitis interpositis, abdor *Hydropicorū sectio*

ad

ad peritonæon usq; appellatam membranam dissecamus. Si uero hepate pri
mario affecto, ex sinistris umbilici partibus secamus. Si à splene, in dextris: A
Non enim secanda est ea pars in quam æger decumbere debet: & excoriata
per instrumenti aciem cute incumbente, paululum supra priorem sectionẽ,
etiam ipsam peritonæum membranam dissecamus donec ad uacuum locũ
scalpellum pertingat. Postea uero æneam fistulam, quę ad calami scriptorij
similitudinem exsecta sit, & per abdominis, & per peritonæi sectionem de-
mittemus, & per ipsam humorem educemus pro uiribus moderatum, quas
ex pulsus contactu cognoscemus. Deinde educta fistula humorem sistemus.
Sistetur enim statim ob alteratam illam factã sectionem. Sed & nos securita
tis gratia, linamentum intortũ per solam abdominis sectionem demittemus
& reclinato ac refocillato homine, postera die rursus parũ humoris pro ui-
rium ratione, per fistulam euacuabimus, atq; ita consequentibus deinceps
diebus, donec quàm minimum ipsius undiquaq; relinquatur, aceruatam e-
uacuationem cauentes. Multi enim ex imperitia rem bene tractare cupidi,
unà cum humore etiam uitalem spiritum aceruatim euacuarunt, atq; ita ho
minem occiderunt. Cæterum qui magis securitatis curam habent, modica
humoris per chirurgiam facta euacuatione, quo uires saltem à grauitate le
uentur, reliquum per medicamenta aquam ducentia, & per arenam, solem,
sitim, & siccantia alimenta consumunt. Quin & ustione quidam usi sunt, in
stomachum, hepar, splenem, imum uentrem, & umbilicum, quinq; crustas
inurentes, alij ferreis tenuibus cauterijs, alij per iscas appellatas, aut per aliã
quandam eiusmodi materiam. Et multi sane hac ratione magis sanati sunt,
aliquando penitus nulla facta perpunctione.

De umbilici prolapsu. Cap. LI.

Vmbilicus pro lapsus VMbilici prolapsus fit aliquando rupta iuxta illum peritonæo membra
na, & aut omento, aut intestino prolapso: aliquando uero lento humo-
re sub umbilicum collecto quandoq; aũt carne subter excrescente: & quan- B
doq; sanguine eò collato, ob uenæ aut arteriæ ruptionem, uelut in arteriæ
dilatatione: quandoq; non sanguine, sed spiritu solũ illic collecto. Si igitur
omentum foras prolapsum fuerit, tumor circa umbilicum concolor, ad ta-
ctum mollis, doloris exors, & inæqualis apparet. Si uero intestinum, supra
relata etiam amplius inæqualis, & ad digitorum compressionem disparens,
quandoq; uero etiam strepens, & ex balneis ac distentionibus magis auge-
scens. At si humor fuerit, mollis quidem similiter est tumor, sed ad compres-
sionem non cedit, neq; minuitur, neq; augescit. Si uero sanguis, ad prædicta
signa, tumor etiã liuidior fuerit. Carne uero subter enata, durior & renitens
erit tumor, & in eadem magnitudine permanens. Qui uero spiritus inflatio
nem illic collectam habent, his mollicies ad tactum adest, & sonitus quidã
sequitur ad pulsationem, & disparet ad compressionem. Hoc igitur modo
chirurgiam adhibebimus. Erectũ hominem iubebimus, ut spiritu suppresso
seipsum distendat. Deinde tota umbilici prominẽtia circũ circa atramento
scriptorio notata supinũ locabimus, & iuxta notas factas, tumorẽ scalpello
circũ scarificabimus. Postea media parte per hamulos distẽta, filũ aut chor-
dam scarificationi circũdabimus. Sic enim retinebitur non dilabens, ansa-
Nodus ansatus to nodo connexione facta. Deinde constricto tumore circa uerticem aper-
to, indicem digitum demittemus, diligenterq; perscrutabimur, anne aliqua
intestini conuolutio, aut omenti pars simul fuerit constricta. Etsi quidẽ in-
testinum fuerit id quod constrictũ est, ansato fili nodo laxato, ipsum intrò
compellemus. Si uero omentum fuerit, hoc attractum quantum eius super-
uacanei fuerit resecamus, filo deligantes uelut par est, si quod uas intercur-
rat. Postea acceptis duabus acubus simplex filum ducentibus, iuxta Chias-
Chiasmus mum, hoc est ad literæ græcæ. χ figuram, ipsas per factam scarificationem
transmittemus. Et dissectis filorum ansati nodi finibus, uelut in uenæ dilata
tione dicebamus, ex quatuor principijs constrictionem faciemus. Postquã
uero

a uero computuerint ac exciderint corpuscula filis deligata, linamentorum ductu curabimus, ut cautior cicatrix fiat semper studio habentes. Atque hæc quidem omento aut intestino affectionem inducentibus adhibemus. Si uero caro, aut humor, aut sanguis, affectionis causa fuerit, media tumoris parte circum circa ablata, & quicquid extra membranam peritonæon, iuxta umbilicum insitum est, eo educto, iuxta concarnationis modum curationē faciemus. Cæterum affectionem prolapsi umbilici, ex arteriæ dilatatione, aut spiritus interlapsione obortam, repudiamus, uelut etiam reliquas arteriæ dilatationes.

De peritonæi membranæ uulnere. Et de intestini, aut omenti prolapsu. In quo etiam modus suendi uentrem. Ex Galeno. Cap. LII.

QVomodo quis uulneratam peritonęon membranam optime tractarit, consequenter considerandū est. Si igitur paruū fuerit uulnus, ut prolapsum intestinum inflatum non amplius reprimi possit, necesse est aut flatum euacuare, aut uulnus maius efficere. Melius autē esse puto prius illud facere, si fieri possit ut id assequamur. Quomodo uero quis hoc magis assequi possit? si causam ex qua intestinū inflatur amoueat. Quæ igitur est hęc? ambiētis aeris frigiditas, quare etiam per calefactionem sanatio contingit. Spongam igitur mollem aqua calida imbuere oportet, deinde exprimere, & per ipsam intestinum calefacere. Interim uero præparetur unum austerum calidum. Nam et calfacit magis quam aqua, & intestino robur indit. Si uero ab horū usu, intestinū adhuc permanserit inflatum, tantū de peritonęo incidere oportet quantum opus habet id quod prolapsum est. Ad talem autem sectionem commoda sunt fistulis secandis apta instrumenta, syringotoma recta appellata. Commoda est etiam ægro, uulnere in infernis partibus facto, figura decubitus sursum uergens: in supernis, deorsum: & in dextera parte facto uulnere, in sinistram reclinari, & uicissim in sinistra, in dextram. *Peritonæi membrana uulnus*

B Atque hoc tum magnis, tum paruis uulneribus commune est. Verum intestinorum repositiones in propriū locum, in magnis uulneribus, ministro admodum perito opus habent. Oportet enim ipsum suis manibus forinsecus apprehensum totum uulnus intro contrahere ac constringere, ita ut semper exiguum quid suenti denudet, & sane etiam id quod consutum est modera te adstringat, donec exactē fuerit totum consutum. Quis uero sit modus suendi uentrem ad huiusmodi idoneus, deinceps dicamus. Quando quidem abdomen cum membrana peritonęo concrescere oportet, à cute initium sumendum est, acu ab externa parte intro transmissa. Vbi uero cutem & musculum rectum totum penetrarit, membrana adiacente præterita, traijcere acum ab interna parte per reliquam membranam oportet, atque ita hinc ab internis extra per alteram abdominis partem traijcere, & ubi penitus, pertransiit, rursus ab externis intro per hanc abdominis partem transmittere, & adiacente ipsi membrana præterita, & ad oppositam membranæ partem transitione facta, ab internis extra ipsa perpungere, & simul cum ipsa etiam proximum totum abdomen: Deinde ab hoc rursus initio facto, ipsum cum opposita membrana consuere, & postea per proximam cutem extra transmittere: illinc uero rursus intro transfigere, & cum opposita membrana consuere, ac per proximam cutem extra transmittere: & hoc iterum atque iterum repetitis uicibus facere, donec totum similiter consuerimus uulnus. Interuallum autem suturarum, quantum ad constringendū subiecta attinet, breuissimum esse debet quantū uero ad hoc, ut cutis inter suturas infracta permaneat, breue interuallū non est commodum. Fugiendus itaque est utriusque excessus, & quod moderatum est, eligendum: Iam uero & hoc commune quodammodo omnibus ulceribus est, quemadmodum etiam ipsius fili compages. Quod enim durius est, cutem rūpet: quod mollius, ipsum prius runpetur. Eodem modo etiam propinquissime ad summa labia acum traijcere, facit ac cogit ut cutis quæ paucissima restat, plerūque rumpatur. At si multa

sit

sit comprehensa, inglutinata permanet. Atque haec quidem etiamsi omnibus ulceribus communia sunt, maxime tamen in uentris sutione uitare oportet. Et aut uelut ante a dictum est facere, coniectura habita ut abdomen cum peritonaeo concrescat, eo quod quum neruosum sit, uix concrescat: Aut uelut aliqui faciunt, ea quae secundum naturam cognata sunt inter se contrahere, peritonaeum cum peritonaeo, abdomen cum abdomine. Id quod hoc modo fit. A uicino nobis abdomine acu traijcere oportet, ab externa parte intrò, per ipsum solum, & ambobus peritonaei labijs transgressis, rursus acum conuertere, et ab externa parte intrò, per ambo peritonaei labia traijcere. Et deinde rursus conuersam, ab internis extra, iuxta oppositum abdomen transmittere. Hic modus à communi illo & uulgato, quo per quatuor labia, una aggressione acum traijcitur, differt: quòd peritonaeum membranam intra abdomen exacte occultat. Caeterum medicamenta commoda sunt eiusdem materiae cum his quae cruentis uulneribus competunt. Quo uero nulla ex principalioribus partibus coafficiatur, lanam tenerâ moderato oleo calido imbutam, per totum spacium inter inguina & alas, circumdare oportet. Praestat autem idem oleum calidum per clysterem intestinis immittere. Si uero etiam ex intestinis aliquod fuerit uulneratum, uinum sit id quod immittitur nigrum, austerum, tepidum: atque hoc magis, si totum fuerit perforatum ad intestinum usque meatum. Facilia igitur curatu sunt crassa intestina, aegre uero curantur tenuia. Penitus autem incurabile est ieiunum, tum propter multitudinem ac magnitudinem uasorum, tum propter tenuitatem ac neruositatem tunicae. Sed & bilem puram omnem excipit, & uicinissimum omnium est hepati. At ueto infernas uentriculi partes, carnosas illas, tentare oportet ut curemus. Fieri enim potest ut succedat, non solum quia crassiores hae sunt, sed etiam quòd curantibus medicamentis faciliter sedes eolo co contingit. At uero uulnera in ore ipsius uentriculi ac stomachi, transitu solum medicamêta côtingunt. Sed & his quae in ore ipsius sunt, sensus substitias aduersatur, quo minus curêtur. Quum uero peritonaeo rupto, omentum prociderit, & aut liuidum, aut nigrû factum fuerit, parte ea quae ante nigrefacta est laqueo constricta, propter eruptionis sanguinis periculum, resecare oportet eam quae post laqueum est, ita ut ad infernû finem consutionis, laquei initia foras propendeant, quo facile eximi possint, ubi suppurato uulnere reiecta fuerint.

Ieiunum intestinû uulneratû nô curatur

De praeputio curto. Cap. LIII.

Praeputium curtum

IN quibus parum quid deest cuti pudendi, quidam de cotis reparandi causa, duplicem chirurgiae modum excogitarunt: quando quidem circa pudendi initium superne cutem secâtes in orbem, quo soluta continuitate, cutis deorsum trahatur, quousque glans fuerit contecta: quando que uero scalpello subexcoriantes iuxta internâ partem, circa glandis radicê. Deinde deorsum trahentes. Et postea molli quodam linteo praeputium obligantes: nimirum linteo quodam in medio interposito iuxta factam excoriationem, quo praeputium cum glande non concrescat. Hunc modum Antylus magis probat, latius ipsum exponens. Nobis autem summatim solum attingere satis esse uisum est, eo quod in artis operibus raro talis chirurgia requiritur, quû neque functionis aliquam difficultatem haec affectio inducat, neque ita decorê uitet, ut huius chirurgiae tormentum subire quis sustineat.

De hipospadiaeis. Cap. LIIII.

Hypospadiaei Canis pars penis Glans non perforata

MVltis ex natiuitate glans non est perforata, sed sub appellato cane, ubi glans absoluitur, foramen est. Atque hinc neque mingere in anteriorê partem possunt, nisi ualde ad pectinem membrum refregerint, neque liberos generare, quum semen ipsos in directum eiaculari in uterû non contingat. Et ad haec non uulgare dedecus affert haec affectio. Simplicissimus igitur & periculi maxime exors chirurgiae modus fit per resectionem. Oportet, itaque affectum reclinate supinum, deinde glandem per sinistrae manus digitos for

A titer extendere postea glandem scalpelli acie circa coronam amputare, non obliqua facta resectione, sed quæ similis sit sculpturæ circumcirca factæ, ita ut in medio eminentia quędam appareat glandi similis. Quandoquidem uero sæpe sanguinis eruptio contingit, si quidem fieri poterit, per sanguinem sistētia ipsam sedabimus: Sin minus, ustione per tenuia ferramenta utemur.

De phimo, siue præputio circa glandem constricto. Cap. LV.

DVplex phimoseos id est præputij circa glandem constricti causa est. Quandoq; n. preputium ita intexit glandem, ut rursus detrahi non possit. Quandoque retrò abductum, non amplius induci potest: quæ species propriè paraphimosis appellatur. Prima igitur differentia fit, aut ob cicatricem in præputio factam, aut ob carnis accretionem. Secunda uero in pudendorum inflammationibus efficitur, quum abducta retrò cute glans intumuit, & non amplius præputium admittit. Si igitur prima constrictionis species fuerit, chirurgiam adhibebimus, hoc modo. Postquam hominē ptout conuenit collocauimus, attracto præputio in anteriorem partem, hamulos tres aut quatuor in summū ipsum immittemus, eosq; ministris tenendos dabimus, & quantum fieri potest, extendere ac aperire ipsum iubebimus. Postea si ex cicatrice externa contractio facta fuerit, scalpello sectioni uenarum apto, aut cultello aculeato, ex internis partibus præputium diuidimus, in tribus aut quatuor locis, iuxta internas partes sectiones faciētes in directum extentas, & æquali spacio inter se distantes. Est autem duplex circa glandem præputium. Osculum igitur internæ in ipso partis diuidemus. Ita enim contractione ex cicatrice oborta exoluta, præputium abducemus. Si uero caro ex internis partibus agnata, constrictionem effecerit, detracto præputio in omnem carnem scarificationes faciemus, & eminētias intermedias carnis inter impacta uulnuscula deradēmus. Postea uero plumbeum canalem papyro sicca obuolutum toti glandi circumdabimus.
B Sit autem canalis undiquaque æqualiter expassus. Sic enim propter canalis circumpositionem, præputium prohibebitur, ut ne rursus inductum concrescat, ut quod præ plumbo, & obuoluta papyro, distentum conseruetur. Papyrus enim ex irrigatione intumescens, cutem adhuc magis dispatat. Hoc igitur facimus, siue propter cicatricem, siue propter carnis excretionem, constrictio fuerit facta. Si uero paraphimosis dicta fiat, & inueterata fuerit, concrescit & incurabilis est, si non uelut in præputio curto curari quis uelit. At si nondum ocaluerit, in directum factis uulnusculis tribus, aut quatuor, aut pluribus, & oleo calido multo affuso, ad externam partem ipsum attrahemus.

Phimosis

Paraphimosis

De cohærente cum glande præputio. Cap. LVI.

VLceratione circa glandem aut præputium prægressa, circa utraque fit concretio ut cohæreant. Oportet igitur subexcoriare, & quantum eius fieri potest, per scalpelli, aut cultelli polypis excidendis apti aciem, retinacula exoluere conari, & maxime quidem glandem à cohærente præputio purè secernere. Si uero difficile hoc fuerit, magis aliquid de glande ad præputium assumere, quam uice uersa. Quum enim tenue sit præputium, facile perforatur. At post exolutam concretionem, tenue linteum aqua frigida madefactū, inter glandem & præputiū interponatur, ut ne rursus concretio fiat, & adstringenti uino adhibito cicatrix ipsis inducatur.

Præputium cum glande cohærens

De circumcidendis. Cap. LVII.

NOn de his qui gentilis religionis more circumciduntur, nunc nobis sermo est, sed de his quibus ex pudendi affectione præputium nigrescit. Oportet itaq; totum id quod denigratum est in ipsis, in orbem diuidere. Postea uero squama ęris cum melle utendum est, aut etiam malicorio & erno, ad modum eorum quæ linamentis excepta induntur. Si uero sanguis eruperit, lunatis cauterijs utendum est, ad utranq; rem conferentibus, ipsam inquam, sanguinis eruptionem, & uulnus depascendo proserpens. Si uero to-

Circumcisi

u ra

ta glans aliquando fuerit consumpta, plumbeo canali in meatum indito, urinam per ipsum reddere iubebimus.

De thymis in pudendis. Cap. LVIII.

Thymi pudendorum Thymi carnosæ sunt eminentiæ, quandoque in glande, quandoque in præputio cōsistentes. Et ex his aliqui sunt maligni, aliqui nō. Nō Malignos igitur scalpelli acie deradere conuenit, & chalcitidem inspergere. In malignis autem post ablationem ustione utendum est. Si uero alternatim oppositi in præputio Thymi fiant, alij intra ipsum alij extra: non omnes simul aggredi oportet, ne præputium quod tenue est, non animaduertentes diffecemus. Verum primum interni auferantur, & post inductam ipsis cicatricem, etiam externos aggrediamur. Quidam ex recentioribus forfice præsectos seta equina obligatos, ipsos curabant: quemadmodum alij frigido *Cauterium frigidum* cauterio ipsos adurunt.

De Catheteris, & infusi immissione in uesicam. Cap. LIX.

Catheter, fistula Supprefsa urina in uesica, propter obturationem aliquam, uelut ex concretis sanguinis grumis, aut ex calculis, aut propter aliam quandam causam, catheteris fistulæ immissione utemur, ad recremēti urinæ eductionem. Accepto igitur ætati, & generi congruo cathetere, ipsum præparabimus. Preparationis autem modus talis est. Lanam modicam per filum in medio deligamus, & filo cum iunco acuto per catheteris fistulam transmisso, lanā foramini quod ad catheteris caput est adaptamus, & extra eminentib. lanæ partibus forfice præsectis, catheterem in oleum immittimus. Aegroto uero in sede collocato, & cum fomento prius, simbil impedit, tigato, acceptum catheterē immittimus, primum in directum usq; ad colis fundū. Et postea pudendum ad umbilicum refringimus: Nam ab hac parte obliquus est uesicæ meatus: atque ita catheterem ulterius admouemus. Postquam uero ad interfœmineum prope sedem peruenerit, rursus pudendum insito instrumento reflectimus, ad figurā naturalem reducentes: Nam ab interfœmineo uesicę meatus sursum tendit: & catheterem propellimus, donec ad uacuum uesicę spacium peruenit. Postea uero insitū in catheteris fistula filum attrahimus, quo unà cum lana attracta, urina sequatur, quemadmodum in *Siphonum similitudo* siphonibus contingit. Talis est immittēdi catheteris modus. Quando quidem uero sæpe opus habemus ut ulceratam uesicam colluamus, si auriculares clysteres infusum transmittere possunt, ipsis utemur iuxta prædictum modum eos immittentes. Si uero per hos fieri non poterit, corio, aut uesica bubula, ad catheterem adaptata, per immissam catheteris fistulam infusum immittemus.

De Calculis. Cap. LX.

Calculorum generatio Calculorum generationis causam, & quod pueris quidem magis in uesica, ætate uero prouectis in renibus calculi generatur, hęc sane quum alibi docuerimus, nunc ad calculorum excisionis modum deuenimus, ubi signa prius calculorum in uesica exposuerimus. Urinarum igitur excretio aquosa ipsis contingit, & subsidentia arenosa in ipsis: & dum assidue pruriunt, pudendum laxatur, & rursus præter rationem intenditur, eo quod ipsum assidue contrectant dum irritantur, & præsertim pueri. Si uero in uesicæ collum calculus incidat, etiam urina derepente supprimitur. Cæterum ex his quibus calculi exsecantur, pueri quidem usq; ad decimum quartum annum facile curantur, propter corporum mollitudinem. Senes autem difficulter, eo quod ulcera in corporibus ipsorum ægrè sanentur. Mediæ inter has ætates, etiam in hoc medio modo se habent. Et rursus facile curantur qui maiores calculos habent, quia inflammationibus adiueti sunt: difficulter autem qui minores, ob contrariam causam. His ita se habentibus, ad chirurgiam deuenientes concussione utemur prius, per ministros quandoque, & aliquando etiam ipso ęgro ab alto quopiam desiliente, quo calculus ad uesicæ collum subducatur. Deinde collocabimus ipsum ita ut erectus se

deat

A deat, & manus ad fœmora sua habeat, quo ad exiguum locum uesica decurrat. Si igitur ad contactum nostrum forinsecus iuxta interfœmineum, inter anum & pudendum calculus occurrat, pręcōcussione elapsus, tunc statim ad chirurgiam nos conuertimus. Si uero non occurrat, indicem sinistræ manus digitum, si puer fuerit ægrotus: aut etiam medium, si adultior fuerit, oleo illitum in sedem immittemus, & supinis digitis perscrutantes, ubi occurrerit, paulatim ad uesicæ collum transferentes ipsum coarctabimus, & digito aut digitis foras protrudemus ipsum impactum, iussoq; ministro ut manibus uesicam premat, alterum iubebimus ministrum, ut per dextram manum testes sursum tendat, altera uero interfœmineum distendat in alteram partem ab ea in qua sectio est facienda. Nos autem accepto instrumento excidendis calculis idoneo, inter sedem & testes, non iuxta medium interfœmineum, sed ad alteram partem, ad sinistram nate, obliquam sectionem faciemus, in ipsum occurrentem lapidem secantes, ita ut sectio extrinsecus amplitudinem habeat, intrinsecus autem non amplius, quàm ut lapis per ipsam excidere possit. Aliquando enim per innixum digitorum aut digiti circa sedem, simul ut sectio facta est, etiam citra extractionem, lapis placide exilit. Si uero non exilierit, extractionem per instrumentum ad hoc paratum facimus. At uero post eductum lapidem, sanguinis eruptione per puluillos sanguinem sistentes, & manna thuris, & aloë, & symphyto, aut etiam misy ac similibus fedata, lanas aut lintea complicata uino & oleo imbuta imponemus, & calcularijs fuę sena crura habentibus deligationibus utemur. Si uero sanguinis eruptionis tumor immineat, linteum complicatum ex posca, aut tofaceo cum aqua imponatur, & reclinato ægroto frequentius madefacimus. Tertia uero die facta solutione, & aquæ ac olei multi affusione, tetrapharmaco linamentis excepto utemur, ita ut sæpius ipsos soluamus ac curemus, propter urinæ acrimoniam. At si inflammatio aliqua succedat, cataplasmatis & perfusionibus ad hanc commodis utemur.

Sanguinem sistentia Deligationes sena crura habentes

B Etin uesicam rosaceum aut oleum chamæmelinum, aut butyrum immittemus, si non inflammatio aliqua nos prohibeat. Similiter uero etiam si serpendo depascens, aut alias quomodocunq; malignū ulcus fiat, ad singula conuenienter instabimus. Postquam uero ab inflammatione liberum est ulcus, facta ablutione, emplastro ex succis ad lumbos ac imum uentrem, utemur. Per totum autem curationis tempus, fœmora simul uincire oportet, quo auxilijs adhibitis inseruiant. Porro si paruus sit calculus, & in colem inciderit, & per urinam eijci non possit, præputio in anteriorem partem uehementer attracto, ipsum ad summam glandem deligabimus. deligabimus etiam retro pudendum ipsum colem, ad finem quiad uesicam est constrictionem facientes, & postea inferne colem ad ipsum occurrentē calculum secabimus. Inflexo autem cole lapillum eijciemus, & exolutis uinculis, uulnus à sanguinis grumis mundabimus. Et uinculum quidem retro obligatur, ut ne calculus retrorsum recurrat. In anteriore autem parte, quo post extractū lapidem, dum deligatum præputium exoluitur, recurrens cutis sectionem factam contegat.

De Corporibus circa testes. Cap. LXI.

Q Vum corpora circa testes, ad hernias secandi doctrinam conferant, definitiones ipsorum prius adscribemus. Ipse igitur testis substātia est glādulosa & friabilis ad gignendū seminis facultatem facta. At Adstites qui & cremasteres appellantur, neruosi exortus sunt, ex membrana medullæ dorsi, cum uenis arteriosis ad testes pertingentes, per quos seminis ad pudendum emissio contingit. Vasa uero seminaria uenæ sunt, quæ à uena caua ad testes pampinoformiter inflexæ feriuntur, per quas testes nutriuntur. Rubicunda tunica est natura neruosa, quæ iuxta gibbam partem, & ante testem absoluta est: iuxta cauas autem partes, & retrò testi adhæret, ex peritonæi mebranæ tunica ortum habens. Hanc autem partem iuxta

Testis definitio Adstites, Cremasteres Vasa seminaria Tunica Rubicunda

Darti pelliculæ sunt quam testi adhæret, posteriorem accretionem nominant. Darti uero pelli-
culæ sunt extrinsecam cutem ad rubicundam tunicam agglutinãtes, & ipsi A
adhærentes, qua parte etiam illa retrò testibus adhæret. At rugosa illa ex-
Scrotum trinsecus cutis testibus circumdata, Scrotum appellatur.

De Hernia aquosa. Cap. LXII.

Hernia aquosa hydrocele SI lentus humor circa partem corporum scrotum pertexẽtium colligitur,
& tumorem sensui expositum efficit, hydrocele, id est hernia aquosa,
affectio nominatur. Consistit igitur plerũq; humor in tunica rubicunda cir-
ca testem in anteriore parte, ubi maxime rubicũda tunica à teste separatur.
Raro uero in partibus extra rubicundam tunicam affectio consistit. Sœpe
Tunica supergenita autem in propria tunica humor continetur, & hanc affectionem chirurgi
in supergenita tunica appellare solent. Si igitur ob prægressam causam, ue-
lut est partium debilitas, affectio constiterit, sanguis qui alimenti ratione af-
fertur, in aquosam aut serosam lentam substantiam transmutatur. Si ue-
ro ob plagam, sanguinea aut feculenta essentia continetur. Commune igi-
tur signum est tumor doloris exors, durans circa scrotum, qui iuxta nullam
occasionem euanescit, sed cedit quidem in his qui modicum humorem ha-
bent: non autem cedit in his qui multum. Et in quibus quidem in tunica ru-
bicunda consistit humor, his tumor est ferè rotundus uelut ouum. Atq; his
testis occultus est, ut qui undiquaq; circumluatur. Si uero extra tunicam ru
bicundam, sub pelliculis dartis dictis fuerit, per pauca corpora occurrit. At
si in supergenita tunica humor constiterit, propter collectionem ac conglo
bationem undiquaq; contingentem, tumor alterius testis imaginem præse
fert. Etsi quidem aquosus fuerit humor, concolor tumor pellucet. Si uero
feculentus aut cruentus, rubicundus aut liuidus apparet. Si uero in utrisq;
Hernia geminata scroti partibus signa hæc comparuerint, hos geminata hernia correptos esse
scito. Cæterũ chirurgiam hoc modo facimus. Denudata pilis pube & scro-
to, si non puer fuerit, hominem supinum in scamnum reclinamus, ita ut na- B
tibus linteum multipliciter complicatum, scroto uero spongiam magnam
subijciamus. Et ex sinistris ægri sedentes, ministrum à dextris ipsius ægri se
dentem iubemus, ut & pudendum in alteram partem distendat, & scroti cu
tem ad abdomen extendat. Nos autẽ accepto scalpello scrotum diuidimus,
à medio exorsi secundum longitudinem, propemodum ad pubem usq;, re-
ctam sectionem facientes, similem & appositum ei lineæ quæ scrotum in du
as partes secat, diuisione ad rubicũdam usq; tunicam progrediente. Si uero
in supergenita tunica sit humor, qua parte apex eius tunicæ significationẽ
de se præbet, ea parte diuisionem facimus, & labijs sectionis per hamulum
diductis, & dartis appellatis pelliculis detractis per herniarũ cultellum ac
scalpellum, & denudata tunica rubicunda, mediam ipsam per uenarum se-
ctorium scalpellum diuidimus, illa maxime parte qua à teste separata est, &
humore toto, aut maiore ipsius parte, in uas quoddam excreto, rubicũdam
tunicam per hamulos auferimus, tenuissimam præsertim ipsius partem. At
hinc iam Antylus suturis, & curatione cruentorum uulnerum utitur. Re-
centiores autem concarnante appellato ductu. Si uero testis putrefactionẽ,
aut aliquam aliam affectionem habere comperiatur, uasis quæ cũ adstite cõ-
iuncta sunt, per laqueum disparatis, & ipso adstite dissecto, testem eximere
oportet. Et in gemina hernia præditis, eodem modo dupliciter operabimur,
sectiones utrinq; circa scroti ad inguina partes faciẽtes. Postea uero immis-
so per sectionem specilli capite, deorsum ad scroti finẽ, & scroto per ipsum
specilli caput distento, acuto scalpello sectionem secundum subeffluxum fa
cimus, quo sanguinis grumi, & pus per ipsam excernatur. Per ipsum uero
Lemniscus linamentum specilli caput lemniscum in longitudinem implicitum linamentum, ad su-
pernam sectionem trajcimus, & uibicibus spongia detersis, lanas oleo ma-
didas per sectionem deorsum ad testem immittimus: & forinsecus alias la-
nas uino & oleo imbutas, scroto, imo uentri, inguinibus, interfœmineo, ac
lumbis

lūbis, superponimus: & linteo triplicato insuper expresso, & deligatione
A sena crura habente, & alijs ad hoc commodis facta, hominē reclinamus, lanis ad lumbos subiectis, quietis gratia: & pelle molli substrata, ad irrigationes excipiēdas. Irrigamus autem oleo calido, ad tertiam usq; diem. Postquā solutione facta, ad uulnus quidē terrapharmaco linamētis excepto uti oportet, ita ut lemniscū in solutione permutemus. Forinsecus aūt rursus irrigationes adhibeātur propter inflammationē, usq; ad septimā diē. A quo medicamentū ad conseruandum linamentū adhibemus. At post ulceris repurgationem, & moderatam incarnationem, ubi iam de cætero lauātur, Lemniscum auferre oportet, & reliqua curationis sequela, uelut antea dictum est, uti. Quod si inflammatio aliqua sit, aut sanguinis eruptio, aut tale quid interim accedat, conuenienti modo singulis occurrendum est, ut ne sœpe eundem sermonem repetamus. Si uero ustionem in hernia aquosa libentius adhibuerimus, uelut iunioribus placet: omnia quæ ante chirurgiam, & quæ post ipsam relata sunt, fiant, itemq; quæ in ipsa chirurgia retulimus, eo solū relicto ut ne ferro secemus, neq; secundum subefluxionem sectionem faciamus. Decem itaq; aut duodecim ferramentis literam. Γ referēribus ignitis, & duobus cultratis, primum quidem scrotum per gammata illa per mediū peruremus. Et scalpello aut cæco hamulo membranas excoriantes, cultrato cauterio uelut dissecantes uremus. Denudatam autem rubicundam tunicam, quę ex albedine & densitate facilime cognoscitur, summa gāmati cauterij parte perurimus, & humorem excernimus. Ac postea totum quod denudatum est hamulis distentum cultrato cautere auferimus. *Ferramenta ustoria gammata, & cultrata*

De Carnosa & Tofacea hernia. Cap. LXIII.

SI caro circa aliquam partem corpusculorum, quæ scrotum connectunt, nascatur, carnosæ herniæ affectio oboritur. Et hoc ex obscura causa, teste fluxione uexato, aut in scirrhū indurato, aut ex plaga, aut ex imperita post herniæ sectionem curatione. Adest autem & his tumor concolor, cum duri-
B cia. Si uero induratus est tumor, color uitiatur, & sensus exors est. At si malignus est tumor, dolores punctorij consequuntur. Ad chirurgiam itaq; deuenientes, ęgrotum uelut prius collocamus, & similiter sectionem facimus. Et si quidem cum teste caro concreta affectionem fecerit, & darton pelliculam, & rubicūdam tunicam similiter dissecamus. Deinde extento teste unà cum tunica rubicunda, ipsum foras educemus, & discreto à uasis neruo unde testis dependet, uasa quidem adstringemus, neruum uero dissecabimus, Testem autem cum carne concretum, uelut alienum eijciemus. Si uero circa aliquam tunicam, aut uasculum, caro concreuerit, diuiso scroto & subiectis carni pelliculis, quicquid carnosum est auferimus. At si posterior accretio cum carne concreuerit, circumsitis partibus ablatis, etiam testem unà cum ipsa tollemus. fieri enim non potest ut sine ipsa testis maneat. Cæterum Tofi qui & circa testem, & circa tunicam rubicundam consistunt, ex multo tenisu, & duricia, ac inæqualitate, à carnosa & aquosa hernia discernuntur, Et hi igitur carnosæ herniæ chirurgiam requirunt. *Hernia carnosa* *Tofi circa testem*

De uaricosa & flatuosa hernia. Cap. LXIIII.

VAsa quæ circa testem, aut dartos pelliculas, uaricosa fiunt, Varices simpliciter appellant. Reliqua testem nutrientia si uaricosa facta fuerint, herniam uaricosam affectionem uocant. Signa horum manifesta sunt. Collectio enim tumidior, & obliqua, & aliquantulum racemosa, & testiculi laxatio apparet. Quædam item alia functionum impedimenta, maxime in cursu, & exercitijs ac profectionibus. Chirurgiam autem facimus sic. Post commodam locationem, cōtrectato scroto, neruum à quo testis pendet, ad infernam partem detrudemus. Est autem cognitu facilis, & tenuior uasis, & solidior ac renitens, ut qui fortis sit & ualidus. Sed & æger dolet, ad ipsius compressionem, insuperq; ad colem situs est. Vasa uero per digitos tum nostros, tum ministri, in scroto apprehendimus, & fortiter distentis obliquam *Varices* *Hernia uaricosa*

 scalpel-

scalpelli autem contra ipsas uenas cuti inducimus. Deinde infixis hamulis,
ubi subiectas cuti partes excoriauimus, uasaq; denudauimus uelut in uaso A
rum exsectione, & arteriarum dilatatione dicebamus, acum duplex filum
habentem transfigimus, & secta fili ansa, uasa tum circa primam ipsorum ua-
ricationem, tum circa infernam extremitatem, illaqueamus, sectione per
medium in directum facta. Et collecto sanguine euacuato, suppuratorio du-
ctu ipsos curabimus, quo laqueorum uincula unà cum uasis sua sponte exci
dant. At uero Leonides, si quidem aliqua testem nutrientia uasa uaricosa fa
cta fuerint, ita faciendum esse dicit. Si uero omnia, cum ipsis etiam testem
Hernia flatuosa euellendum esse, ut ne uasis nutrientibus priuatus reficcetur. Cæterum fla-
tuosam herniam, quæ in genere arteriæ dilatatio est, Leonides penitus chi-
rurgia aggredi recusat, ob præsens eruptionis sanguinis periculum, qui nul
lo modo sisti potest. Recentiores uero, quum duplex sit ipsius origo, alte-
ra à quatuor uasis testem alentibus exoriens, altera ab arterijs in pellicu-
lis dartis dictis ac scroto, hanc quidem reijciunt, priorem uero chirurgia
tractant. Discernimus autem ipsas, ex eo quod ea quæ ab arterijs oritur,
facile ad digitorum compressionem euanescit: quæ uero à testem nutrienti-
bus uasis, aut omnino non, aut cum multa cautione. Chirurgiam ue-
ro adhibemus uelut in hernia uaricosa dictum est, singulis uenis exceptis
ac filo obligatis.

De Intestini Hernia. Cap. LXV.

Hernia intestini INtestini hernia est prolapsio intestini in scrotum. Fit aut propter ruptio-
nem peritonæi membranæ, circa inanem laterum locum ruptę: Aut ob e-
iusdem membranæ distentionem. Ambo uero hæc, & ruptio inquum & di
stentio, ex uiolentia aliqua progressa fiunt, uelut est plaga, aut saltus, aut cla
mor. Quæ uero ob distentionem fit, priuatim etiam propter resolutio-
nem, & ob alias corporis debilitates oritur. Signa communia utrisq; cōspi-
cuus circa testem tumor: & quod in exercitijs ac coloribus, et spiritus deten B
tione, alijsq; incommoditatibus ipse seipso maior fit tumor: & quod dum di
gitis impressis notæ fiunt, tardè quidem dum comprimitur recurrit, cito ue
ro rursus relabitur: & intestinum in figura corporū supina, supernè in suo
loco manet, donec rursus erecti consistant. Sed & stercoris in scrotum exce
ptio, sœpe periculum ipsis inducit. Dolore enim ex eo infestantur, quan-
doque etiam ad compressionem rugitum sentiunt. At uero peculiaria signa
eorum qui ob distentionem affecti sunt, habentur hęc: quòd non aceruatim
sed particulatim, temporis progressu, & ob quaslibet causas quandoque
delapsio fit: & tumor æqualis ac profundus apparet, intestino delapso cir-
cum membranam constricto. Eorum uero qui ob ruptionem affecti sunt, si-
gna habentur hæc: quod aceruatim ab initio fit prolapsio, & ob firmas so-
lum causas: & tumor ingens inæqualis, & in superficie statim ad cutē appa
Omenti Hernia ret, eo quod extra membranam intestina excidunt. Si igitur membrana ru-
pta, omentum solum in scrotum exciderit epiplocele id est omenti hernia
affectio uocatur. Si uero etiam intestinum, enterepiplocele id est omen-
Omenti ac Intestini Hernia ti ac intestini hernia appellatur. Si uero etiam aqua in tunica rubicunda
Aquæ, omēti, ac Intestini Hernia apparuerit, composita ex tribus etiam appellatio imponitur, ut hydrepiplō
enterocele id est aquæ, omenti ac intestini hernia uocetur. Neq; uero has,
neque intestini propter ruptionem herniam chirurgia aggredimur. Ve-
rum solum ob distentionem obortam intestini herniam chirurgia tracta-
mus hoc modo. Post supinam locationem, extentam cum ministro cutem
quæ ad inguen est, transuersum dissecamus, uelut in uasorum exsectione di
ctum est secantes: Quidam uero non transuersim, sed in directum secant:
& hamulo transfixam sectionem expandimus, ea mensura ut testis educen-
dus locum habeat. Deinde rursus hamulis infixis in intima cute tot quot
uulneris magnitudo requirit, hamulo cæco aut scalpello membranas & pin
guedinem excoriantes dissecamus. Denudata autem undiquaq; membra-

A na, immisso indice digito ad posteriores scroti partes inter membranam, & pelliculas dartas appellatas, posteriorem accretionẽ exoluimus: & postea dextra manu extremitatem ipsarum duplicantes ad internas scroti partes, simulq; sinistra manu membranam ad sectionem attrahentes, excipimus testem una cum tunica rubicunda, & unum ex ministris testem extendere iubemus. Nos autem ubi posteriorem accretionem perfecte exoluerimus, digitis inuestigabimus num aliqua intestini inuolutio in rubicunda tunica sit comprehensa, atq; hanc deorsum ad uentrem detrudemus. Deinde accepta acu magna quę filum alias per se decuplum, tunc duplicatum habeat, ipsam ad extremitatem membranæ, ad ipsam sectionem in medio transligimus, sectaq; ansa quatuor principia facimus, atq; his ex utraq; parte uicissim iuxta chiasmum id est literæ græcæ χ. figuram implicatis, membranam uehementer constringimus, & rursus obuolutis principijs generose constringimus, ut nullum ex nutrientibus uasis, alimentum suppeditare possit, ut ne hinc inflammatio oboriatur: & alterum magis extrinsecus uincũlũ, minus quàm duorũ digitorũ spacio à priore distans inijcimus. At post hæc uincula eam membranæ partem, quã ad digiti magnitudinem reliquimus, totam circum circa resecamus, auferentes uidelicet simul etiam testem. Et rursus secundum subeffluxionem scrotum secantes, & lemniscum transmittentes, & irrigationes ex oleo, & deligationes uelut in hernia aquosa adhibentes, omnia reliqua quemadmodum illic dictum est peragemus. Nouimus autẽ quosdam non ineptos chirurgos, qui post rubicundæ tunicæ exsectionem, cauterijs candentibus extremitatem ipsius inurunt, ob sanguinis eruptionis timorem, uelut uerisimile uidetur. Iidem post chirurgiam statim etiam lauant affectos in solio longo ligneo aquam calidam habente, ad septimum usq; diem, atq; hoc quinquies in diei ac noctis unius spacio faciunt, & præsertim in pueris, & mirifice ipsis succedit, quum & ipsi absque inflammatione maneant loci, & uincula unà cum corporibus cito excidant. Inter- *Chiasmus*

B posito uero inter lotiones tẽpore, prædictas irrigationes adhibẽt. Sed & alius quidã supra relata, etiã pipere trito cũ oleo, spinã ipsorũ eo tempore confricabat.

De Inguinis Hernia. Cap. LXVI.

HErniam intestini quæ ob distentionẽ fit, inguinis hernia præcedit. Primum enim quum distenditur peritonęi membrana, laxatur intestinum, interimq; ad inguen secedit, & inguinis herniam facit: quã uetustiores hoc modo chirurgia aggrediuntur. Post factam sectionem transuersim trium digitorum longitudine circa extumescentem inguinis partem, & post exemptas pelliculas ac pinguedinẽ, circa mediũ mẽbranæ denudatæ, qua parte fastigiatur, specilli caput adhibeatur. Ita enim intestina in profundũ detruduntur. Eminẽtes igitur mẽbranæ partes, ab utroq; capitis specilli latere, suturis inter se cõiungemus, deinde specilli caput extrahemus, neq; mẽbranã resecantes, neq; testem eijciẽtes, neq; quicquã aliud, sed ductu cruentis uulneribus destinato curantes. Quandoquidẽ uero iunioribus ustio magis probatur, merito etiam hanc trademus. Homo itaq; post moderatum motũ uiolentius tussiat, ac intendatur cum spiritus retentione. Tumore uero circa inguen apparente, atramẽto scriptorio aut collyrio urẽdus locus circũscribatur ad triangularẽ figurã, ita ut sursum ad inguinis situm transuersa linea locetur: sed & nota in mediũ trianguli inijciatur. Reclinato aũt ægroto, igne candefacti cauteres in mediã notã immittãtur, primũ clauati, deinde in latera trianguli, gammati: & tertio Lateratis aut lenticulatis totus triangulus exequetur, ministro per totam ustionem panniculo saniem detergente: atq; ita in profundum ustio fiat, donec in his qui moderatum habitum habent, pinguedo attingatur. Neq; enim in his qui macilenti sunt notam hanc obseruabimus, ob siccitatem, ut ne fallamur, & membranam inuramus: Neq; in crassioribus ac pinguioribus, in quibus etiam ante sufficientem ustionẽ pinguedo apparet. Imò potius ex artificiosa coniectura moderatam mensu-

Hernia inguinis

Cauteriorũ uariæ figuræ

ram comperiemus. Post ustionē uero salem cum porro tritum crustæ inijcie-
Decussata deli gatio inguina lis mus, & inguinali decussata deligatione utemur. Sequentibus autem dieb.
crustam detrahentibus medicamentis utemur, quale est lenticula cum mel-
le, & similia ad perfectam usque curationem.

De scroti laxatione. Cap. LXVII.

Scroti laxatio

Rhacosis QVum scroti cutis laxatur, absq; his corporibus quæ intra ipsum sunt, Rhacosis appellata affectio fit, maxime indecora. Leonides igitur supi no reclinato homine, superfluam cutem per scalpellum, contra subiectam ta bulam, aut durum aliquod corium siue corpus, resecabat, & suturis labia cōmittebat. At uero Antylus suturis tribus aut quatuor superflua cute per tusa, forfice acuta, aut scalpello, id quod ultra suturas extabat, resecabat, & per suturas munitione facta, cruentorum uulnerum ductu percurabat.

De castratione. Cap. LXVIII.

Castratio Medicinæ scopus QVum nostra ars scopum habeat, ut corpora à statu præter naturam, ad naturalem reducat, castratio contrarium eius profitetur. Verum quan doquidem sæpe etiam inuiti ab aliquibus præeminentibus ad castrationem faciendam cogimur, breui quadam summa aggressionis modum referemus. Est autem hic duplex, alter per collisionem, alter per exsectionem. Modus per collisionem ita absoluitur. Infantes adhuc pueri in peluim aquæ calidæ collocantur. Deinde ubi laxata fuerint in ipsa pelui corpuscula, testiculi di gitis colliduntur, donec euanescant, & dissoluti non amplius cōpacti ad ta ctum occurrant. At per exsectionem modus huiusmodi est. Supinus in scā num reclinetur castrandus, & per sinistræ manus digitos scrotum unà cum testibus comprimatur, & ubi rectū situm habuerit, duabus sectionibus per scalpellum in directum secetur, ita ut ad singulos testes una fiat. Vbi uero prosilierint testes, excorientur ac excindantur, tenuissima solum uasorum naturalium continuitate relicta. Hic modus præfertur illi qui fit per collisio nem. Nam quibus collisi sunt testes, quandoq; coitum appetunt, parte qua dam testiculorum, ueluti uerisimile est, in collisione remanente.

De hermaphroditis. LXIX.

Hermaphroditi AFfectio Hermaphroditorum per compositam uocem, ab Herma & Aphrodyte, id est, Mercurio & uenere nominata est, utriq; generi ualde indecora. Quum enim quatuor sint ipsius differentiæ secundum Leonidē, Tres quidem in uiris cōsistunt, una uero in fœminis. Nam in uiris quando que circa interfœmineum, quandoq; circa medium scrotum, muliebris pu dendi pilosi situs apparet. Supra hæc uero tertia est in qua ueluti per puden dum, per scrotum urinæ effunduntur. At in fœminis supra pudendum iux ta pubem sæpe uirilis pudendi situs reperitur, tribus corporibus extātibus, uno ueluti cole, duobus quasi testibus. Tertia igitur in uiris, in qua urina per scrotum excernitur, incurabilis est. Reliquæ uero tres curātur, si super fluæ partes auferantur, & uelut ulcerum curatio fiat.

De nymphæ ac caudæ præsectione. Cap. LXX.

Nymphæ præ sectio QVibusdam ingenti magnitudine est Nympha, ita ut indecora turpitu dine occurrat, & quemadmodum aliqui narrant, aliquæ per hanc par tem etiam arrigunt ueluti uiri, & ad coitum concitantur. Quapropter supi na locata muliere, quod superfluum est in Nympha, id uolsella apprehen sum scalpello resecamus, uitantes ut ne ex profundo ipsam excidamus, ne Rhyadica, id est fluida affectio, ex hoc sequatur. Sed & caudam, quæ carno sa ab uteri osculo excretio est, & muliebre pudendum replet, aliquando ue ro etiam ad externas partes instar caudæ prominet, similiter ut nympham
Caudæ in fœminis præsectio resecare oportet.

De Thymis, Condylomatibus, & Hemorrhoidibus, in muliebribus locis. Caput LXXI.

Thymi THymus eminentia quædam est aliquando rubicunda, quandoque alba, plerumque sine dolore, Thymi herbæ corymbis siue cacuminibus simi lis

A lis. Condylomata uero rugosæ extuberantiæ sunt: Quemadmodum hæmorrhoides similes illis sunt quæ in ano fiunt, quæ aliquando etiam sanguinem fundunt. Omnes itaque eiusmodi eminentias, in fœminis sub conspectum uenientes, & denudatas, uolsella apprehēsas semispathulæ acie excidimus, & galla trita, aut alumine scisso insperso, ad eas utimur. Maiores enim Chirurgi obligationem per fila in his non admittunt. Condylomata Hemorrhoides

De non perforatis, & de phimo. Cap. LXXII.

MVlieres quædam genitales partes non perforatas habent, quandoque ex natura, quandoque incremēto postea facto, morbo aliquo prægresso. Et hoc aliquando in profundo, aliquando in pudendi alis, aut in interm ediis locis, & aut ex concretione, aut propter obturationem. Quod uero obturat, aut caro est, aut membrana. Impedimentum autem multum inducit hæc affectio, partim in coitu, partim in conceptione, aut etiam partu. Quandoque etiam in menstrua purgatione, si sanè id quod obturat, siue caro, siue membrana sit, penitus obstruat. Nam in aliquibus id in medio perforatū est. Causa itaque inuenta, aut si in promptu exposita est, aut etiam per instrumenti exploratorij immissionem si concretio solum fuerit, rectâ sectione per scalpellum fistulis secandis destinatum hanc exoluemus. Si uero obturatio, hamulis infixis distentum corpus illud obturans, siue membrana siue caro fuerit eodem scalpello dissecamus: & sedata sanguinis eruptione, siccantibus citra mordacitatem medicamentis, & postea cicatricē inducentibus utimur, priapi forma linamentum, cicatricem inducente pharmaco illitum subijcientes, in quibus præsertim non ualdè in profundo chirurgia facta est, quo partes rursus non cōcrescant. Porrò phimos quoque in uteri osculo consistēs obturamentum, eodem modo per chirurgiam tractatur. Genitales partes non perforatæ Phimos

De uteri abscessu. Cap. LXXIII.

B SI abscessus circa uteri osculum consistat, qui chirurgiæ subijci possit, nō promptè ad excisionem festinandum est, sed absoluta iam affectione, & plurimum aucta inflammatione, & humidis corpusculis incumbentibus ac tenuatis, eo quod principalis pars sit uterus. At uero in aggressione locetur fœmina supina in sella, ita ut crura ad summum uentrem contracta habeat, fœmora uero inter se disparata. Subijciatur autem ulnæ ipsius ad poplites, & uinculis idoneis ad ceruicem deligentur. Qui uero chirurgiam exercet, ex dextris partibus sedens, instrumēto exploratorio dioptra appellato, pro ætate conuenienti exploret, & per specillum muliebris sinus profunditatē metiatur, ne si longior sit dioptræ fistula, uterum comprimi contingat. Et si longior sinu reperta fuerit dioptræ fistula, lintea cōplicata pudendi alis imponantur, quo super ipsa locetur dioptra. Oportet autem fistulam immittere ut cochleam ad supernam partem habeat, & dioptra quidem ab operante teneatur, cochlea uero per ministrum obtorqueatur, quo fistulæ laminis diductis sinus disparentur. Vbi uero occurrerit abscessus, si mollis ac tenuis sit, id quod digiti cōtactu cognosces, spatbula aut acicula, in uertice diuidatur, & post puris excretionē lemniscus mollissimus oleo rosaceo imbutus plagæ inferatur, aut potius extra plagam, in sinum muliebrem, citra protrusionem. Forinsecus autem ad alas, & in pectinem ac lumbos, lanæ succidæ aut puræ oleo imbutæ imponātur. Tertia die aquæ ac oleo calefactis insideat, aut maluæ decocto, factaque detersione lemniscus leniter in plagam indatur illitus tetrapharmaco per se, aut cum cocto melle. Sit autem dilutum tetrapharmacum ex butyro aut rosaceo. Cataplasmatisque externæ partes integantur, donec inflammatio sedetur, & purum ulcus fiat. Si uero difficulter repurgetur, per auricularem clysterem, cum iridis aut aristolochiæ decocto, aut melle eluatur, & per emplastrum ex cadmia uino dilutum, & linamentis exceptum cicatrix inducatur. At si intra uteri osculum abscessus fuerit, chirurgia utetur. Vteri abscessus Dioptra

De fœca-

De fœtus immortui extractione, ac exsectione. Cap. LXXIIII.

A Qvum difficulter parientium curationem libro tertio tradiderimus, si nõ ad illam partus corrigatur, ad chirurgiam meritò deuenimus, signis prius collectis, an superstes euasura sit mulier, aut non. Et si euasura est, tunc chirurgiã aggrediemur: Sin minus, eam uitabimus. Quæ igitur perniciose affectæ sunt, lethargico modo in somnum deferuntur, ac resoluuntur, & ægræ excitantur, atq; si excitatæ fuerint per uociferationes debiliter respondentes, rursus in somnũ deferuntur. Quædam uero etiam conuulsorio modo contrahuntur, aut neruis distenduntur, aut alimentum non sentiũt. Pulsus autem uehementer intumescens deprehenditur, uerum obscurus ac debilis. At quæ euasuræ sunt, nihil tale patiuntur. Reclinata igitur in lecto supina muliere, & magis ut deorsum uergat, mulieres aut ministræ quædam crura eleuata utrinq; teneant. Si hæ non adsint, per uincula quædam thoracem mulieris ad lectum deligato, ut ne dum attrahitur fœtus, corpus ipsius sequens, tractus uigorẽ exoluat. Deinde pudendi alis per ministrum diductis, sinistram manum cõtractam, cum robustis ac constrictis digitis pingue factam, in uteri osculum demittito, ac ipsum dilatato, & infuso in ipsum oleo laxius reddito, & ubi commode uncus infigi possit quærito. Commodi autem sunt loci ad uncum infigendum, in his qui in caput deferũtur, oculi, occiput, os ad palatum, mentum, clauiculæ, & circa costas ac præcordia loci. In his uero qui in pedes deferuntur, ossa supra pubem, & costarum intermedia spacia, & rursus clauiculæ. Et postea detentum dextra manu uncum, & flexuram ipsius inter digitos occultatam, per sinistram manum leniter inducito, & in quodam ex relatis locis infigito, usq; ad inanem locum, & alterum huic oppositum, quo ęqualis, & non ad alteram partem uergens attractio fiat. Deinde æqualiter trahito, non solum in directum, sed etiam in latera, uelut in dentium extractione fieri solet, & interim tensionem ne remittito. Postea immisso indice digito pinguefacto, aut etiam pluribus, inter uteri osculum & impactum corpus, uelut si excories, in orbem circumducito. B Sequente uero pro ratione unco, ipsum in ulteriores partes trãsferre oportebit, atq; sic facere, usq; ad perfectam fœtus extractionem. At si manus fœtus præmissa sit, & impacta tetrudi non possit, obuoluto panniculo ut ne ob lubricitatem elabatur, aliquantulum attrahere illam oportet, & ubi prodierit totam de humero resecare. Idem etiam faciendũ est, si ambæ manus promineant. Similiter etiam pedes prominentes, reliquo corpore non subsequẽte, ab inguinibus resecare oportet, & postea conari ut reliquum corpus dirigatur. Si uero ex eo quod maius est caput, obstructio fiat, si quidem hydrocephalus est fœtus, spathula polypis destinata, aut acicula, aut aculeato cultello inter digitos occultato, caluaria diuidatur, quo aqua euacuata considat. Si uero naturaliter ita amplum caput habet, diuisam similiter caluariam, per forcipem dentibus aut ossibus extrahendis commodam contundimus, & si supereminent ossa, ipsa eximimus. At uero si protracto capite, circa thoracem obstructio fiat, eodem instrumento loci circa clauiculas usq; ad inanem locum diuidantur, quo humore euacuato thorax concidat. Si uero non concidat, facta dissectione clauiculas ipsas auferre oportet. Tunc enim thorax concidet. Si uero imus uenter inflatus fuerit, mortuo fœtu, aut hydrope affecto, eadem ratione humor euacuetur unà cum ipsis intestinis. In his uero qui in pedes deferũtur, inclinatio facile ad osculum uteri dirigitur. Quod si circa thoracem aut abdomen impactus fœtus hæreat, panniculo obuoluto attrahatur, & eodem modo facta diuisione, ea quæ continentur euacuentur. At si reliquis ablatis caput recurrens detineatur, sinistram manum immittito, & si quidem disparatum fuerit uteri osculum, manum in profundum demittito, & repertum caput digitis ad osculum deuoluito, deinde unco uno atq; altero infixo attrahito. Si uero conclusum sit uteri osculum ob inflammationem, nulla uis inferatur, sed pinguibus ac largis infusis utendum

Fœtus extractio (margin, beside "leo laxius reddito")

Fœtus exsectio (margin, beside "tebit, atq; sic facere")

Hydrocephalus fœtus (margin, beside "drocephalus est fœtus")

A utendum est, insessibus item & irrigationibus ac cataplasmatis, quo disparato osculo educatur uelut dictum est. Porrò qui in obliquum prodeunt fœtus, si quidē dirigantur, prædictis modis utendum est. Sin minus, totus fœtus intus dissecetur, & particulatim educatur, diligenti animaduersione habita, ne qua particula intus latens relinquatur. Post chirurgiam, curationibus ad uteri inflammationes utendum est. Si uero etiam sanguinis eruptio fiat, etiam huius curationem habes.

De secunda relicta. Cap. LXXV.

Secūda relicta

SOepenumero post fœtus extractionem, secunda in utero detinetur. Patente igitur uteri osculo, & ipsa secunda ab utero exoluta, ac circa partē aliquam uteri in sphæræ modum conglobata, facilima est eductio. Manum enim sinistram calidam ac pinguefactam in profundum immittere oportet, & occurrentem secundā eijcere. Si uero fundo uteri adhæserit, manus quidem similiter immittatur, comprehensa uero secunda tendatur, neq; in directum, ob uteri prolapsus timorem, neq; cum uiolentia uehementi, sed leniter primum ad latera hac illac trāsferatur, deinde aliquantò magis intentè. Ita enim obedit, & accretio exoluitur. At si conclusum repertum fuerit uteri osculum, relatis curationibus ad hoc utendum est. Quòd si uires non debiles fuerint, etiam sternutatorijs utatur, & suffitibus in olla ex aromatibus. Et si hiauerit uteri osculum, immissa manu conandum ut extrahatur, ueluti dictum est. Si uero neq; sic educatur, non oportet perturbari. Nam post paucos dies, putrefacta, & in saniem dissoluta excidit. Cæterum quia fœtore caput obturat, & stomachum euertit, suffimenta conuenientia ad hoc requiruntur: probantur autem cardamomum, & ficus aridæ.

Secunda putrefacta

De coxendicum ustione. Cap. LXXVI.

Coxendicum ustio

QVemadmodum humerus, ita etiam coxa, ob humoris copiam, quibusdam emota, ustionem exigit. Sic igitur Hippocrates ait. Quibuscunq;
B ex diuturno coxendicum morbo uexatis, coxa excidit, his crus tabescit, & claudicant, si non usti fuerint. Oportet itaque etiam hic iuxta illum maxime locum urere, ubi articulus excidit. Sic enim redundans humor resiccari poterit, & locus ex cicatrice densatus, non amplius os excipiet. Quapropter etiam ad multam profunditatem, ustionē hic facere oportet. Iuniores porrò tres crustas urendo inducunt, unam retro iuxta cauitatem clunis. Alteram ab externa parte paululum supra genu. Tertiam paululum supra externum talum, iuxta carnosiorem partem.

De fistulis & fauis. Cap. LXXVII.

Fistula quid sit

QVum locus hic postulet, ut de fistulis sedis agamus, non malum fuerit prius de fistulis in uniuersum tractare. Fistula itaq; sinus est callosus, doloris aliquantulum exors, in plurimis partibus consistens. Fit autem plerunq; ex abscessibus non probe curatis. Callus autem solida quædam, & alba, & humoris exors caro est, quæ dolorem non sentit, quum neq; uena, neque neruus, ad ipsam pertingat. Et Sinus aliquando quidem siccus est, aliquando uero humectus. Et humor ipse quandoq; indesinenter fertur, quandoq; quibusdam temporibus remittit, dum & obturatur osculum, & rursus aperitur. Et quandoq; ad os fistulæ terminantur, quandoq; ad neruum, aut aliam quandam principem partem. Et aut in directum tendunt, aut obliquæ sunt, & aut unum osculū, aut plura habent. Quæ igitur ad arterias magnas, aut neruos, aut tendines memorabiles, aut succingentem costas membranam, aut ad aliquam principem partem pertingūt, his aut omnino non, aut cum multa cautione artificiosa, chirurgia adhibenda est. Reliquas uero hoc modo aggrediemur. Explorabimus primum, si quidem in directum tendit fistula, per scalpellum: si uero obliqua est, per biceps specillum quod facile flecti potest. Talia autem sunt stannea, & tenuissima ex ære facta. In quibus autem duo uel plura oscula sunt, ita ut per specillum explorari nō possint, his infuso per unum osculum in sinum immisso, ex insuli ad reliqua o-

Callus quid sit

Sinus

scula

scula transitu comperiemus, an una multa oscula habens sit fistula, aut plures. Et facta iam exploratione, siquidem in superficie fuerit sinus, & angustus, immisso specillo hunc expandemus, & scalpello callum iuxta propriã figuram auferemus, aut unguibus, aut acie scalpelli deradentes. Si uero etiam latitudinem habeat, superflua corpuscula auferantur. At si non in superficie sit, sed per profundum in directum procedit, quatenus id fieri potest in profundo ipso dissecto, totum callum circũcirca auferimus. Et si quid de ipso relinquatur, pharmaco ustorio hoc consumimus. Si uero multum id sit, & pharmaco non cedat, cauterijs ferreis aduremus. Quod si in os desinat fistula, & sit hoc illæsum, solum ipsum rademus. Sin carie, aut alio quodã modo corruptum fuerit, totum id quod affectum est per opposita scalpra excisoria amputabimus, facta prius si opus fuerit per terebram perforatione, siue ad secundam laminam usq; solummodo, siue usq; ad medullam fuerit affectum. Si uero etiam os superemineat, uelut caulis per transuersum fractum, ipsum resecabimus. Acceptis itaq; duobus locis, alterius medietatem præminenti ossi subijcimus, ipsumq; per ministrum sursum extendimus, alterius autem crassioris, aut etiam ex lana facti, similiter medietatem carni quæ sub osse est adaptamus, & initijs infernè præhensis, ita per ipsum locum carnem deorsum trahi iubemus, ut ne serræ dentibus caro dilanietur. Atq; hoc modo nos desectionẽ facimus. At uero ubi princeps aliqua pars subiacet, uelut membrana succingens, aut medulla spinæ dorsi, aut talis quædam, dũ excidimus aut desecamus os, membranæ custodem laminam subijcimus. Quòd si os non fuerit affectum, sed totum circum circa carne denudatum, eodem modo serra resecandum est. Fieri enim non potest ut ossa quæ circũ circa flatum excipiũt, carne inducantur. Similiter autem si extremitas ossis prope articulum affecta fuerit, resecare ipsam oportet. Et si totum sæpe os, uelut cubitus, aut radius, aut tibia, aut tale quoddam corruptum fuerit, totũ amputandum est. Cæterum fœmoris caput, aut coxam, aut spinæ dorsi uerticulum affectum aggredi uitabimus, propter imminens ex adiacẽtibus arterijs periculum. Hanc igitur rationem ita in singulis sequi oportet, ut ubique & situm, & uicinitatem, & cognationem affectarum partium consideremus. Itemq; morbi magnitudinem, & ægroti uirium robur. Sed & fauus, qui sinus est fistulosus mellea humiditate fluens, fistularum & aliorum sinuum chirurgiæ ac curationi subijciatur.

a (right margin, beside line 1)

b (right margin, beside "amputandum est. Cæterum fœmoris caput…")

Fauus (left margin, beside "remus. Itemq; morbi magnitudinem…")

De fistulis in ano. Cap. LXXVIII.

Fistulæ ani (left margin)

Fistulæ in sede explorantur, quæ quidem occultæ sunt ex eo quòd non apparente osculo dolor uexat, & purulenta humiditas per sedem profunditur, plurimis etiam abscessus signa prægressa sunt. Conspicuæ uero ex specilli aut pili suilli immissione. In profundum enim ad inanem usque locum, instrumentum descendit, & indici digito in sedem immisso occurrit, perforata nimirum fistula ad internas partes. Verum in non perforatis, non sine medio instrumentum digito occurrit, sed per medium corpus id quod non perforatum mansit. Obliquæ autem & labyrintho similes fistulæ cognoscuntur ex eo quod instrumẽtum parum procedit, pus autem pro ratione ad proportionem multum effluit. Quę uero prope intestinum sunt, eas cognoscimus ex eo quòd aliquando lumbrici & stercus per osculum feruntur. Atq; in omnibus fermè callus quidam circa osculum apparet. Incurabilis porrò est fistula quæ uesicæ collum perforauit, aut ad fœmoris articulum cõsistit, aut ad ipsum rectum intestinum processit. Aegre uero curatur quæ osculum non habet, & occulta, & in os desinens, & multifida. Reliquę omnino facile curantur. Manum itaq; ipsis ita admouemus. Aegro supino locato, & crura sursum habente, ita ut fœmora ad uentrẽ uergant, quemadmodum in his quibus infusum per clysterem in aluum immitti solet, si in superficie fistulę terminus occurrat, immisso scalpello aut auriculario specillo per osculum, simplici sectione cutem incumbentem resecamus. Si uero

Clysterem admittentium situs supinus (left margin, beside "modum in his quibus infusum per clysterem…")

in pro-

A in profundum ſedis fiſtulæ finis deſinat, immiſſo per oſculum ſpecillo, ſi quidem perforatam inuenerimus, alterius manus quæ affecto cluni oppoſita eſt, indice digito in anum immiſſo, ſpecilli caput apprehendimus, & inflexum ipſum foras educimus, & corpuſcula ſpecillo incumbentia ſimplici ſectione exoluimus. At ſi nondũ perforata fiſtula reperiatur, ſed ſolum in profundum ſedis finiat, & explorantibus nobis per indicem digitum, ſpecilli extremum occurrat, ſquamoſa quodam ac membranoſo corpuſculo interpoſito, tunc hoc per ſpecilli caput uiolentius perforabimus, & educto per ſedem ſpecillo, rurſus incumbentia ipſi corpora exoluemus, uelut antea diximus: aut fundo ſinus ad ſedem per falcem fiſtulis ſecandis commodam perforato, ipſoq́ instrumento per ſedem tranſmiſſo, hinc totum id quod in medio eſt, falcis acie reſecabimus, & poſt ſectionem, corpuſcula circũſita uolſella aut forcipe uuularia apprehenſa amputamus. Sunt autem omnino calli ea corpuſcula: ita ut ubiq; muſculum adſtrictorium, ſphincterem appellatum uitemus. Quidã enim minus artificioſe facta in profundo ſectione, uulnerauerunt illum, atq; hinc inuoluntaria ſtercoris excretio homini accidit. Quòd ſi quidam præ timore chirurgiã recuſent, hippocratica lini ac fili deligatione utendum eſt. Iubet enim Hippocrates linum quincuplum crudum perforato aut bicipiti ſpecillo inſertum, per fiſtulam traijcere, & initia lini connectere, & quotidie adſtringere, donec totum id corpus quod in medio duorum oſculorum ſitum eſt, diſſectum ſit, ac linum reſpuat. Si uero exolutio protrahatur, puluillus ſiccus pſari nomine, aut eiuſmodi quiſpiam lino inſpergatur, atq; ita traijciatur. Quidam fiſtulariæ falcis foramini linum inſerunt, & relato modo traijciũt, quod ego minime faciendum eſſe puto. Nã dum chirurgiam uitant ſupra hanc etiam curationis tarditatem incurrunt.

Sphincter muſculus

Cæterum de occultis fiſtulis Leonides hæc dicit. Quum profunda fuerit fiſtula quæ muſculum adſtrictorium perforauit, ſiue ab ano exorſa, ſiue multum progreſſa, in muſculo tamen conſiſtens, poſt relatam explorationem,

Fiſtulæ occultæ

B instrumento ſedem diducente, parua dioptra dico, ſedem uelut muliebrem ſinum diducito. Deinde ubi comparuerit fiſtulæ oſculum, ſpecilli caput per ipſum immittatur, & in profundum propellatur, & ſuper ipſum occurrens, tota fiſtula per ſemiſpathulam aut ſpathulam fiſtulariam diſſecetur. Nos autem quum in eiuſmodi affectionem incidiſſemus, hoc chirurgię modo uti non potuimus, eo quòd fiſtulæ antrum uiſui non occurreret. Erat enim inter anum & muſculum adſtrictorium ad dextram partem ſitum. & inſtrumentum diductorium actioni magis tenebras offundebat. Poſtquàm autem per digitos facta diductione, rima quædam comparuiſſet, quæ iuxta unam quandam ani rugam, uelut defluxio fiſtulæ eſſet: pus enim per ipſam effluebat: conſtituimus ſanè per hanc ſpecilli caput ad fiſtulam tranſmittere, uelut qui ad hanc ab illa deduceremur. Deinde dextræ manus indice ad muſculum adſtrictorium immiſſo, ubi inueniſſemus corpus quoddam tenue inter digitum ac instrumentum, impulſo uehementius ad digitum ſpecillo, fiſtulæ fundum ſurſum uerſum perforauimus, & ſpecilli capite per digitum foras tranſmiſſo, totum corpus inter duo fiſtulæ oſcula ſitum, inter id uidelicet quod ab initio ad antrum comparebat, & hoc quod iam à nobis factum erat, ſcalpello reſecantes, ſpecillum ſolutum eduximus.

Dioptra parua

De hæmorrhoidibus ani. Cap. LXXIX.

QVum hæmorrhoides ex eo quod euacuatur ſe nobis manifeſtent, ante actionis aggreſſionem, plurimo per clyſterẽ infuſo utemur, quo ſimul & ſuperflua ex inteſtino euacuemus, ſimulq́; ſedem irritemus, ut paratior fiat ad euerſionem, & ani exitũ. Locato igitur ſupino ægroto ad ſplendidam lucem, ſi quidem conſtrictione uti uoluerimus, filũ lini quincuplũ labijs uenarum circũdabimus, & ſingulas hæmorrhoidas cũ hoc funiculo conſtringemus, una relicta ad ſuperflui ſanguinis eductionẽ. Nam & Hyppocrates hoc præcipit. Poſt adſtrictionem uero, linteo complicato ex oleo madente,

Hæmorrhoides ani

& deligatione sedi idonea usi, ægrum quiescere iubebimus, oleo tepido & aqua mulsa uentrem eurantes. Deinde cataplasmare ex micis panis ac croco utentes, & post hæmorrhoidum clapsum, uino cicatricem inducentes. A
Leonides autem fili deligatione non utitur, sed uuularia forcipe diu detentas scalpello excindit. Post chirurgiam manna thuris & amylo cum chalcitide, aut emplastro ex spongia usta cum pice utēdum est: Sed et pastillo faustino ad perfectam adustionem quidam usi sunt. Alij cauitates uuularij cauteris ustorio medicamento explent, & quēadmodū uuā ita etiā hęmorrhoidas urunt.

De condylomatis, extuberantijs, ac rimis in ano. Cap. LXXX.

Condylomata ani

COndyloma in ano, solum loco differt ab eo quod in muliebribus pudēdis est. Est enim etiam ipsum rugosa sedis eminētia, inflammatione aut rima prægressa. Primum igitur eminētia appellatur. Vbi uero callescit, condyloma. Oporter itaq; ueluti illa, ita & hæc uolsella præhensa excindere, & crustam inducentibus curare. At uero Rimas præduro maxime stercore orientes, & eo quod callosæ fiunt, [illegible] tardius recipientes, renouabimus aut unguibus, aut scalpello ipsas lancinantes, & commode ad cicatricem perducemus.

Rimæ sedis

De Ano non perforato. Cap. LXXXI.

Anus non perforatus

PVeris recens natis anus ex natura aliquando imperforatus reperitur, eo quod membrana est obstructa. Si igitur hoc fieri poterit, ipsis digitis mēbrana distringatur: Sin minus, scalpelli acie illa excisa, uino curabimus. Quandoquidem uero etiam perfectis sæpe propter ulcus non probe curatum, concretio in ano contingit, etiam hanc instrumento commodo distringere oporter, & curationem accommodatam facere, fistula plumbea aut cuneolo quodam in anum indito, usq; ad perfectam curationem, ut ne rursus concrescat. Est aūt cuneolus is aliquo ad cicatricē perducente medicamēto illinendus.

De Varicum sectione. Cap. LXXXII.

Varicū sectio

VArix uenæ dilatatio est, quandoq; in temporibus, quandoq; iuxta imi uentris partem sub umbilico. Aliquādo etiam circa testes. Maxime uero circa crura. Generationem autem ex materia atrabiliosiore omnino habet. Eorum igitur qui in testibus cōsistunt chirurgiam iam tradidimus, ubi de hernia uaricosa egimus. Sed & eos qui in crure sunt, similiter aggrediemur, in internis fœmoris partibus aggressionem facientes, ubi etiam exortus ipsorum fermè in totum reperitur. Nam inferius in plures ramos fissi, magis difficilem aggressionem exhibēt. Lotum igitur hominem, laqueo in superna fœmoris parte circumdato, ambulare iubemus, repletam autem uenam atramento scriptorio aut collyrio, secundum situm ipsius, ad triū aut paulò amplius digitorum longitudinem notamus: et reclinato extentis cruribus homine, alterū laqueū supra genu circūdamus, & eleuata in fastigium uena, scalpello in loco quem notauimus secamus, nō altius quàm per cutē, ut ne uenam diuidamus: & labijs sectionis per hamulos distentis, & membranis per incurua scalpella ad herniam aquosam parata excoriatis, nudataq; uena, & undiquaq; expassa, fœmoris uincula soluimus: & eleuato per cæcum hamulum uase, acum duplex filum trahentem subijcimus, sinumq; fili dissecamus & diuisa in medio uena per uenæ sectorium scalpellum, sanguinis quantum opus est euacuamus. Deinde uno filo superiorem uasis partem constringimus, & crure in directū extento, manuū expressione sanguinē qui in crure est euacuamus. Et postea rursus infernè uas constringimus, aut partē uenæ inter uincula interpositā præsectā auferimus, aut etiā manere permittimus, donec sua sponte unà cum uinculis excidat. Et linamentis siccis inditis, & splenio uino ac oleo imbuto imposito deligamus, ac ductu suppuratorio medicamentorum quæ linamentis excipiūtur curamus. Nec me clam est ueteres quosdam uinculis usos non esse, sed quidam statim nudarum uas excindunt, quidam ex profundo extentū ipsum, cum uiolentia extrahunt ac abrumpunt. Verū optimus est relatus chirurgiæ modus, om-

niumq;

niűq; securissimus. Quin in imo uentre consistentes uarices similiter tractamus. Itéq; eos qui in tẽporibus cõsistũt, uelut in uasorũ exsectione dictũ est.

De dracunculis. Cap. LXXXIII.

TRactationem de dracunculis, ut qui maxime per medicamenta tolluntur, libro quatto tradidimus. *Dracunculi*

De extremarum partium præsectione. Cap. LXXXIIII.

EXtremis partibus aliquando patrefactis, uelut manu aut pede, ita ut etiam ipsa ossa corrumpantur, uel ex lacessente externa causa fracta, uel etiam prægressa interna causa putrefacta, atq; sic desectionẽ postulent: ante q̃ hoc fiat, necesse est circũsita ossibus corpora primũ dissecate. Verum quia hoc primum facimus, deinde longiore tempore sectionem per serram adhibemus, & periculum est ne sanguinis eruptio sequatur, recte proinde Leonides non omnia primum corpora dissecat, nisi omnino fuerint putrefacta, sed eã partẽ ubi nõ multas, neq; magnas uenas, aut arterias esse putat, primũ celeriter ad os usq; dissecat. Deinde os quam citissime serra desecat, lineũ panniculũ sectis corpusculis circumdans, ut ne dum trahitur per ipsa serra, dolores inducat: & tunc reliquo resecto, candentes igne cauteres uasis adhibet, & sedata sanguinis eruptione, & linamẽtis inditis, & deligatione commode facta, curatione suppuratoria utitur. *Extremarum partium præsectio*

De pterygijs circa Vngues. Cap. LXXXV.

PTerygiũ carnis circa ungues incrementũ est, partem unguis operiens, in pedis & manus magnis digitis maxime consistens. Verum quæ in pedibus consistũt, ex offensione plerũq; fiunt. In manibus uero ex paronychijs neglectis, inflammatisq; ac in pus transmutatis. Pus enim diutius morã trahens, & radicem unguis erodit, & ipsum unguem corrumpit, & sæpe totum consumit. Plerunq; uero mediam unguis partem ad ipsas aũt radices partẽ quandam illius incorrosam relinquit. Aliquando etiã totã radicẽ illæsam finit. Quãdoq; etiã os corrumpit, & odor grauis oboritur, & digitus in summo dilatatur, & liuidior apparet. His igitur chirurgia adhibenda est, ut omnem reliquã unguis partẽ scalpelli acie præsecemus ac amputemus, deinde præsectã ac ulceratã partem cauterijs aduramus. Est. n. nome, id est ex depascentium ulcerũ genere prerygium, & nõ sistitur hæc, nisi quis adurat, adeò ut si neglecta fuerit, digitum corrumpat. At uero si os & unguis affectione careant, & externus unguis angulus adnatam ipsi carnem subiens ac pungens, inflammationis causa fiat: tunc pungentem unguis partem tenui specillo, aut eiusmodi quopiã subiecto eleuare oportet, & scalpelli acie auferre & id q; supereminet, medicamẽto crustã inducente consumere. Et profectò plurimi hoc modo p chirurgiã curati sunt. Si uero maius fuerit id q; supereminet, prius id scalpello precidi, & postea ipsi medicamẽtũ adhiberi debet. *Pterygia circa ungues* *Nome*

De Vngue contuso. Cap. LXXXVI.

QVandoquidẽ sœpe ex offensionibus unguibus cõtusis, dolores consequuntur, ad chirurgiã nos impellẽtes, Galeni uerba apponere satis fuerit. Sic igitur ait. Contusis unguibus palàm dolorẽ sedãs auxiliũ experti sumus sanguinis euacuationem, quum & pulsationes fiunt, & dolores uehementissimi uexant. Oportet aũt obliquã facere sectionẽ, nõ è directo in profundũ, supernè deorsum, per acutũ scalpellũ, quo ita secta unguis pars, sanguine excreto, uelut operculũ quoddã subiectorũ fiat. Si uero in directũ secueris, ex supernis deorsum, carnis excrescentia cõtinget: nimirum per mediã sectionẽ, subiecta ungui carne aliud corpus producẽte. Atq; hinc rursus dolores corripiũt, quos in paronychijs nominauimus, dum nascẽs caro ab ungue comprimitur. Doloris itaque exortes statim in huiusmodi sectione ægros uidebis. Sequentibus autem diebus licet nobis subsectam unguis partem leniter eleuare, saniemq; unguis exprimere, & rursus subiectæ carni uelut operculum, quemadmodum dixi imponere. Reliqua uero totius digiti curatione mitigatoria ac discussoria uti conducit. *Vnguis contusus*

De clauis, uerrucis, & his quae formicariae uerrucae appellantur. Cap. LXXXVII.

Clauus — CLauus callus est rotundus, albus, claui capiti similis, per omnem corporis partem consistens, maxime in plantis & digitis pedum, dolorem & actionis impedimentum in ambulando inducens. Circum circa igitur scarificatum clauum, & uolsella præhensum, acuto scalpello aut uenæ sectorio instrumento radicitus eximere oportet. Quidam uero ut ne rursus nascatur, cādentib. igneis ustis sunt ferramētis. Formicaria aūt Verruca, eminētia est cutis parua, callosa, rotūda, crassa, in basi inhærens, et si scalpatur, formicarū morsibus similem sensum inducens. In omni quidem etiam ipsa corpore consistens, maxime autem in manibus. Quidam igitur, inter quos est etiam Galenus, duræ pennæ fistula, quales sunt uerum gallorum, & anserū, ac aquilarum, circumscarificandum esse censent, ita ut obtorque aut per uim in profundum, & ex fundo ueruca formicaria tollatur. Alij uero ęnea aut ferrea fistula idem faciunt. Verum iunioribus placuit eam circumscarificare, & uolsella prehensam, scalpello uelut clauos excindere. At neto Verruca, quæ acrochordon græcis appellatur, eminentia est cutis parua, doloris exors, callosa, rotunda ut plurimum, basim autem habet angustam, ut pendere uideatur. Vnde ita appellata fuit, quod summæ chordæ parti similis existat. Extensam igitur eminentiam excidimus. Sin minus, filo saltem aut pilo ipsam deligamus. Noui autem quod & has, & relatas omnes eminentias plerique frigido cautere consumunt.

Formicaria Verruca

Pennarū usus

Verruca Acrochordon

Cauter frigidus

De Telorum extractione. Cap. LXXXVIII.

Telorum extractio — QVod ea pars chirurgiæ quæ tela extrahit, maxime necessaria sit, Poeta Homerus indicauit, dum dixit.

Medici laus

Vnus uir Medicus multis est æquiparandus.

Tela manu excindens, & mitia pharmaca spargens.

Telorū uariæ differentiæ — REcensendæ igitur primum sunt telorum differentiæ. Differunt itaque tela, materia, figura, magnitudine, numero, habitudine, potestate. Materia quidem, eo quod hastilia ipsa aut lignea sunt, aut harundinea: Ipsa uero tela aut ferrea sunt, aut ænea, aut stannea, aut plumbea, aut cornea, aut uitrea, aut ossea, aut harundinea etiam ipsa, aut lignea. Ac tot quidem differentiæ, maxime apud Aegyptios reperiuntur. Figura uero eo quod alia sunt rotūda, alia angulosa, uelut sunt triangularia cuspidata & lanceata appellata, uelut quæ tres cuspides habent, alia aculeata, alia sine aculeis. Et ex aculeatis alia retro uergentes aculeos habent, ut in extractione contra insigantur antrorsum, ut in impulsione idem faciant: alia opposito inter se modo instar fulminum, quo & dum trahuntur, & dum impelluntur, contra infigantur. Quædam uero etiam per cardinem mouentur, & aculeos habēt qui cōtrahuntur, quique in extractione expanduntur, & tali extractionem impediunt. Magnitudine porrò differunt, eo quod alia sunt magna ad trium digitorum longitudinem. Alia parua unius digiti longitudine, quæ sane Micca in Aegypto uocant. Alia inter hæc media. Numero uero, eo quod alia sunt simplicia, alia composita. Tenuia enim quædam ipsis inserunt ferramenta, quæ in teli extractione in profundo delitescentia manent. Habitudine autem differunt, eo quod alia extremam partem acutam hastili infixam habent, alia tubulum habent, cui hastile insitum est. Et alia quidem firmiter adaptata sunt ad hastile, alia neglectius, quo in extractione separentur, et intus maneant. Potestate demum, eo quòd alia sunt medicata, alia non ueneno illita. Atque hæ quidem sunt telorum differentiæ. Verum extractionis ratio à nobis tradatur, tum in his qui in bello sauciati sunt, tum in his qui extra bellum, siue uoluntariè, siue inuoluntariè, ex qualicunque occasione, ex quacunque materia facta fuerint tela. Extractionis igitur telorum ex carne duplex differētia est, altera per attractionē, altera per impulsionem. Nam in quibus leuiter telū infixū est, exemptio per attractionē fit.

Micca tela

Extractio telorum ex carne duplex

Simili-

A Similiter etiam extrahuntur tela, quæ profundum quidem infixa sunt, uerum oppositæ partes si uulnerentur, ex sanguinis eruptione, aut consensu, periculum inducunt. Per impulsionem uero, in quibus et per profundum infixa sunt, & oppositarum partium corpora breuia sunt, & neque neruus, neque os, neque quicquam horum obstat, quo minus sectio fiat. At in osse sauciato, modus qui per attractionem fit adhibetur. Si igitur conspicuum fuerit telum, statim extractionem facimus. Si uero occultum, debet inquit Hippocrates, si hoc fieri potest, uulneratus in ea figura qua erat dum uulneraretur constitui, ac exploratio fieri. Sin minus, iacens saltem ad illam figuram conformetur, atque sic exploratio per specillum fiat.

Extractio telorum ex osse

Etsi quidem in carne fixum est, per manus telum extrahemus, aut per additamentum quod hastile uocant, si non excidit id quod ligneum maxime existit. Si uero excidit, per forcipem dentibus, aut radicibus, aut telis extrahendis destinatam, aut per aliud quoddam commodum instrumentum extractionem faciemus, carnem etiam aliquando præsecantes, si uulnus instrumentum non suscipiat. Quod si in opposita eius partis processerit telum, & fieri non possitut per eam partem extrahatur, per quam infixum est, oppositis diuisis per illa ipsum educemus, aut extrahentes, uelut dictum est, aut etiam per fissuram impellentes, atque hoc aut hastili, aut si id excidit, impulsorii instrumenti immissione, cauendo ut ne neruum, aut tendinem, aut arteriam, aut aliquam necessariam partem diuidamus. Turpe.n.fuerit telum extrahentes grauius telo malum inducere. Etsi quidem telum extremam partem hastili infixam acutam habet, id quod ex specillo immisso cognoscitur, impulsorii instrumenti fœmina immissa ac adaptata, telum propellemus. Si uero tubulum habet, masculo.

Instrumenta masculina & fœminina

At uero si exemptum telum atenas aliquas habere comperiatur, ita ut alia tenuia ferramenta ipsis insetipotuerint, rursus specilli exploratione usi, si illa inuenerimus, eisdem rationibus educemus. Quodsi aculeos oppositos inter se

B habeat telum, & ideò non concedat, locum uicinum incidere oportet, si non necessaria aliqua pars apposita sit, & nudatum telum citra uexationem apprehensum extrahere. Quidam etiam harundinem aculeis ipsis circumponunt, atque sic telum extrahunt, ut ne carnes ab aculeis dilanientur. Et si quidem inflammatio absit à uulnere futuris adhibitis, cruentorum uulnerum curatione utimur. Si uero inflammatum sit, per irrigationes & cataplasmata, ac similia inflammationem curamus. Porrò in telis medicatis, omnem carnem quæ ueneno participauit, si fieri poterit amputamus. Cognoscitur autem ex eo quòd à sana carne diuersa est. Vehementer enim pallida & liuida, & uelut mortificata apparet. Fertur autem Dacas ac Dalmatas, oblinere aculeis helenium, quod & Ninum appellatur, atque sic hoc sanguinem uulneratorum contingens occidere. Si uero edatur etiam ab ipsis, innoxium esse, & nihil mali facere.

Dacæ Dalmatæ Helenium, Ninum appellatum

At si telum in osse fixum sit, rursus instumento explorabimus. Etsi caro impedimento fuerit, hanc amputamus, aut dispatamus. Si uero in profundo ossis infixum fuerit, id quod cognoscimus ex eo quod intus firmatum non concutiatur, etiamsi uis afferatur: excisorio cultro circumsito osse ablato, aut etiam terebris, si crassum sit, prius perforato, telum exoluimus. At si in principem aliquam partem infixio facta sit, uelut est cerebrum, guttur, cor, pulmo, hepar, uentriculus, Intestina, rhenes, uterus, uesica, & lethalia signa iam apparuerint, & extractio multam uexationem inducta sit, aggressionem recusamus, ut ne supra hoc quòd nihil proficimus, etiam conuiciandi occasionem idiotis exhibeamus. Si uero euentus adhuc dubius sit, periculo prædicto aggredi oportet. Multis enim etiam abscessu in aliqua necessaria parte oborto, salus præter omnem expectationem contigit: quum sanè etiam iecoris fibra, & omenti pars, itemque peritonæi membranæ, & totus uterus sæpe ablatus esse cognitus sit, & tamen mors in his sequuta non sit. Sed & guttur sæpe de industria in anginis dissecamus, uelut de summi gutturis sectione diximus. In his igitur relinquere

Partes internæ ablatæ citra uitæ damnum

telum, ineuitabilem mortem inducit, suprà hoc quòd artem ab omni hu-
manitate alienam id ostendit. At eximere telum, multos uelut par est, serua- A
uit. Nec uero difficilis est, principalium partium sauciatarum cognitio, ut
quæ ex symptomatum proprietate, itemq; his quæ excernuntur, & parti-
um situ reperitur. Membranis enim cerebri sauciatis, dolor capitis circum-
circa uehemens oboritur, & oculorum feruor, cum rubore linguæ, & men-
tis emotio. Si uero cum cerebro sauciatæ fuerint, collapsio, uocis interce-
ptio, faciei distortio, bilis uomitus, sanguinis per nares excretio, humoris
albi ac pultacei per auditorii meatum euacuatio, si sanies per uulnus tran-
situm reperit. Si in uacuas thoracis partes infixum sit telum, ita ut serue-
tur spacij amplitudo, spiritus pertransit. At corde uulnerato, circa sinistram
mammam telum apparet non in uacuum locum progressum, sed ueluti in
alio fixum, & quandoq; pulsatorium motum præseferens, contingitq; san-
guinis atri excretio, si transitum repererit, perfrigeratio item & sudor, & a-
nimi deliquium, & circa dilationem mors sequitur. Pulmone uero saucia-
to, si spacium sit, per uulnus spumosus sanguis euacuatur. Si non sit, magis
euomitur, & uasa circa collum eleuantur, & lingua colorem mutat, & ma-
gnum spiritum habent frigidum appetentes. In septo transuerso uulnerato,
telum ad spurias costas infixum apparet. Inspiratio fit magna, cum dolore
& suspitio per totam humorum nexus partem. Si uero in abdomen uulnus
fiat, ex his quæ excernuntur manifestum fit, si spacium sit, aut etiam telo ex-
tracto, aut hastili intus fracto. Nam de uentriculo succus euacuatur, de inte-
stinis stercus. Quandoq; etiam omentum aut intestinum prominet. At uesi-
ca uulnerata, urina excernitur. Proinde cerebro & membranis uulneratis,
telum per caluariæ perforationem educemus, quemadmodum in capitis
fracturis statim dicetur. In thorace uero, si nõ sequatur, per moderatam spa-
cij inter costas medij incisionem, aut etiam unius costæ excisionem, mem-
branæ custode subiecto, telum extrahendum est. Similiter etiam in uentre, B
& uesica, & reliquis in profundo partibus, si quidem sequatur telum, citra
curiositatem eximatur. Sin minus, rursus ampliori incisione, et cruentorum
uulnerum curatione utendum est. In uentre tamen si opus fuerit, sutura ad-
hibeatur, uelut dictũ est. At si in magno aliquo uase, uelut in iugularibus in
profundo aut carotidib. aut circa alas, aut inguina magnis arterijs, infixũ te-
lũ, ampliorẽ sanguinis eruptionẽ ꝓpter exemptionẽ minatur, prius laqueis
ab utraq; parte ipsa adstringere oportet, & deinde telum extrahere. Si uero
partis ad partẽ per telum affixio fiat, uelut si brachium thoraci affigatur, aut
cubitus alijs corporis partibus, aut pedes inter se, si quidem non per totas
utrasq; partes telum aut hasta transierit, forinsecus eam acceptam, uelut in
una parte, extrahemus. Si autem per totum penitus utrasque pertransierit,
desecto in medio ligno, particulatim singula educemus, iuxta facilem figu-
ram. Quãdoquidem uero etiam lapides sæpe, aut murices, aut massę plum-
beæ, aut eiusmodi quædam è funda emissa infiguntur, tum ob uiolentiam,
tum quod angulosa existunt, deprælendere hæc ipsa oportet, ex eo quòd
asper & inæqualis tumor occurrit: & quòd non omnino in directum diui-
sio tendat, sed etiam maior sit, & caro uelut contusa ac liuida: & quòd cum
grauitate dolent. Hæc igitur emota per apta ad hoc instrumenta, aut per
specilli concauam partem, aut per uulnerarium specillum eximere opor-
tet. Si uero uulnus admittat, etiam per forcipem dentibus aut radicibus e-
uellendis destinatam extrahantur. Multis etiam infixa tela latuerunt, &
uulneribus ad cicatricem perductis, post multum tempus, abscessu eo loco
facto ac rupto, telum exijt.

De Fracturis, & ipsarum differentijs. Cap. LXXXIX.

CONsequens profectò fuerit ut post doctrinam eorum quæ per chirurgi-
am exercentur in carne, etiam de his quæ ossibus accidunt, fracturis in-
quam & luxationibus agamus, eo quod etiam hæc chirurgiæ generi subie-
cta

A ɛta sunt, & primum de fracturis, atq; his prius quæ in capite consistunt, tum
quod hæ inter chirurgias, quæ in carne, & quæ in osse fiunt, medium lo-
cum obtinent, tum quod caluaria omnes corporis partes supereminet. Pro-
inde Fractura in summa, diuisio est ossis, aut ruptio, aut dissectio, ab exter *Fractura quid sit*
na aliqua uiolentia contingens. Differentiæ Fracturarum multæ sunt. Ali- *Fracturarum differentiæ.*
qua enim raphanatim, alia scandulatim, siue assulose, alia in unguem, alia
polentæ modo, alia per desfractionē fieri dicitur. Raphanatim igitur facta,
est ruptio ossis in figuram transuersam per crassitudinem. Quidam etiam
cucumeratim, & caulatim factam nominant, ex similitudine qua cucu-
metes & caules franguntur. Scandulatim uero facta, est ruptio ossis oblon
ga. In unguem uero, eruptio est ossis parte quadam recta, ad finem autem
lunaris. Eadem etiam harundinatim facta dicitur. Polentæ autem modo fa
cta, est ruptio ossis in multas tenues partes. Eadem etiam nucatim facta qui
busdam dicitur. Defractio uero, aut etiam præcisio, est ablatio partis ossis,
per ruptionem superficiei, ita ut pars ablata deficiat. Atque hæ Fractura-
rum differentiæ sunt.

De Fracturis in capite. *Cap. XC.*

PRopriè uero fractura in capite, diuisio est caluariæ, quandoque simplex, *Fractura in capite, differentias. V. habet.*
quandoq; multifida, ab externa aliqua uiolentia inducta. Differentiæ au
tem fracturarum capitis hæ sunt, fissura, excisio, expressio, depressio, came
ratio. In infantibus etiam contusio. Fissura igitur est diuisio caluariæ super- *Fissura*
ficiaria, aut profunda, in qua affectum os foras emotum non est. Excisio ue- *Excisio*
ro est diuisio caluariæ, cum ossis affecti refractione. Si uero etiam defractum *Deasciatio*
sit os affectum, deasciationem aliqui affectionem appellauerunt Expressio *Expressio*
est diuisio ossis in multas partes, unà cum hoc quòd ossicula fracta deorsum
ad membranam secesserunt. Depressio est diuisio ossis, cum qua os affectum *Depressio*
è naturali loco decedit deorsum ad membranam. Cameratio est diuisio cal *Cameratio*
B uariæ, cum ossium affectorum eleuatione. Aut ut Galenus ait, ad interna se
cessio ac cauatio, similiter ut in expressione. Sic enim ille putat. Quidam e-
tiam pilationem his annumerauerũt. Est autem pilatio fissura angustissima *Pilatio*
& sensum latens. Quapropter sæpe delitescens, eo quòd non exacte cogni
ta fuit, mortis causa extitit. At uero contusio non est ossis diuisio, ideoq; me
ritò neq; fracturam dixerit quis hanc affectionem, sed est impulsio, & uelut
flexio caluariæ introrsum, cauans ipsam citra cõtinuitatis solutionẽ: quem-
admodum in æneis & crudis coriaceis uasis cõtingit, dum extrinsecus per- *Simile*
cutiuntur. Sunt autem & contusionis duæ differentiæ. Aut enim per totam *Contusionis differẽtiæ duæ*
suam crassitudinem os contunditur, ita ut sæpe etiam membrana abscedat,
uel omnino per totum à caluaria prematur: Aut non per totam crassitudinẽ,
sed circa externam solum superficiem usq; ad secundam laminam. Quidam
ad has differentias etiam Resonitum apposuerunt, qui ex ipsorum senten- *Resonitus*
tia, est ruptio caluariæ in oppositis his quæ percussæ sunt partibus. Verum
hi errãt. Neq; enim uelut in quibusdam uitreis uasis, ut ipsi dicũt, etiam hic *Dissimile*
contingit. Illa enim eo quòd uacua sunt, hoc perpetiuntur. Caluaria aũt ple
na est, & alioqui fortis. Etenim capite in multis alijs partibus percusso, ue-
lut in cadendo contingit fissura caluariæ quæ citra solutionem continuita-
tis cutis contingit, postea abscessu circa ipsam facto, & hoc secto apparens,
putata est ab ipsis iuxta oppositam plagæ partem facta esse. Sed & hęc uelut
primum dicta fissura curatur. Si igitur fractura in capite facta est, manifestũ
id fit ex eius quod ictum fecit corporis acumine, aut grauitate, aut duricia,
aut uiolentia, & ex symptomatis quæ sauciato accidũt, uelut est uertigo, uo
cis interceptio, repentina collapsio, & maxime in depressione, aut cõtusio-
ne, aut expressione, aut ad interna cameratione, cerebro compresso. Quin
& ex sensus significatione percipitur. Si enim memorabilis fuerit cutis di-
uisio, per ipsam promptè cognoscemus. Si uero omnino non sit diuisio, aut
angusta quædam, fracturam tamen factam esse suspicemur, diuisa cute, per

uisum, & per instrumẽti explorationem, hoc cognoscemus. Si enim aliqua
ex alijs fracturis est, statim manifestatur. Si uero fissura solum angusta & pi- A
laris, sensum latẽs, pharmacum quoddam nigrum liquidum, aut etiam atra
mentum scriptorium affundimus, & os radimus. Ipsa enim fissura nigra o-
stenditur, quare in radendo perseuerare oportet, donec fissuræ signum ob-
scuretur. Si uero ad membranam usq; fissura tendat, à radendo abstinemus,
& ad dignotionem progrediemur, utrum ab osse discesserit membrana, aut
affixa maneat. Si enim manet, uulnus moderatè inflammatione destituitur,
& æger paulatim à febre liberatur, & pus concoctum apparet. Si uero disces
sit membrana, dolores augentur, & similiter febris, & os alium colorem in-
Perforationis usus duit, & pus tenue ac crudum fertur. Si uero neglexerit id Medicus, & perfo
rationẽ nõ utetur, longè grauiora symptomata accedent, bilis uomitus, con
uulsio, mentis percussio, & febris acuta, in quibus aggressionem recusare o-
portet. At si hæc non adsint, siquidem membrana non discessit, & fissura so-
lum fuerit, per rasorium instrumentum solum curatur, etiamsi ad profundũ
usq; descenderit. Si uero solum ad secundam laminam, ad illam usq; raden-
dum est, aut etiam fractum os tollendum, uelut dicemus. Si uero etiam inte
riores partes contritum sit, etiam has diligenter auferre oportet per idoneum
instrumentum. Quòd si etiam discessit membrana, & tu ab initio uulneratũ
suscepisti, hyeme quidem ante decimum quartum diem omnino ossis abla-
tionem facere coneris, æstate uero ante septimũ, ante quàm relata sympto-
mata accidant. Chirurgiam autem aggredieris hoc modo. Prærasis pilis ad
uulnus ipsum duas sectiones facimus, quę ad rectos angulos se mutuo secãt,
Chiasmus ad similitudinem literæ græcæ. χ. harum tamen altera ea sit quæ iam antea
adest. Deinde quatuor angulis in uertice excoriatis, ut os quod perforandũ
est totũ denudetur, siquidem sanguinis eruptio fiat, linamẽta posca imbuta
indemus: Sin minus, sicca. Deinde linteo complicato, uino ac oleo imbuto
imposito, uinculo cõueniẽti utemur. Postera die si nõ recẽtius aliquod sym B
ptoma impediat, perforationẽ affecti ossis aggrediemur. Aegro itaq; in sel-
la, aut supino reclinato, prout uulneri conuenit, & auribus ipsius lana obtu
ratis, propter sonitum pulsationis, uulneris uinculum soluemus, & amotis
linamentis omnibus, factaq; per spongias detersione, duos ministros iube-
bimus, ut circundatis tenuibus fasciolis, quatuor incumbentium fracturæ
corporum angulos retrahant, & si infirmum os fuerit, uel natura, uel ex fra
ctura, oppositis scalpris excisorijs hoc auferemus, primũ cauis à latiore inci
pientes, & postea cum angustioribus permutantes, deinde etiam ad specilli
formam habentia transeuntes, & malleo leniter impellentes, ita ut uitemus
capitis concussionem. Si uero robustum fuerit os, prius hoc terebellis senõ
Terebella se non demergentia demergentibus perforabimus: Talia autem sunt quæ paululum supra aciẽ
eminentias habent prohibentes ne ad membranam demergãtur: & tũc scal
pris excisorijs usi, affectum os auferemus, non aceruatim, sed particulatim,
si fieri poterit digitis, sin minus, forcipe dentaria, aut ossaria, aut uolsella, pi
laria, aut tali quopiam instrumento. Inter foramina autem tantum spacij re-
linquatur, quantum est maximum specilli caput. Profunditas uero ipsorum
ea sit, ut prope ad internam ossis superficiem accedant, cauendo ut ne tere-
bra membranam cõtingat. Quapropter pro ossis crassitudine terebram esse
oportet, pluribus ea de causa præparatis. At si ad secundam tantum laminã
caluariæ fractura procedat, ad hanc usq; solum perforabimus. Post ossis ab-
lationem, explanata per excisionem inducta asperitate, cum rasorio aut spe
cilli formam habente excisorio scalpro, membranæ custode subiecto, & os-
siculis aut aculeis, uelut uerisimile est remanentibus, industriè eductis, ad li
namentorum usum progrediemur. Hic communior simulq; facilis & peri-
Scalprum lenticulatum culi exors chirurgiæ modus est. Sed & per scalprum excisorium lenticula-
rum dictum excidẽdi modus, insigniter à Galeno laudatur, citra perforatio
nem, post scalpturam per caua scalpra factam adhibitus. Sic igitur dicit. Si
uero

A uero semel unam nudaueris partem, subiecto scalpro excisorio, quod lenticulatam partem ad finem prominentem, obtusam ac leuem habet, acutā uero in longitudinem rectam, quum latam lēticulati scalpri partem supra mēbranam firmaueris, paruo malleolo impellens, hoc modo caluariam diuides. Contingūt enim ex his actionibus omnia quibus opus habemus. Nam membrana ne si dormitans quidem quis operetur, sauciari potest, latæ soli parti scalpri lenticulati occurrens. Et si alicubi caluariæ adhæreat, etiam huius appensionem citra læsionem auellit rotunda lenticulati scalpri extremitas. Sequitur autem à tergo ipsam præeuntem, scalprum caluariam dissecās. Quare neq; qui magis periculo careat, neq; qui citius operetur, alium perforationis modum reperire licet. At uero per terebras, & modiolos, choenicidas appellatas chirurgia, à recentioribus uelut praua reprobata est. Atq; sic quidem aggresionem uelut in fissura exposuimus. Idem tamen modus eximendorum ossium, etiam in reliquis caluariæ fracturis conueniet. Sed & quantitatem ossium quæ excindi debent, Galenus nos docet, ita palàm dicens. Quātum uero affecti ossis excindere oporteat, deinceps tibi exponā. Quod quidem uehementer contritum est, totum id eximere oportet. Quòd si quædam fissuræ ab ipso amplius extendantur, quemadmodum aliquādo contingere uidetur, has ad finem usq; persequi non conuenit, ut qui probe sciamus quòd nullum damnum ex hoc sequetur, si alia omnia recte fuerint peracta. Post chirurgiam, linteolum simplex pro magnitudine uulneris, rosaceo imbutum membranæ integemus, & lanæ floccum paruum, similiter rosaceo imbutum prædicto linteolo imponemus. Deinde complicatum duplex linteolum uino & oleo imbutum, aut etiam ipso rosaceo, toti uulneri circumponemus, considerando ut ne membrana grauetur. Postea lato deligamento utemur, neq; per hoc constringentes, sed ut tantum conseruentur linamenta. Et uictum inflammationem arcentem ac febrilem appellatū ex-

Modioli Choenicides

Victus febrilis

B hibebimus, frequentius interim irrigantes rosaceo membranam. Tertia uero die facta solutione, & per spongias detersione, cruentorum uulnerum & inflammationem arcente curationis ductu utemur, inspergentes membranæ aliquem puluillum capitalem siccum, usq; ad concarnationem. Quandoq; etiam radētes os, si forte opus sit, ob aliquos præminentes aculeos, aut etiam propter ipsam incarnationem. Quin & reliquam medicamentorum materiam, uelut in uulneribus dictum est, adhibebimus. Quandoquidē uero sæpe post chirurgiam membrana inflammatur, adeò ut non solum caluariæ crassitudinem, sed etiam ipsius cutem transgrediatur, cum renisu, & naturalis ipsius motus pulsatorius impediatur, ad quæ conuulsio maxime, & alia grauia symptomata, aut mors consequuntur. Inflammatur autem, siue ob acutam aliquam ossis præminentiam pungentem, siue ob linamentorū grauitatem, aut ob frigiditatem, aut multum cibum, aut uini potum, aut etiam ob aliquam obscuram causam. Si igitur ob manifestam causam inflāmatur, hæc cito recidenda est. Si uero ex obscura, plus contendere oportet, adhibendo aut uenæ sectionem: si non sit quod prohibeat aut cibi abstinentiam, aut uictum ad inflammationem commodum. Sed & localibus utendū est auxilijs, uelut est calidi rosacei irrigatio, & perfusio ex decocto althææ, aut fœni græci, aut seminis lini, aut chamæmeli, & similium. Cataplasmatis etiam ex cruda ordeacea farina, & semine lini, cum prædicto decocto, & adipe gallinaceo. Irrigationibus quoq; per lanam in capite & occipite, instillando etiam auditorijs meatibus oleum quoddam ex his quæ inflammationem arcent. Sed neq; uiscera negligenda sunt, quo minus cataplasmata ipsis imponamus. Totius item corporis prouidentiam facere oportet, ita ut in aquam calidam ipsos inducamus ac inungamus. Si uero perseueret inflammatio, & nihil aliud prohibeat, etiam bilem educente medicamēto Hippocrates ipsos purgare iubet. Porrò denigrata membrana, si quidem in superficie sit nigricies, ex medicamento aliquo hanc uim habente inducta, mellis triplum

Rasuræ ossis usus

Membrana cerebri inflammata

Mēbrana cerebri denigrata

triplum rosaceo ammixtum, per linamenta indemus, & sic curabimus, con sequenter etiam reliqua adhibentes. Si uero spontanea nigricies fiat, & maxime in profundo, cum alijs malis signis, tunc sanè de his desperandum est. Infiti enim à natura caloris mortificationem significat. Noui quendam qui post annum ab accepto uulnere, caluariæ perforationem admisit, & superstes euasit. Erat enim in sincipite fractura ex telo inducta, & effluxionem habebat, propter quam membrana illæsa seruata fuit. A

De Naso fracto & contuso. Cap. XCI.

Nasus cõtusus. *Nasus fractus.* NASI inferna pars quæ cartilaginosa est, non frangitur, sed contunditur, & sima fit, & distorquetur. Superna uero, quæ osseæ naturæ est, quandoque frangitur. In his uero Hippocrates deligationem reprobat, ut quæ magis simitatem, & ampliorem distortionem inducit, præterquam si quæ circa medium nasum partes ob impulsionem supereminent. In his enim conuenientem deligationem, cum medicamenti impositione assumit, quo oppressus nasus naturalem figuram recipiat. Fracto itaque naso in infernis partibus, indice aut paruo digito immisso, directionem partium foras facere oportet. In interioribus uero etiam cum specilli capite hoc faciendum est, statim in prima die, aut non multo post eam. Nam circa decimam diem nasi ossa corroborantur. Extrinsecus quoque indice & magno digito hunc conformare oportet. Quo uero conformatus figuram suam incollapsam conseruet, cuneolos ex linteolo intortos ac inuolutos duos naso indere oportet, in singulas nares unum, etiamsi altera solū nasi pars sit distorta, & hos sinere, donec os aut cartilago corroboretur. Quidam etiam pennas anserum, uelut calamos adaptatas, linteis insutas naso indiderunt, quo & figura cōseruaretur, & respiratio non impediretur, quod sanè necessarium non est, quum per os respiratio fiat. Quòd si inflammatus sit nasus, medicamentū aliquod inflammationem arcens imponemus, uelut est emplastrum ex succis, aut ex aceto & oleo, aut tale quoddam. Aut cataplasma ex simulagine triticea, cum manna & gummi cocta imponimus, tum ob inflammationem, tum ut nasus contineatur. At si in alteram partē nasus fuerit distortus: Hippocrates post congruam conformationem, iubet lori longi, digiti latitudinem habentis alteram extremitatem, glutino aut gummi illitam, ad summam nasi partem, ex eo latere quo declinatum est agglutinare, & postquam siccata indurvit, lorum iuxta oppositam aurem ad occiput & frontem ducere, atque eo loco postea alteram lori extremitatem firmare, quo in latus retractus nasus ad mediam figuram dirigatur. Verum hoc nō ualde probatum est iunioribus. At uero si in tenues partes confracta fuerint nasi ossa, diuisionem facere aut amplia re oportet, & tenuibus ossiculis uolsella pilaria exēptis, dispáratas partes suturis cōtrahere, & cruentorum uulnerū ac glutinatoria curatione uti. Si uero etiam intra nasum ulcus factum fuerit, lemniscis dictis linamentis, ex medicamentis congruis illitis ac inditis curetur. Quidā etiam plūbeis fistulis usque ad cicatricē inductā usi sunt, ut ne cato ex ulceribus excresceret. *Pennarū usus.* B

De inferna maxilla fracta, & aure contusa. Cap. XCII.

Auris contusa. DE aure contusa in tertio libro tradidimus, eo quod talis affectio ad fracturas non pertineat. Maxilla uero inferna frangitur ob multas causas. *Maxilla inferna fracta.* Si igitur extrinsecus solum fracta, non autem instar caulis, intrò cau ext, non tæ expositæ sunt ad manum. Proinde alterius manus, dextræ, si dextra maxilla fracta sit, sinistræ, si sinistra, indice & medio digito ægroti ori immisso, internum fracturæ gibbum industriè foras protrudere oportet, ita ut altera manus foris illum excipiat. Maxillæ uero rectitudo, ex dentium insitorum ipsi æqualitate colligatur. At si caulatim facta est fractura, tensione utrinque retrò usus, & ministro tenente, directionem uelut dictum est facito. Cæterum disparatos circa fractam partem dentes, coniugatos uelut Hippocrates ait colligate oportet auro, hoc est aureo lino siue filo. Verum quū hoc non omnibus promptū sit, filo lineo forti, aut bysso, aut setis equinis, aut aliquo alio huius- *Aurea fila.*

A huiusmodi. Quòd si cum ulcere facta est fractura, explorandum specillo est, an etiam defractio ossis facta sit. Et si hoc ita habet, & parua est diuisio, ampliata ea, defractum os siue unum, siue plura sint, per idoneum instrumentũ eximere, & labia ulceris suturis contrahere, & cruentorum uulnerum medicamento adhibito deligare oportet. Si uero sine ulcere, cerato simplici maxillæ imposito, conuenienter deligare, ita ut media fasciæ pars ad occiput locetur, deligationes autem utrinq; ad aures in summum mentũ procedant, deinde rursus ad occiput, postea sub mentum, & hinc per genas ad sinciput, & rursus hinc sub occiput, ubi etiam finire fascia debet. Adhæc rursus superiectio facienda est, hoc est aliud ligamentum fronti circumdatum in posteriore capitis parte conectatur, ad omnes prædictas deligationes cõstringendas. Quidam etiam ferulam leuem, uelut alij alutam æqualis longitudinis maxillæ imponunt, & uelut dictum deligant. Alij deligatione quæ capistrum dicitur utuntur. Porrò si ambæ maxillæ iuxta summum mentum auellantur, qua parte etiã coalescunt, ambabus manibus paululum diductas, ipsas, rursus inter se coaptato, & coniugatis dentibus uelut dictum est, deligato: & congrua usus deligatione, quiescere iussi, tenuibus & sorbilibus alimentis utantur. Manducatio enim ipsis inimica est. Et si quid de figura emotum esse putaueris, tertia quaq; die soluens rursus deligato. Atque ita facito donec callus obducatur. Obducitur autem callo maxilla intra tres maxime hebdomadas, eo quòd & laxa, & medulla plena est. Si uero inflãmatio quęquam oboriatur, nihil irrigationum ac cataplasmatum ad hanc omittendum est, id quod in omnibus similiter tibi obseruandum est. *Capistrum, de ligatio*

De clauicula fracta. Cap. XCIII.

Clauicula in naturali figura, iuxta internam partem pectori coalescit, iuxta externam ad summum humerum articulatur. Et propterea quum humerum aut etiam ipsum brachium sustineat, si fracturam pertulerit in quacunq; tandem parte, ea pars quę ad humerum est plerũq; magis quàm interna eius extremitas deorsum fertur, ut quæ unà cum brachio detrahatur. Præ- *Clauicula fracta*
B stat autem caulatim, & non scandulatim, aut harundinatim clauiculã frangi, ex multorum sanè sententia. Quod enim caulatim fractum est, per extensionem & compressionem digitorum, promptè ad naturalem statum redit. Reliqua uero eminentias habent, quæ difficulter adaptari possunt. Si igitur per totam crassitudinem quocũq; tandem modo fracta fuerit, duo ministri, alter brachium id quod est ad fractam clauiculã manibus amplexus, ad externam partem simulq; sursum trahens, alter oppositum humerum, aut omnino collum attrahens, sic in contraria faciant extensionem. Medicus autẽ suis manibus fracturã componat, prominẽtiora impellens, & quæ in profundo sunt extra attrahens. Quòd si ampliore opus fuerit extensione, globũ satis magnum ex panniculis aut lanis, aut eiusmodi aliquã molem ale subijcito, & cubiti flexuram ad costam quæ ad ipsum est adducito, & reliquam uelut dictum est facito. Si uero extremitatem clauiculæ ad humerũ, in profundum delapsam, ad superficiem attrahere non potueris, supino reclinato homine, & puluinari congruo dorso subiecto, & ministro ambos humeros deorsum deprimente, ut os clauiculæ quod in profundo est refringatur, rursus ipsis digitis fracturam componito. Si uero pars quædam à clauicula defracta, & emota, inconstans ac pungens sentiatur, scalpello in directum dissecantes, & destractam auferemus, & reliqua per excisoria scalpra explanabimus, clauiculæ subiecto membranæ custode, aut alio excisorio scalpro, ictus firmandi gratia. Et si quidem inflammatio absit, suturis: sin minus, linamentis utemur, & splenijs diuersis præparatis, ad superemineniis ossis incli natione, maiora & crassiora apponemus, si adsit inflãmatio, oleo madentia: sin õ sit, sicca. Et cõgruo ex lana globo ale subiecto propinquæ, cõueniente inducimus deligationem, per alas, & affectam clauiculam, & scapulã prout conuenit, deligationes ducentes. Et si clauiculæ ad humerum pars, deorsum

sum inclinata est, latioris lori media parte cubiti gibbo, qui ad ipsam est, sub A
Brachij appensio iecta, totum brachium de collo suspẽdemus, ex alia etiam fascia manu, quæ ad ipsam est, suspensa, uelut in his quibus uena in cubiti flexura secta est fieri solet. Si uero, ad supernam extremitatem uergit, id quod raro contingit, recusanda est brachij appensio, æger uero supinus reclinandus est, ac tenui uictu nutriendus. Si uero opus fuerit, etiam irrigationes adhibeantur, & reliqua secundum rationem fiant, usq; ad callum inductum. Inducitur autem clauiculæ callus ut plurimum in uiginti diebus.

De scapula. Cap. XCIIII.

Scapulæ fractura *Scapulæ spina.* SCapula circa latam & mensariam partem non frangitur. Verũ iuxta spinam suam fracturam patitur, quæ aliquando exprimitur, aliquando ruptionem simplicem sustinet, aliquando etiam defrangitur. Expressio tactu cognoscitur caua occurrens, torporemq; uicini brachij, & punctorium dolorem inducens. Ruptio uero tactus asperitate, & loci dolore cognoscitur. Ambo autem inflammationem arcente ductu curantur. At defractio, quæ etiã ipsa tactu cognoscitur, si quidem quiescit, conuenienti deligatione affigitur. Si uero innatat & pungit, per sectionem, & ablationem, & suturis uelut antea dictum est, curatur. Deligationes autem etiam hic similiter uelut in clauicula adhibeantur. Et reclinatio in oppositum latus fiat.

De pectore. Cap. XCV.

Pectoris ossis fractura MEdia ossis pectoris pars frangitur & exprimitur. Summa uero pars defrangitur. Si igitur ruptio distorta facta est, loci dolor & inæqualitas sequitur, & ad digitorum innixum strepitus. Si uero expressio, dolor uehemens, spirandi difficultas, tussis dum membrana costas succingens pungitur. Raro etiam sanguinis eductio. Cauitas quoq; ossis fracti & cessio. Sed & nunc curatio similiter disponenda est, uelut in scapula dictum est. Verũ in expressione repositionis modus secundum Hippocratem assumatur, quẽ ille in clauicula quæ intro cessit, exposuit, per supinam reclinationẽ, & cer- B
uicalis sub dorsum subiectionem, & scapularũ depressionem, unà cum hoc ut & costas utrinq; manibus contrahamus. Intectis autem costis cum lana, *Deligatio circularis* circularis deligatio assumatur, subiectis antea in directum duobus loris ex humeris dependentibus, ita ut postea amborum initia ad opposita connectantur, & circulares diligationes decidere prohibeant.

De costis. Cap. XCVI.

Costas dici etiam spathas EX costis, quæ etiam spathæ dicuntur, quæ quidem osseæ sunt, in omni parte ruptionem sustiuent. Spuriæ uero, iuxta spinam solum. Nam hic solum osseæ existunt. In anteriore uero parte, in chartilaginem transeuntes contunduntur, & non franguntur. Signa non difficulter colliguntur. Nam loci inæqualitas digitis explorantis occurrit, & strepitus, & adductio ad *Costarum fractura* partem fractam. In his autẽ quæ intro uergaut, etiam dolor uehemens punctorius, grauior eo qui in pleuriticis sentitur, eo quòd uelut aculeo mẽbrana costas succingens sauciatur: spirandi difficultas, tussis, sanguinis sœpe eductio. Et alias quidem emotiones digitis conformare licet, eam uero quę intrò cessit non item, eo quòd desperata sit tensionis facultas. Vnde quidam flatuosum & multum cibum exhibere iubent, quo per inflationem & tensionem fractura foras propellatur, id quod necessarium non est. Nihil enim commune est thoraci cum nutritorijs membris, quantum ad hoc attinet, supra hoc quod etiam inflammatio à repletione augetur. Alij cucurbitam affigunt, quod non alienum est à methodi ratione, nisi corporum ex cõtractione coaceruatio, fracturam amplius ad interna impulsura esset. Quapropter *Soranus* Soranus dicit. Lanis oleo calido madidis partes integantur, & per linteola complicata, intermedia costarum pars expleatur, quo deligatio secundum circularem obductiouem æqualis ac plana fiat, uelut in pectore. Omnia uero uelut in pleuriticis fiant, ad magnitudinis proportionem. Si uero magna aliqua necessitas cogat, ob uehementem succingentis membranæ puncturam,

ram, diuidere cutem oportet, & fractā costæ partem denudare. Deinde mē-A branæ custode subiecto, ut ne succingens uulneretur, industriè excindere, & pungentia officula ejcere. Post hoc, ea quæ inflammatione carent coniungere, & uelut cruentum uulnus curare. Inflammata uero, oleo tinctis linamentis tegere, & nutrire ac curare his quæ inflammationem sedant. Reclinate autem prout illi facile tulerint.

De coxis, & pubis ossibus. Cap. XCVII.

Coxarū ac iliū ossiū fractura

COxarum aut ilium ossa raro franguntur. Easdem autem fracturarum differentias habent quas scapulæ. defranguntur enim iuxta fines, & rumpuntur in longitudinem, & exprimuntur in medio. Sequitur ad hæc loci dolor punctorius, ac pulsatorius sensus. Et cruris è directo siti torpor, si facta est expressio. Exigunt eandem quam scapulæ repositionem. Solum uero recusant eius quod defractū est exemptionem per externas partes, per chirurgiam, quum si opus sit digitis conformentur. Consentaneam etiam reliquā curationem facere oportet, irrigationibus utendo, & cauas ilium partes cō plicatis linteolis explendo: quo dum circulares deligationes obducuntur, deligatio plana fiat. Eadem dicenda sunt & de pubis ossibus. Neq; enim habemus quicquam quod de his peculiariter dicamus.

Pubis ossium fractura.

De uerticulis, & spina dorsi, & de osse sacro. Cap. XCVIII.

Verticulorum fractura

VErticulorum plexus ac ambitus aliquando contusionem, Raro etiam fractionem sustinent, ob quas dum spinalis medullæ membranæ comprimuntur, aut etiam ipsa medulla, neruorum per consensum affectiones fiunt, & mors cita sequitur, & magis si etiam circa colli uerticula consistat affectio. Quare prædicto periculo, si fieri potest aliquid audere oportet, & per fectionem premens officulum eximere. Sin minus, saltem inflammationē arcente ductu hos mitigare. Si uero processus aliquis uerticulorum, ex quibus spina constituta est defrangatur, ita ut fragmentum ad digitorum con-B trectationem moueatur, & uicissim recurrat, incisa cute hoc eximere oportet, & facta per futuras contractione, cruentorum uulnerum curatione uti. At uero si os sacrum fractum sit, indicem sinistræ manus digitum in sedem demittere oportet, & altera manu fractam partem quantum fieri potest conformare. Si uero quid defractum sentiamus, etiam hoc facta diuisione eximendum est, deligatioq; ac curatio commoda adhibenda.

Ossis sacri fractura

De brachio. Cap. XCIX.

Brachij fractura

IN brachio fracto Hippocrates extensionē sic fecit. Oportet inquit, lignū oblongum, qualia sunt ligna quæ in foramina ligonum immittuntur, ab extremis partibus funibus illigare, & transuersum de trabe aliqua suspendere. Hominem uero in alta quadam sede locatum, erectiorem quàm in ea figura qua erecta ceruice dormimus, manum suam supra dictum lignū trāsmittere, ut mediam ligni partem per transuersum alæ suæ adaptet. Inflexo autem in rectum angulum cubiti gibbo, minister flexis genibus incumbēs manum eius teneat: Et postea graui aliquo, uelut est lapis, aut massæ plumbeæ pondus, aut eiusmodi quiddā, de cubiti gibbo appenso, atq; ita ut sublime dependeat dimisso, fracturam dirigito ac componito. Aut pro graui illo appenso, minister brachium deorsum trahat. Quidam uero pro ligno quod in foramina ligonum immittitur, gradu scalæ usi sunt Soranus autem sic. Homine in sella collocato, aut quòd melius est resupinato, quo minus affligatur. Deinde manu iuxta articuli juncturam laqueo ligata, & de ceruice suspensa, quo angularis ipsius figura seruetur, duobus ministris imperamus, alteri ut supra fracturam, alteri ut infra, digitos apponant, atq; sic extensionem perficiant Si uero intensiore tractione opus sit, duo lora æqualiter secta brachio circundamus, alterum supra fracturam, alterum infra, & ministro qui super caput ægroti stat, itemq; alteri qui ad pedes, lororum initia damus, & in contrarium extendere iubemus. Si uero ad summum humerum fractura consistat, mediam lori partem alæ subijcimus, & ei qui ad ca-

y put

put adstat tenendam damus, atq; ita altera oppositum in cōtratium trahen- A
te, extensionem in diuersa uelut dictum est facimus. Quemadmodum etiam
si ad cubiti gibbum fractura sit, iuxta illum, aut etiam iuxta manus articu-
lum lorum iniiciatur. At uero ossibus fracturæ probe coaptatis, extensio
remittatur, deligatio autem secundum Hippocraticam legem fiat. Verum
si quidem inflammatio abest, & recens sit factura, lineis utendum est fascijs,
oblongis quidem, latitudine uero trium aut quatuor digitorum, aqua aut
posca madidis. Si uero adsit inflammatio, lanis tenuibus ac mollibus oleo
imbutis. Et si in medio brachij fuerit fractura, principium fasciæ supra fractu-
ram immittere oportet, & ubi iterum atq; iterum deligaris, sursum ferre,
quo sanguinis: inquit: influxiones intercipiantur, atque illic desinat. Vten-
dum etiam est altera fascia, initio eius similiter fracturæ immisso, & in reli-
quis eodem modo uelut in priore, ut tamen ex supernis deorsum tendat, at-
que hinc rursus ad superna recurrat, ibique ita desinat. Moderata uero fi-
at adstrictio, & ad nostrum, & ad ipsius ægroti sensum. Si uero ad summum
humerum fuerit fractura, priori fascia humerus & scapulæ ac pectus com-
Gruina deligatio
præhendantur, quo gruina appellata deligatio fiat. Secunda autem usque
ad cubiti gibbum distribuatur, illincq; ad superpositas partes recurrat,
compræhendens humerum, scapulas & pectus, uelut prior. At si ad cu-
biti gibbum fractura sit, etiam cubitum simul deligare oportet, angulari
figura seruata. Eodem modo etiam in alijs artubus, uelut sunt cubiti, fœ-
mora, tibiæ, si iuxta partem, aut etiam prope articulum, & non in me-
Ferularum usus
dio artu fractura est, articulus simul deligandus est. Iuniores post deliga-
tionem statim etiam ferulas imponunt, quo figura repositionis continea-
tur, adstringentes ipsas ad sensum, & inflammationis molem. Verum anti-
qui post septimum diem ferulas adhibuerunt. Nam intra hunc decrescen-
te inflammatione, membrum tenuius redditur. Soluere porrò deligatio-
nes Hippocrates tertio quoque die iubet, ut ne operto citra resolutionem B
membro, tensio aliqua aut pruritus accedat, neque diutius per spirationes
impediantur firmata iam fractura, ob quas contingit, ut non solum anxie
quidam pruriant, sed etiam ut erosa per saniei acrimoniam cute exulcera-
tio fiat. Affundendum igitur est aquæ temperate calidæ tantum, quantum
satis est ad saniem discutiendam. Post septimum diem, pluribus diebus in-
terpositis soluere oportet. Nam neque partes saniei excretione amplius o-
pus habent, & calli incrementum sic melius procedit. Ferulas autem hoc
modo adhibere oportet. Splenia triplicata oleo imbuta fascijs deligatis cir-
cumdamus. Si igitur æquale fuerit crassitudine membrum, æqualiter. Si
inæquale, cauiores partes splenijs explentur, atque ita æqualis crassitu-
dinis pars, adferularum impositionem efficitur. Deinde ferulis lana aut
stuppa moderate obuolutis, ipsas circum fracturam adhibemus, non mi-
nore quam digiti spacio inter se distantes, leniterq; adstringimus, cauen-
do quantum eius fieri potest, ut ferulæ articulum non contingant, & ma-
xime iuxta internam flexuræ partem. Vlcera enim in ipsis aliquando, &
neruorum inflammationes efficiunt. Proinde breuiores ipsas circa articu-
los esse oportet, uelut sane etiam fortiores, qua parte fractura in gibbum
attollitur. Præstat autem & brachium ad thoracem moderate deligare, ut
ne si id commoueatur, figuram euertat. Si uero inflammatio adsit (hanc au-
tem cognoscimus & ex circumsito tumore, & rubore, & quod nunc ma-
gis quàm primum adstringitur membrum) aut etiam fractura distorta sit,
aut etiam nihil horum, sed laxæ appareant, aut rursus adstrictiores quam
conuenit deligationes, soluere ipsas oportet, & deligationem corrigere.
Reclinetur itaque æger supinus, super stomachum manum habens. Bra-
chio autem subijciatur ceruical molle, corium inductum habens, quo ir-
rigationum influxiones suscipiat. Irrigetur autem quotidie oleo calido, &
maxime si adsit inflammatio. Et nutriatur tenuiter quidem tempore inflam

mationis

A mationis, postea uero moderate, ad calli generationem, & quiescat usq; ad callum inductum. Concallescit & brachium, & tibia, circa quadragesimum diem: post quem facta solutione, & balneo adhibito, emplastris fracturis destinatis curatio perficiatur. Atq; hic aggressionis modus fermè etiam omnibus alijs fractis artubus conuenit.

De Cubito & radio. Cap. C.

Cubiti fractura
Radij fractura

CVbitus & Radius quandoque ambo simul franguntur: quandoque alter solum aut circa medium, aut circa partem ad cubiti gibbum, aut ad manus articulum. Pessimum igitur est ambos simul fractos esse. Deinde cubitum solum. facillima uero curatio est, si radius frangatur. Etsi enim maior sit cubito, illum ipsum tamen subiectum habet, in quo uehitur. Verum si quidem alter solum fractus sit, iuxta illum maxime extensionem uehementiorem facere oportet. Si uero ambo, similiter extendere conuenit, figurata manu in angularem figuram, ita ut pollex omnium digitorū altissimus sit. Minimus contra, infimus. Ita enim continget, ut cubitus radio subijciatur. Quod si robustiore opus fuerit extensione, ambobus maxime fractis, non solum manibus, sed etiam loris facienda est extrensio, uelut de brachio dictum est. Sed & omnem deligationem, & reliqua consequenter, unà cum ferularum impositione, uelut in illo facere oportet, donec ossibus callus obducatur. Inducitur autem callus circa cubitum plerunque in diebus triginta. Sed & Depositio similis ei quæ brachio fracto fit, adhibeatur, exceptis his quæ subijciuntur.

De summa manu, eiusq; digitis. Cap. CI.

Ossium articuli ad manum fractura
Brachiale

ARticuli ad manum, brachialis appellati, & oppositæ ei partis ossa, itemq; digitorum ossicula, quum laxa sint & natura fistulosa, plerunque contunduntur. Raro autem franguntur. Collocato igitur ægro in altio- B re sella, præcipiendum est ei, ut in tabellam aliquam planam, manum pronam ponat, & extentis per ministrum fractis duobus digitis, pollice ac indice ipsa componantur. Verum appressa deligatione utendum est, quo tempore inflammatio accedit. Nam propter laxitatem, facile in ipsis calli redundantia excrescit. Si uero internodium aut simpliciter digitus fractus sit, si quidem magnus, qui & pollex appellatur, is fuerit, post idoneam deligationem, infernè ad palmam deligandus est, ut quiescat. Si uero index, aut paruus, ad uicinum deligetur. Si ex medijs aliquis, his qui ab utroque latere sunt alligetur: aut etiam omnes ex ordine simul colligandi sunt. Melius enim quiescunt, quemadmodum si fracti etiam ferulis adhibitis colligati essent.

Ossium digitorum fractura

De Fœmore. Cap. CII.

Fœmoris fractura

FOEmoris eadem est quæ brachij ratio. Priuatim uero fœmur dum frangitur, magis in anteriorem locum distorquetur, itemq; in externum. Nam in hos etiam naturaliter dilatatum est. Reponitur autem per manus, & lora, ac laqueos æqualiter extentos, altera supra Fracturam, altero infra circumdato. Si uero iuxta partem facta sit fractura, si quidem ad fœmoris caput sit, mediam lori lanam obuolutam habentis partem, ut ne corpora secet, ad interfœmineum locamus, & initia ad caput adducentes, ministro tenenda tradimus. Infra fracturam autem circumdato laqueo, initia eius alteri ministro extendenda damus. At si ad genu fractum sit, lorū supra fracturam circumponimus, & initia sursum extendenda præbemus. Ipsum uero genu uinculo adstrictum tenemus, atque sic iacente adhuc homine, & extento crure, fractam partem componimus. Ossa uero pungentia sursum tracta tollimus, uelut sæpe dictum est. Reliquam curationem in brachio diximus. Concallescit fœmur diebus quinquaginta cæterum depositionis modus post totam de crure doctrinam dicetur.

De patella genu Cap. CIII.

Patellæ genu fractura

A

LAxum os est genu patella, & supernè ac infernè à corporibus ualidè cõtinetur. Et sœpe quidem contunditur, raro autem frangitur. Patitur autẽ ruptionem per crassitudinem, & in tenues partes fractionem, cum uulnere, aut sine uulnere. Notæ conspicuæ sunt. Solutio enim continuitatis occurrit, & cauitas, & strepitus. Componitur autem pars crure extento Ita enim quæ in duas partes diuisa est digitis contrahitur, donec labia fracturæ mutuo se contingant ac cõmittantur. Quæ uero in tenues partes fracta est, conformatur. Nam etiamsi non fiat calli obductio, eo quòd utraq; pars per connexos musculos ac neruos, à fœmore & tibia in contrarium retrahatur: tamen multum de distantia contrahetur, actionisq; difficultatem affectis inducet. Neq; enim dum laborant, diutius id genu sustinet, & in deambulando maxime impediuntur ad ascensus. Etenim ad motus in planiciẽ, actionis difficultas occultatur. Ad ascensus autem, eo quod genu nõ flectatur, circa cruris eleuationẽ ac depositionem depræhenditur. Sed & nunc pungens ossiculum cum attactione eximimus, ac consequentem curationem adhibemus.

De Tibia Cap. CIIII.

Tibiæ fractura

Fibulæ fractura

COnsona est Tibiæ cum cubito ratio. Nam & hæc duobus ossibus constat, crassiore altero, quod eodẽ nomine Tibia appellatur, altero tenuiore, quod ex similitudine fibula appellatur: easdemq; fracturarum differentias habet, ut quæ ad omnem locum distorqueatur, quum ambo ossa contrita fuerint, ad tres: quum alterũ, intrò & extra, & tibia quidẽ etiã retrorsum, Fibula uero antrorsum. Quapropter etiã similiter dirigitur ac reponitur, per manus, aut laqueos, ita ut laquei supra fracturam aliquando ipsi tibiæ circumdentur, aliquãdo fœmori. Quũ.n. robustius sit genu, articulus in extensione illæsus conseruatur. Similiter etiam loris infra fracturam utendũ est, uelut de cubito dictum est. Reliqua ueluti de brachio tradidimus, fiant.

De summo pede. Cap. CV.

Summi pedis ossium fracturæ

Nauiculare os.

B

TAlus omnino non frangitur, eo quòd undiq; corporibus munitus sit per tibiam & fibulam, & os cubiforme. At Nauiculare os, & ossa pedis summi ac digitorũ pedis, & ipsum os Cubiforme, frangũtur similiter ut ossa in articulo ad manũ, & opposita eius parte, et digitis manus. Quare ne sœpius eadem dicamus, ea quæ de illis tradita sunt, illinc huc transferantur.

De Depositione Cruris. Cap. CVI.

Depositionis cruris modus

Canaliũ usus

FOEmore aut tibia fracta, depositionis modus non minore diligentia, quã reliqua omnia quę ad curationem pertinent, adhibeatur. Nam fractarum partium æqualitas maxime per illam probe adhibitam conseruatur. Quidam igitur in canalẽ, alij ligneum, alij testaceum, fractum membrum deponunt, aut etiam crus ipsum. Quidam uero sola cum uulnere fracta, eo quòd hæc, inquiunt, ferulis adstringi non possint. Verum posteriores canalium usum penitus reprobarunt, ob multas causas, maxime tamẽ ob compressionem ex duricia horum oborientem. Neq; enim negatum est, etiam cum uulnere fracta membra ferulis adstringere, uelut ostendemus. Supinus itaque æger reclinetur, & crassum quoddam pallium cruri longitudine æquale, utrinq; contortum ac conuolutum, canali iuxta mediam oblongam cauitatẽ proportionis similitudine respondens, cruri, qua maxime parte fractura est, subijciatur. Expãdatur autem super illam cauitatem pallij pellis mollis, ad irrigationes excipiendas. Deinde huic canaliformi cauitati, crus in longitudinem adaptetur, & à lateribus alia pallia, aut lanæ apponantur, ut ne in obliquas partes membrum euertatur. Ad uestigium uero pedis, tabella panniculo circumdata ob molliciem, erecta applicetur. Et maioris securitatis gratia, duorum aut trium ligamẽtorum medias partes canaliformi illi pallio subijcimus, & cum ipso simul fractum membrum leniter deligamus. Si uero non tolerans hoc æger, totum pedem contrahere conetur, hunc iuxta summum pedem obuolutum, leniter ad tabellam deligare oportet, ut

ne

ne inuitus inter dormiendum, uelut fieri possit, pedem contrahat. Qui-
A dam etiam stragula in medio lecti dissecant, ut omnino immobiles linteæ/gri, & per stragulorum hiatum urinæ ac alui recrementa excidant, donec callus obducatur.

De Fracturis cum uulnere. Cap. CVII.

Fractura cum uulnere
Gangræna

SI cum uulnere facta sit fractura, & sanguinis eruptio adsit, hãc prius sistemus. Si inflammatio, auxilijs ad ipsam utemur. Si uero carnium cõtusio, scarificabimus partem, ut de gangræna timor succidatur. Si uero etiam hæc accedat, aut alia quædam depascendo proserpens putrefactio, prout conuenit occurremus. Habes autem singulorum horum curationem libro quarto. Quòd si nihil horum adsit, neq; multum de ossibus nudatum sit, hamulis & suturis usi, cruentorum uulnerum ductu hos curabimus, defractis officulis & pungentibus aut innatantibus prius exemptis. At si magnum aliquod os supereminet, quod ob magnitudinem in extẽsione non commissum est, huic prospicere oportet. Hippocrates enim in fœmore & brachio fractis, eminentia ossa penitus reponere dissuadet, periculũ futurũ his prædicẽs, propter inflammationem, aut etiam conuulsionem musculorũ, ex tensione oborientem. Tempus tamẽ reperit aggressionem aliquando conducentem. In quocunq; igitur osse eminẽtium aggressionem facimus, nequaquam in inflammatione hoc tentabimus, sed prima statim die ante inflammationem, aut circa nonam, sedata iam inflammatione. Adaptamus autem ipsa per uectem, ferreum autem est id instrumentum longitudine septem aut octo digitorum, crassitudine moderata, ut inter agẽdum non inflectatur, circa summam partem acutum & latum, et moderate incuruum. Huius acutam extremitatem incumbentis ossis eminentiæ subijcientes, & iuxta alteram partẽ renitentes, simulq; moderatam membri extensionem facientes, fracturæ extremitates inter se non componimus. Si uero hoc facere nõ poterimus, per scalpra excisoria opposita, id quod eminet amputamus, aut serra desecamus,
B quomodo in fistulis tradidimus. Et ossium asperitate explanata, membroq; directo, linamentorum ductu curabimus. Maxime uero prouidendũ est in coniugatis artubus, aut bijugis appellatis, ubi utrunq; in ipsis os ex parte defectum est, quo incontractum maneat membrum, ut etiam exacta extensione utamur. Deligatio uero ita adhibenda est. Circulares obuolutiones ab utraq; uulneris parte fiant. Obliquæ uero circa ulceris longitudinẽ, ita ut iuxta literæ græcę χ. figuram, chiasmon dictam, & latinis decussationem, à denarij numeri notæ χ. similitudine, fasciæ expandantur. Et si quidẽ sordidum adhuc est ulcus, purgantia adhibere oportet. Si purum, incarnantia, linamentaq; ac reliquam experientia cognitam materiam. Hippocrates picato emplastro per linamẽta utitur: Hoc aũt dicũt esse Tetrapharmacum regium: Post incarnationem adhibeantur ferulæ. Quidam etiam ab initio ipsas apponunt, ulceris locum uitantes, & prout necessitas urget, ipsas adstringentes, aut remittentes. In quibus porrò squama emersura est: id quod cognoscimus ex eo quòd copiosior humor tenuiorq; excernitur, et quòd caro circa ulcus uacua ac laxa euadens attollitur: in his deligatione laxiore utimur, hamulo uero aut eiusmodi aliquo instrumẽto squama exempta, robustiore deligatione utemur. Per totum autẽ ulcerationis tempus, linamentorum custos ex aliquo inflammationem arcente medicamento, uulneri incumbat, & simplex ligamentum adhibeatur, quod in singulis curationibus soluatur, reliquis relatis manentibus uelut de brachio tradidimus.

Vectis descriptio

Chiasmos
Decussatio

Picatum emplastrum Hippocrati est Tetrapharmacum
Ferularũ usus

De callo in fracturis superincrescente. Cap. CVIII.

Callus in fracturis excrescens

CAlli in fracturis superexcrescentes decorem omnino uitiant. Quãdoq; etiam actionem impediũt, si prope articulum fiant. Si igitur adhuc recẽs callus fuerit, ualde adstringentibus medicamentis utemur, per deligationẽ ea apprimentes. Aliquando etiam laminam plumbeam imponẽtes, id quod opus fuit pergimus. Si uero lapideus ac solidus fuerit, resectum rademus,

scalpris excisorijs id quod supereminet tollentes, & si opus sit, etiam terebris circumcirca perforantes.

A

De Callo in distortione. Cap. CVIIII.

Callus in distortione obductus

Qvum ex callis in distortione obductis, non modicum actionis impedimentũ consequatur, maxime si in pedibus fuerint, refractionis modus nõ est assumendus, ut qui extrema pericula inducat. Sed si recens adhuc est callus, laxatorijs perfusionibus, & cataplasmatis ex caricis pinguib. et stercore columbino, & alijs medicamentis callũ soluentibus utimur. Insuperq; frictione ac confractione per manus hunc dissoluemus. Si uero lapideus fit, diuisa per scalpellum superficie, ossis continuitatem scalpris excisorijs soluemus. Deinde fracturam curabimus, uelut antea dictum est.

De fracturis sine callo permanentibus. Cap. CX.

Callus si fracturis non obducatur

Fracturæ quædam callo non obducuntur, ultra præscriptum à natura terminum, aut propter assiduas solutiones, aut ob immodicas perfusiones, aut ob intempestiuum motum, aut ob multitudinem fasciarum, aut quod totum corpus alimẽtum non sentit, in quibus etiam tenuius membrum reddi contingit. Proinde tum alias causas præscecare oportet, tum præcipue alimenti sensum interceptum, ita ut partim per calidiorum adhibitionem, materiam ad partem attrahamus: partim ut alimentum sufficiens suggeramus, balnea item ac reliquam animi exhilarationem. Signa uero in his quibus iam callus obducitur, tum alia adsunt, tum maxime quòd fasciæ cruentæ fiunt, etiamsi non adsit uulnus, id quod fortassis ideo fit, quod quum substantia circa callum coit, dispersas in ossium cauernis sanguinis guttas exprimit.

Calli obductio nis signum

De Luxationibus. Cap. CXI.

Luxatio qd sit

Vxationum tractationem ad fracturas consequentem, par est ut deinceps aggrediamur. Luxatio igitur ut in summa dicam, est elapsio articuli ex propria cauitate ad insuetam sedem, à qua uoluntarius motus impeditur. Huius autem differentias alias dicere non possumus, nisi eam quæ iuxta maioris ac minoris rationem consistit. Si enim perfecte articulus excessit, communi generis nomine Luxatio appellatur affectio. Si uero solum emotus est, aut usque ad cauitatis supercilium delatus, subluxatio uocatur.

B

Subluxatio

De inferna maxilla. Cap. CXII.

Maxilla inferna luxata

Rvrsus igitur à superioribus initio sumpto, de inferna maxilla dicamus. Superna enim quum immobilis sit, luxationis affectionem effugit. Inferna uero Luxationem quidem non sustinet, eo quod capita ipsius ad supernam maxillam firmiter sunt conclusæ. Subluxationem tamen sæpe patitur, eo quod musculi ipsam continentes, præ assidua mandendi ac loquendi exercitatione molliores existentes, ob quaslibet causas facile laxantur. Nam uerbum χάσκει apud Hippocratem laxatur significat. In quibus sanè citra aliquam molestiam sua sponte articulus ad proprium locum redit. Verum de perfecta maxillæ luxatione, satis est illius uerba apponere, quæ cum compendio, & citra defectum, clara existunt. Sic igitur dicit. Luxatur quidem & excedit maxilla raro: laxatur tamen sæpe in hiatibus, uelut etiam aliæ musculorum ac neruorum emotationes hoc faciunt. Manifestum uero ex his maxime fit, ubi excidit. Prominet enim inferna maxilla in anteriorem partem, & in contrariam luxationi partem abducitur: & ossis cornix circa supernam maxillam tumidior fit, & infernas maxillas difficulter committunt. Quæ uero repõsitio his conueniat, manifestum est. Oportet enim aliquem uulnerati caput detinere, & alterum infernam maxillam intrinsecus ac extrinsecus ad mentum digitis appræhendere, hiante homine quantum moderate potest, & primum quidem maxillam aliquandiu hac, atque illac manu abducere, & ipsum hominem iubere, ut maxillam laxam habeat, & simul abducat ac quàm maxime remittat. Deinde repente tribus figuris simul laxare oportet, diligenti

χάσκει apud Hippoc.

A genti in hoc animaduersione habita. Nam & in distortione ad naturam de duci re oportet, & infernam maxillā retrorsum protrudere, ita ut æger hæc sequatur, & maxillas committat, ac non hiet. Atque hæc quidem repositio est, & neq; aliis figuris fieri poterit. Curatio uero breuis sufficit. Splenium enim inceratum apponitur, ac laxo deligamento deligatur. Securius autem hæc aggressio perficitur, homine supino reclinato, & puluinari plenissime farcto capiti supposito, ut in ipsum innitente quàm minimum cedat. Insuper autem & caput uulnerati aliquis detinere debet. Si uero ambæ maxillæ luxatæ fuerint, curatio quidem eadem est, uerum hi os minus committere possunt. Nam his genæ prominentiores sunt, sed indistortæ. Quod uero distortæ non sint, maxime cognoueris ex dentium tum superiorum, tum infernorum terminis, è directo inter se correspondentibus. His confertur quàm citissime reponantur. Repositionis autem modus prius dictus est. Si uero non reponantur, animæ periculum imminet, præ febribus continuis, & torpido sopore. Soporiferi enim hi musculi sunt, & dum alterantur, & dum intenduntur, præter naturam. Solet etiam his aluus bili ifa, meraca, pauca egerere. Et si uomuerint, meraca uomunt. Hi igitur etiam moriuntur decima maxime die. Hoc repositionis modo etiam nos sæpe usi sumus, fomentis prius ex aqua & oleo calidis, per spongiam ad luxatam maxillam adhibitis, ubi maxime ægre cedit circa introitum: homineque in terram locato, nos retro ipsum stantes iuxta prædictum modum operamur.

De Clauicula, & summo humero. Cap. CXIII.

Clauicula interna extremitate non excidit: Coarticulata enim est pecto ri unde neque circa ipsum mouetur. Si uero per uiolentiam ab aliculus externi acuti ictu auellatur, ad fracturæ ipsius directionem ac coaptationē reducetur. Quæ uero ad humerum articulata est ipsius extremitas, non ual B de excidit, ut quæ & à bicipite musculo, & à summo humero prohibeatur. Sed neque uiolento aliquo motu clauicula priuatim mouetur, ut quæ propter solam thoracis distentionem facta sit. Vnde solus homo inter animalia clauiculam habet. Si uero in palæstra contingat, uelut uerisimile est, ut hæc sub luxetur, & per manus conformationem, & per multiplicium spleniorū appositionē, una cum conuenientibus deligationibus reponitur Eadem ex ratione etiam summus humerus sub luxatus ad proprium locum reducitur. Et porrò cartilaginosum officulum, quod clauiculā cum scapula colligat, & in exiccatis cadaueribus latet, id si subluxatum sit, imperitis imaginationem exhibet, uelut brachij caput sit elapsum: Nam ob hoc summa humeri pars acutior apparet, locus autem unde discessit cauus. Verum inter hæc discretionem facere oportet, ex signis quæ deinceps referemus.

Clauiculæ luxatio

Clauiculam solus homo habet

Humerus summus sublaxatus

Officulum cartilaginosum

De Humero Luxato. Cap. CXIIII.

Caput brachij ad scapulæ cauitatem articulatū sæpe quidem excidit, sed neq; sursum, ob anchoræ similem scapulæ processum: neq; retrorsum, ob eādem scapulam: neq; in anteriorem partem, ob bicipitis musculi tendinē, & ipsum summum humerum. Sed raro quidem intrò & extra: assidue autē, & maxime in infernam partem, minus carnosis. Verū his facile quidem & excidit, & rursus reponitur: Carnosis uero uice uersa, tarde excidit, & difficulter restituitur. Quibusdam uero etiam non luxatis, sæpe ob plagā elapsus suspicio oborta est, eo quod inflammatio uehemens sequuta fuit. Cæterum eos quibus ad infernam partem luxatio facta sic cognoueris. Affectus humerus ad sanum collatus multū differt. Nam & summa humeri pars, unde elapsus factus est, cauus apparet: & summus humerus, uelut de ipso subluxato diximus, acutior quàm pro naturali modo uidetur: & elapsum brachij caput in ala manifeste occurrit: & huius manus cubiti gibbus magis à costis discessit. Si uero cogas ipsum, cum dolore ad costas adducitur: et neq; extento cubiti gibbo, manum ad aures adhibere possunt, neq; altum multiformem

Humerus luxatus

formem motum per ipsam facere. In pueris igitur, aut his quibus recens & non multa facta est elapsio, etiam prominenti medij digiti flexi nodo, tũ Medici, tum læsi sanę manus, si nõ puer sit, sœpe restitutio facta est, uelut inquit Hippocrates. A Verum efficaciores repositiones hæ sunt. Oportet lotum hominem, & perfusionibus magis laxantibus usum, ad terram supinum reclinare, & globum moderatum siue coriaceum, siue alium quendam, non ualde mollem ad alam adaptare, & sedentem medicum ad latus affectum, ita ut aspiciat læsum, si quidem dexter humerus affectus est, dextri pedis calcaneũ super pilam alę prius subditam accommodare: Si uero sinister, sinistri: & appræhensam manum affectam ad pedes trahere, simulq; calcaneo ad alam teniti, ita ut etiam minister aliquis retro ad alterum humerum renitatur, ut ne corpus circumtrahatur. Est etiam alius repositionis modus, per humeri suppositionem. Oportet enim iuuenem ægro longiorem, aut saltem altiorem, ad affectum ægri latus stantem, humerum suum illius stantis alæ subijcere, & manum illius extẽtam ad uentrem suum trahere, sicut reliquum læsi corpus retro eum qui humerum supposuit sublime pendeat. Si uero leuis sit æger, alius quidam leuis puer ex ipso dependeat. Dum enim manus, & reliquum corpus, æquali momento illa ante, hoc retro, deorsum trahuntur, contingit ut suppositus alæ humerus elapsum articulum immittat.

Per pistillum repositio

Quin & per pistillum appellatum hoc facimus. Est aũt lignum oblongum quod erectũ in solo supra aliud quoddam primum constituitur. Huius itaq; extremitas superna rotunda, & non ualde crassa, neq; tenuis, alę ægroti aut stantis, aut sedentis subijciatur, prout longum fuerit pistillum, & manu supra pistillum extenta ac deorsum tracta, reliquo autem corpore econtra deorsum uergente, aut sua sponte, aut alio quodam trahẽte, repositio fiat. Sed & in scalæ gradu hoc fieri potest, uelut in brachij fracti extensione dicebamus. Hic uero rotundum quoddam corpus gradui alligetur, quod alæ ægroti conuenit, et brachij caput propellere potest. B

Per crepidinẽ repositio

Si uero ob affectionis uetustatem, aut propter corporis duriciam, repositio difficultatem exhibeat, crepidinis etiam instrumento utemur. Est autem crepido lignum longitudine bicubitali, latitudine quatuor digitorum, crassitudine duorum digitorum, quod alteram extremitatem rotundam habet, & alæ cauitatem facile subit, perinde ut pistilli extremitas. Hanc igitur extremitatem linteo obligatam quo lenior fiat, brachij capiti sub alam adaptamus, totam uero manum ad lignum extentam, ad ipsum alligamus iuxta brachium, & cubitum, & summam manum. Postea supra lignum transuersum, inter duas columnas rectas adaptatum, aut rursus supra scalæ gradum, manum cum ligno transferimus, ut ala transuersim gradui adaptetur: & manum deorsum trahentes, reliquum corpus in alteram partem sublime dependere sinimus. Sic enim articulus immittetur. Post repositionem autem, moderatam pilam ex lana, si inflammatio absit, siccam: si adsit, oleo imbutam alæ subijcimus, ac deligamus, ita ut per hanc alam, & humerum, & alteram alam, fascię deligationes iuxta chiasmum ac decussationem factæ appareant, decussatione affecto humero incumbente.

Chiasmus Decussatio

Brachium uero ad costas deligamus. Cubiti autẽ gibbum cum summa manu ex ceruice appẽdimus, ut ne rursus recẽti lapsu articulus excidat. Post septimum diem & tardius facta solutione, moderata frictione utendũ est, quo corpore duriore facto, articulus difficulter elabatur. Si uero sœpe excidat articulus, aut ob humiditatem, aut uia iam ex longa consuetudine facta, ad ustionem progrediendum est, uelut antea dictum est. Quum uero fœtibus in utero, aut à partu dum adhuc augescunt, pars luxata fuerit, & non iterum reposita, in humero quidem carnes nihil à naturali modo deficiunt. Neq; enim impeditur manus in quolibet opere obeundo, os autem brachij non augescens, breuius manet; & uocantur tales anci, græcis galeancones, quasi mustellæ cubito præditi.

Anci Galeancones

In fœmore uero, & os augmentum non capit, & totum crus corrumpit. Quum enim corporis grauitatem ferre non possit

A possit, non exercetur. Sed & in alijs artubus, si luxati maneant, & non reponantur, subiectæ partes omnino læduntur.

De cubiti gibbo. Cap. CXV.

Cubiti gibbi Luxatio

QVantò magis uaria est articulatio circa cubiti gibbum, quàm circa humerum, tantò difficilior existit circa elapsus, & tardius elabitur, & difficilius reponitur, propter eminentiarum & cauitatum densitatem. Patitur igitur aliquãdo subluxationem solum. Sæpe uero etiam perfectè elabitur, iuxta omnem figuram, maxime autem anteriorem & posteriorem. Cognoscitur facile, & ad uisum, & ad tactũ, elapso occurrente in loco in quem excidit, & eo loco unde excidit cauo apparente. Hæc autẽ sani cubiti gibbi inspectio maxime declarat. Statim igitur repositionem facere oportet, antequã inflammetur. Quæ enim inflammatio præoccupauit, ægrè sanantur. Quædam uero etiã penitus, incurabilia fiunt, & præsertim si in posteriorem partem eluxatio contingit. Omnium enim luxationum quæ in cubiti gibbo fiunt, dolorosissima est & maxime periculosa ea quæ in posteriorem fit partem. Mediocres itaq; emotiones etiã moderata intensio restituit, seruis quidem manum extentam circa brachium ac cubitum tenentibus ac retrahentibus, medico uero manus suæ uola id quod excidit in naturalem sitũ protrudente. At uero Hippocrates eluxationẽ in anteriorem partem, per aceruatam manus flexionem dirigit, uolam eius ad humerum è directo impellens. Eam uero quę in posteriorem partem facta est, rursus per aceruatam et multam extensionem: quandoquidem etiam eluxationes, quæ in anteriorẽ partem fiunt, per uiolentam extensionem maxime fiunt: quæ in posteriorẽ, per uiolentam similiter flexionem. Si uero perseueret luxatio, etiam uehementiore extensione utemur. Talis autem maxime est ea quæ in fracto brachio ab Hippocrate relata est, ubi lignũ quod in foramina ligonum immittitur, assumit. Quidam ex recentioribus repositionem sic faciunt. Duobus
B ministris, uelut dictum est, extẽdentibus manum, altero supernè ad alam tenente, altero infernè ad manus articulum, medicus stans ex aduerso ipsi ægroto, ambabus uolis ad articulum brachium amplectitur, & ubi iussit pallium obuolutum oblongum, aut fasciam latam, suis manibus simulq; ægroti brachio circumdare, & ad externam partem ac deorsum ad summam manum retrahere, ipse sequens cum intẽsione constrictas manus trahit, donec cubiti gibbi articulum transgrediatur. Oportet autem prius ægri manũ oleo illinere, quo lubrica fiat, & medici uolis prompte deducatur. Sic enim ea quæ elapsa sunt, dum pertrahentium manuũ uiolentia premũtur, in proprium locum reuertuntur. Post repositionem uero, manu in angulum figurata, curatione per splenia & conuenientem deligationem utemur.

De luxatione articuli ad manum, & digitorum. Cap. CXVI.

Manũ articuli luxatio

ARticuli ad manum, & digitorum luxatio, nullam habet difficultatem, nisi cum ulceresiat. De hac itaq; dicetur, ubi de luxationibus cum ulceratione agemus. Eos uero qui absq; ulcere luxati sunt, moderata extẽsione, & curatione inflammationem arcente sanabimus.

De uerticulis spinæ. Cap. CXVII.

Verticulorum spinæ luxatio

SPinæ uerticula si perfectam luxationem sustineanr, celerrimam mortem inducunt. Neq; enim leuem compressionem spinæ medulla sustinet: quãdo sanè etiam neruorum solum ex ipsa exortus, si comprimatur, ad periculũ inducendum sufficiat. At subluxationibus sæpe apprehenduntur, & quandoq; in anteriorem partem, quandoq; in posteriorem, quandoq; in latera emotio contingit. Ex his prima Repandatio, secunda Gibbositas, tertia Obstipitas appellatur. Quum igitur multa uerticula simul paululum emota fuerint, hæc plurium simul emotio, secundum circularem flexionis circumferentiam facta apparet. Et quidam decepti, unius uerticuli multum emoti magnam emotionem esse putant, quum tamen magna emotio non rotundam, sed angularem faciat spinæ flexionem, quando etiam maius periculum imminet.

Repandatio Gibbositas Obstipitas

minet. Spinæ igitur ad interna emotio, nullo modo dirigi potest, quum ab A
anteriore parte per uentrem oppositio fieri non possit. Qui enim aut in sca-
la extendentes ita affectos, aut cucurbitas affigẽtes, aut sternutationes, aut
tusses, aut inflationes mouentes, se aliquid efficere posse putarunt, satis ab
Hippocrate conuicti sunt. Quandoquidem uero sæpe defractio quædam os-
ficulorum spinę facta, cauum efficit locum, uelut de fracturis dictum est, qui
dam hanc affectionem repandam esse putauerunt. Deinde hac breui curata:
promptè enim callus obducitur: facilem curatu Repandationem esse dixe-
runt, etiamsi penitus incurabilis, aut ęgrè admodum curabilis existat. Nam
urinarum & stercoris suppressio in hac cõtingit, & corporis perfrigeratio.
Postea uero etiam inuoluntaria recrementorũ excretio. Hæc autem ob ner
uorum & musculorum affectionem per consensum fiunt, & ita affecti cito
moriuntur, & maxime si in supernis ac circa collum uerticulis affectio con
sistat. At uero Gibbositatem ex paruo maxime puero factam, & diuturnam
esse, & non celerem mortem afferre, sed morbum inducere, eumq; incurabi
lem Hippocrates pronunciauit. In recens autem facta gibbositate ex casu,
machinamenta per scalam, & rectam ægri suspẽsionem, & utris inflationẽ,
ridicula sunt. Sola uero Hippocratis directio ac repositio sufficiet. Oportet
inquit, lignum magnum ea longitudine ac latitudine, ut hominem capere
possit, aut scamnum ligno tali æquale, ad parietem apponere in longitudi-
nem extentũ, non ampliori quàm pedis ab illo distantia, & super ipsum ue-
stimenta quædam expandere, ut ne hominis corpus frangatur. Deinde ho-
minem lotum pronum supra lignum illud, aut scamnum extendere. Et po-
stea lorum bis circum pectus obductũ per alas ad dorsum deligare, initiaq;
lori ad lignum oblongũ pistilli forma erectum alligare, & hoc ipsum in pa-
uimento ad finem subiecti ligni aut scamni statuere, & superna parte tenen
dum ministro retro ęgri caput stanti præbere, ita ut dum inferna extremi-
tas renititur, superna uero supra caput adducitur, oportuno tempore exten B
sio fiat. Alio insuper loro pedibus simul circa partes supra malleolos deliga
tis, & rursus alio partibus ad lumbos, ut huius connexio in lumbis fiat, rur
sus horum lororum extremitatibus coniunctis, & similiter ad aliud lignum
pistilli forma præditum deligatis, pistillum hoc in fine ligni aut scamni ad
pedes statuemus, quemadmodum illud prius. Atq; ita ministris ut per pistil
la extensionem in contraria faciant iubebimus. Quidam uero per appella-
Aselli, axes uocantur tos Asellos extensionem faciunt. Sunt autem Aselli, hi axes qui in erecto sta
tuto ligno uertuntur, & utrinq; ad magnum lignum siue scamnũ, iuxta pe-
dum ac capitis finem locantur, quibus lora obuoluuntur. Dum porrò ita fit
extensio, nos manuum nostrarum palma gibbositatem deprimimus, & si o-
pus fuerit, & nullus alioqui metus sit, super ipsam insidemus. At si hoc mo-
do spina non dirigatur, & ferat homo depressionem, appositum parietem
in longitudinem instar canalis excauare oportet, è regione ipsius gibbosita
tis. Vt sit rima excauata longitudine cubiti, quæ neq; altior sit, neq; humili-
or, quàm ægri spina. Imò hanc rimam prius præparatã habere oportet. Hu-
ius enim gratia etiam lignum ab initio prope ad parietem apponere iussi-
mus. Et postea tabulæ moderatæ alteram extremitatem in parietis rimam
immittimus, altera uero gibbositatem deorsum deprimimus, donec spinæ
directio sensu percipiatur. Verũ ut Hippocrates dicit, Et extensio sola absq;
tabula, & rursus sola per tabulam depressio, ad id quod opus est præstandũ
sufficit. Si uero hoc uerum est, nihil absurdi fuerit etiam in repandatione &
obstipitate, ab initio facere prædictam extensionem, citra uidelicet depres-
sionem. Cæterum post repositionem, laminam ligneam trium digitorum la
titudine, longitudine uero ea, ut & gibbum, & reliquas sanas uertebras
contegere possit, linea aut stupea fascia obuolutam, uertebris imponere o-
portet, & conuenienter deligare, ac tenui uictu uti. Quod si postea etiam
reliquiæ aliquæ gibbositatis restent, curatione per laxantia ac mollientia
medi-

A medicamenta, unà cum laminæ appressione utendum est. Quidam uero plumbea lamina utuntur.

De coxæ luxatione. Cap. CXVIII.

Quum reliqua hominis ossa quandoq; subluxationem, quandoq; etiam perfectam luxationem patiantur, coxæ & humeri coarticulatio soli luxationis emotioni subiacent, & magis coxæ, eo quòd profundam & rotundam cauitatem habet, altioribusq; marginum superciliis munita est. *Coxæ luxatio* Articulo itaq; ob uehementem aliquam uiolentiam extra propriam cauitatem elapso, prout magis aut minus hoc contingit, multæ luxationis differentiæ fiunt. Et iuxta quatuor modos, aut potius locos, coxæ luxatio cōtingit. Aut enim intro, aut extra, aut in anteriorem, aut in posteriorem partem discedit. Et intrò quidem ac extrà frequenter, & multò frequentius intrò. In anteriorem autem & posteriorē partem raro. Quibus igitur intrò luxatio facta est, his affectum crus si ad sanum comparetur, longius apparet, & genu prominentius, & iuxta inguen crus flectere non possunt, & iuxta interfœmineum tumor manifestus occurrit, nimirum capite fœmoris illic firmato. Quibus uero extra elapsum est, his contraria signa adsunt. Nam & crus breuius apparet, & iuxta interfœmineum cauatur, & ad nates in tumorem eleuatur, & genu magis intus est, & crus flectere possunt. At quibus in anteriorem partem luxatum est, hi crus citra genu dolorem extendunt, sed dum ambulare conantur, neq; ad interna procedere possunt, & urinæ ipsis supprimuntur, & inguen intumescit, & nates rugosæ ac excarnes apparent, & in progressu calcaneo innituntur. Qui uero in posteriorem partem luxati sunt, nō extendunt neq; poplitē, neq; genu, & neq; flectere possunt prius quàm inguen inflexerint. Sed & his crus breuius est, & inguen laxius, & iuxta nates fœmoris caput se ostendit. In quibus igitur ex puerili ætate, aut simpliciter mulro tempore præterito, hic articulus elapsus neglectus est, & sic mansit, in his desperata est curatio, callo membro iam obducto. Quibus uero recens luxatio cōtigit, his hippocratis curatio succurrer. Celeriter itaq; ad repositionem progredi oportet. Nam luxationes circa coxam moram trahentes, penitus incurabiles fiunt. In communi igitur in his quatuor luxationibus repositio conuenit, quæ secundum obuersionem ac circunductionem articuli fit, & quæ per extensionem. Si enim affectio fuerit recens, & affectus homo iuuenis, aliquādo fœmur præhendentes, & hac illac circūducentes, articulū immittimus. At uero intro facta luxatione, etiā crure solo accedit statim ac fortiter ad inguen penitissime flexo, successum sensimus. Si uero his non cesserit, extensione utendum est, primum per manus, ita ut alij crus infernè circa fœmur & tibiam apprehensum trahāt, alij supernè sub alis corpus apprehendant. Si uero fortiore opus fuerit extēsione, laqueis textis aut nexis, aut loris crus deligetur, omnino supra malleolum, & ut ne quid genu patiatur, etiam adhuc ipso superius. Verum partes circa pectus ligare non est necesse, sed uelut dictum est, manibus sub alas missis apprehendi fiat: & lorum molle ac forte medią sui parte ad interfœmineum adaptatum, ab anteriore parte per inguen & clauiculam, à posteriore per dorsum, ad humerum attrahimus, & ambo lori initia ministro damus. Et postea omnes simul trahentes, ut ægri corpus eleuetur, extensionem faciant. Hic modus extendendi communis est quatuor luxationis fœmoris differentijs. Verum in unaquaq; priuatim modus impulsionis uariat. Dum enim homo extenditur, si quidem intrò articulus excidit, lori circa interfœmineum mediam partē, inter fœmoris caput, & ipsum interfœmineum locare oportet, & per appositum inguen ac clauiculam ipsum lorum sursum ferre. Sit autem iuuenis quidam, qui affectū fœmur crassiore sui parte ambobus cubitis amplexus, fortiter ad externam partē trahat. Hic modus repositionis alijs facilior est. Verum si huic articulus non cedat, etiam alijs utendum est magis uarijs & efficacioribus. Extēdere enim hominem oportet in magno ligno, aut scam-

no

no,in quo etiam gibbositatem in spina habentes extendimus. Insculpantur autem per totum fermè oblongæ quædam cauernæ,longitudine & profunditate trium non amplius digitorum, quæ inter se distent spacio digitorum quatuor ad summum,quo uectis extremitate in ipsis renitente,in utram partem opus fuerit, impulsio fiat. At in medio ligno siue scamno,aliud lignum infixum sit longitudine pedali, crassitudine ligni quod lignorum foraminibus immittitur, ut dum homo extenditur, lignum hoc inter fœmoris caput & interfœmineum intercurrat. Nam & simul impediet,ne corpus his qui ad pedes trahunt concedat, & hoc contingente, sæpe neq; opus est superne in contrarium extensione, estimulq; dum extenditur corpus,lignum ipsum ad externam partem fœmoris caput expellet. Extensio uero iuxta superius dictum modum fiat, & maxime pedis. Si uero sic non repositum fuerit, lignum quidem erectum infixum tollendum est, à latere uero situs eius quē illud habuit utrinq; duo ligna infigantur uelut postes, nō minore quam pedis longitudine. His autem lignis aliud adaptetur, uelut quidam scalæ gradus,ut sit trium horum lignorum figura similis literæ græcæ. π. Hoc autem contingit, si paululum infra summa duorum lignorum capita, medium lignum fuerit adaptatum. Postea uero in sanum latus iacente homine, sanum ipsius crus inter postes sub illum ueluti scalæ gradum producimus, affectū autem crus supra ipsum gradum transferimus, ut ad ipsum fœmoris caput gradus adaptetur, instrato antea ipsi multiplici stragulo, ut ne fœmur atteratur. Aliud porrò lignum latitudine moderata, longitudine uero ea, ut à fœmoris capite usq; ad malleolum pertingat, intrinsecus subiectum ad crus deligetur. Dum autem fit extensio, aut pistillis, uelut antea in gibbositate diximus, aut aliquo alio instrumento: crus deorsum unà cum adalligato ligno trahatur, quo per hanc uiolentiam fœmoris caput in proprium locū reuertatur. Est præterea alius repositionis modus, citra extensionem in ligno, qui ab Hippocrate laudatur. Oportet, inquit, manus ægri mollitèr ad latera deligare, & pedes ambos forti ac molli loro circa malleolos & supra genua, quatuor digitorū spacio inter se distantes, ita ut læsum crus duobus digitis amplius alterum sit extentum. Et postea hominem in caput suspēdere, ut à terra ad duos cubitos absit. Quo facto iuuenis quidam peritus suis cubitis læsum fœmur apprehendat qua crassissimum est, ubi etiam caput fœmoris extat, & derepente ad suspensi hominis corpus se appendat. facile enim ita articulus ingredietur. Hic repositionis modus præ omnib. alijs simplicissimus est, ut qui non per multum apparatum fiat. Sed plerique ipsum uelut miserabilem repudiarunt. At si extra luxatio fiat, extendatur quidem homo uelut superius. Verum lorum ad interfœmineum per oppositas partes, inguen uidelicet & clauiculam, ferre conuenit. Medicus autem ab externa parte ad internam propellit, uecte iuxta conuenientem cauernam ex his quæ insculptæ sunt renitente, & ministro ad sanam natem obnitēte, ut ne cedat. Quòd si in anteriorem partem facta sit luxatio, dum extenditur homo, uir quidam robustus dextræ manus suæ uola in affectum inguen posita, altera manu cōprimat, ita ut deorsum, & ad genu depressio fiat. Si uero in posteriorem partem facta est luxatio, non ut in sublime eleuetur, hominem extendere oportet, sed supra solidum quiddam decumbat, sicut etiam quum extra facta est luxatio. Quemadmodum autem dictum est de gibbositate, supra lignū aut scamnū pronus homo extendatur, non ad lumbos, sed in crure uinculis iniectis, uelut paulò ante dictum est. Vtendum est etiam depressione per tabulam ad nates, ubi etiā articulus prolapsus extat. Atq; hæc quidem de his qui ab extrinsecus lacessente causa, coxam luxatam habent. Quandoquidem uero etiam ob humoris multitudinem, uelut humerus, ita etiam coxa excidit, ustione ad hoc utendum est, quemadmodum suo loco de ipsa diximus.

Instrumentum formæ literæ π

De genu luxatione. Cap. CXIX.

Genu luxatio

Genu tribus modis excidit. Intro, & extra, & ad poplitem. Nam in anteriorem

riorem partem ne excidat, à patella prohibetur. Eisdē igitur extensionis mo
A di, quandoq; per solas manus, quandoq; etiā per laqueos usi, prout conue-
nit deligabimus, ac reliquam curationem adhibebimus, ita tamen ut pars
diutius asseruetur, ne ullum motum faciat.

De malleoli luxatione, ubi etiam de digitis pedum. Cap. CXX.

COarticulatio iuxta malleolum si modice emota fuerit, per moderatā eti- *Malleoli luxatio*
am extensionē curatur. Vbi uero perfecte luxata est, maiore coactione
eget. Conandum igitur & hic fortiore extensione per manus uti. Si uero re
positio non fiat, homine supino in terrā prostrato, inter duo fœmora ad in-
terfœmineum, lōgum quendam ac ualidum paxillum in altū erectum in ter
ram defigemus, quo ad ipsum corpus renitens, ad extensionem pedis non
cedat. Imò potius antea quam homo reclinatur, defigatur. Quòd si adsit ma
gnum illud lignum, quod in medio pedale lignum infixū habere diximus,
in hoc extensio fiat. Ministro autem fœmur tenente & retrahente, alius mi
nister manibus aut etiam per lorū trahat pedem. Medicus autem manibus
dirigat luxationem. Sed & alterum pedem alius infernè teneat. Post reposi
tionem deligatio tuta fiet, fascijs partim ad summum pedem partim ad mal-
leolum obductis, ita ut uitemus ne retrò ad calcaneum tendinem adstringa
mus. Et homo ad quadragesimū diem asseruetur ne ambulet. Nam hi si ante
perfectam curationem ambulare conentur, parti functionis difficultatē in-
ducunt. At uero si quis ex saltu, uelut contingere solet, calcanei os emouis- *Calcanei ossis*
set, aut etiam aliam quandam inflammatoriam affectionem incidisset, leni *luxatio*
quadam extensione, & conformatione, & irrigationibus inflammationem
arcentibus, & firmis deligationibus hoc corrigat, homine similiter in quie-
te seruato usq; ad integram restitutionem. Sed & digitorū in pedibus emo- *Digitorum pe*
tionem, uelut in manibus diximus, non difficile est moderata extensione re *dum emotio*
ponere. In omnibus porro luxationibus ac subluxationibus, post repositio
B nem & quietis dies, permanentem in articulis inflammationem aut tumo-
rem, quæ etiam diuturnas functionis difficultates inducunt, mollientibus
medicamentis ad hoc paratis sanabimus, quorū materiam nemo ex his qui
artis opera tractant ignorat.

De luxationibus, cum exulceratione. Cap. CXXI.

IN Luxationibus cum exulceratione multa prudentia opus est. Nam hæ si *Luxatio cum*
reponantur, extrema pericula, quandoq; etiam mortem inducūt. Inflam- *exulceratione*
matis enim præ tensione neruis ac musculis propinquis, dolores uehemen-
tes & conuulsiones ac febres acutæ succedunt, maxime in cubiti gibbis, ac
genibus, & superioribus articulis. Quanto enim principalibus partibus
sunt uiciniores, tanto maius periculum inducunt. Hippocrates itaq; horum
& repositionem penitus reprobat, & uehementiorem deligationem, solisq;
inflammationem arcentibus & mitigatorijs auxilijs in principio uti iubet.
Sic enim fortassis uita ipsis cōtigerit. Quod uero ipse in solis digitis consu-
lit, hoc nos etiam in omnibus reliquis articulis facere conabimur, & statim
ab initio, parte nōdum inflammata, articulum elapsum per moderatam ex-
tensionem reponemus. Et si quidem iuxta scopum successerit, in solius in-
flammationem arcentis ductus usu perseuerabimus. Si uero inflāmatio ali-
qua, aut conuulsio, aut aliquid ex prædictis accesserit, rursus eijcere ipsos
oportet, si quidem citra uiolentiam remiserint. Si uero & hoc periculum re
uereamur: fortassis enim non remiserint inflammati: melius fuerit in maio-
ribus articulis repositionem differre. Vbi uero inflammatio deferbuit: hoc
autem contingit post septimum aut nonum diem: tunc prædicto repositio-
nis periculo, & quòd si non reponatur, manci omnino in posterum uiuent,
conabimur citra uiolentiam facere aggressionem, uectis etiam usu, quo fa-
cilius id fiat, adhibito. Cæterum ulceris curationem, uelut in
fracturis cum ulcere dictum est, fa-
ciemus.

De Luxatione unà cum fractura facta. Cap. CXXII.

Luxatio cum fractura SI cum fractura abſq; ulcere luxatio fiat, communi extenſione, & per manus compoſitione utendum eſt, uelut in ſimplicibus fracturis dictum eſt. Si uero etiam cum ulcere, ex his quæ de fracturis ac luxationibus priuatim dicta ſunt, conuenientem aggreſſionem facere oporter. A

SEPTIMI LIBRI CAPITA.

In hoc ſeptimo ac ultimo totius tractationis libro, de medicamentorum omnium tum ſimplicium, tum compoſitorum facultate agitur, quorum maxime in ſuperioribus ſex libris mentionem fecimus. Horum ordo ſic ſe habet.

PAVLI AEGINETAE REI MEDICAE LIBER VII. [redacted]

Medico Phyſico interprete.

De temperamentis quæ à guſtus qualitatibus indicantur.
Caput I.



Odorum ratio DE ſenſilium corporum temperamento coniecturam facere, neq; ex odore firmum eſt: Nam quæ inodora ſunt, craſſam quidem ſubſtantiam habent, ſed nondum conſtat, quomodo in caliditate ac frigiditate ſe habeant. Odora uero, tenuia quodā modo ſunt, & calida, quantitatē tamē tenuitatis, aut caliditatis non indicanr: eo quod inæqualis ſit ipſorum ſubſtantia: Adhuc uero magis neq; ex co- *Colorum ratio* loribus exacte colligere licet, per ſingulos enim colores inueniuntur & cali- *Saporis ratio* da, & frigida, & ſicca, & humida. At uero in guſtu, omnes partes corporum ſapore præditorum linguæ occurrunt, & ſenſum mouent, ut ex ipſo manife

ſtē eti

A ste etiam facultates ipsorũ in temperamentis reperiantur. Quod igitur adstringit, id ipsum cogere, obstruere, densare, repellere, & crassefacere, insuperq; ad hæc omnia, frigefacere & siccare potest. Quod uero acidum est, secare, diuidere, attenuare, aperire & perpurgare, citra calefactionem. Quod autem acre est, similia acido facit, attenuando & purgando. Differt autem in eo, quòd acidum frigefacit, acre calefacit. Et amplius in eo, quòd acidum repellit, acre attrahit, discutit, effringit, & crustas inducit. Sic uero etiam quod amarum est, perpurgat meatus, & extergit, & attenuat, & secat crassos humores, citra manifestam caliditatem. Quod aquosum frigidum est, densat, compingit, cogit, obstruit, mortificat, & stupefacit. Quod salsum, cogit, adstringit, conditum asseruat, siccat, citra insignem caliditatem, aut frigiditatem. Quod dulce est, laxat, cõcoquit, mollit, rarefacit. Quod oleosum est, humectat, mollit, laxat.

De ordine & distantia temperamentorum. Cap. II.

Temperamentum mo.

MOderatum medicamentum, ita ut similis sit temperamenti cum eo cui adhibetur, in eo quòd neq; siccat, neq; humectat, neq; frigefacit, neque calefacit: hoc ipsum neq; siccum, neq; humidum, neq; frigidum, neq; calidũ nominare conuenit. Quod uero siccius est, aut humidius, aut calidius, aut frigidius, hoc à prædominante facultate appellatur. Satis autem est, ut in unoquoque prædominio, quatuor, quantum ad usum attinet, ordines faciamus. Sic ut calidum nominemus in primo ordine, quod nos calefacit, non tamen euidenter, sed ut opus sit rationali quadam demonstratione. Sic autem & frigidum, & siccum, & humidũ, quod demonstratione indiget, nondum actionem fortem & euidentem habens. At uero quæ manifestè iam siccare, aut humectare, aut calefacere, aut frigefacere possunt, talia secundi ordinis esse dicentur. Quæ uero iam uehementer quidem, non tamen ad summum, tertij. Quæ uero ita calefaciunt, ut crustam inducant, & urant, quarti.

Ordines 4. temperamentorum

B Sic etiam quæ frigefaciunt, ut iam mortificent, quarti ordinis & hæc sunt. Cæterum siccans medicamentum quarti ordinis nullũ reperire datur, absq; hoc ut urat. Nã si quod summè siccat, hoc omnino urit. Talia uero sunt chalcitis, & misy, & calx. Tertij tamen ordinis siccantium esse aliquod potest etiam non urens, quemadmodũ quæ uehementer adstringunt omnia, de quorum numero est omphacium, Rhus, & alumen.

De facultatibus particularium simplicium medicamentorum. Cap. III.

Simpliciũ medicamentorum facultates

ABrotonum calefacit & siccat in tertio ordine, estq; discussoriæ ac sectoriæ facultatis, paucissima enim participat acerbitate, & si affricetur cũ oleo per totum corpus, rigores per circuitũ repetentes sanat. Est autem stomacho noxium. Vstum uero magis quàm nõ ustum siccans, alopecias sanat, cum tenui aliquo oleo illitum. Agallochũ lignum est indicum, Thyię ligno simile, odoratum, quod commansum gratum oris odorem facit. Est etiam suffimentum. Radix eius drachmæ unius pondere pota, nimiam stomachi humiditatem ac exolutionem sanat. Sed & hepaticis, & dysentericis, & pleuriticis conuenit. Agaricum radix, est appendix è trunco exorta, compage laxa, ex aereâ ac terrea substantia composita, uim habens discussoriam & sectoriam crassorum humorum. Et obturationes in uisceribus maxime repurgat. Ageraton facultatis est discussoriæ, & leniter quodãmodo inflammationem arcentis. Agnus siue lygos, hoc est uitex, calfacit ac siccat in tertio ordine. Est autem tenuium partium, & flatus discutit. Vnde etiam ad castitatem facere creditur, non modo in cibo ac potu acceptus, sed etiam substratus. Semen ipsius ad hepatis ac splenis obturationem facit potum. Si uero torreatur, minus flatuosus est, & facile distribuitur.

Thyiæ lignum

Lygos Vitex

Agrostis, id est gramen, ex parnasso maxime utile est, siccat & moderate refrigerat, & tenuẽ, & subacerbum est. Quapropter uulnera cruenta glutinat. Et decoctum ipsius lapides frangit. Anchusæ quatuor non eiusdẽ omnes facultatis sunt. Quæ enim Onoclea appellatur, adstringentem &

Gramen

Onoclea

subamaram radicem habet. Vnde splenicis & nephriticis prodest. In cataplasmate cum polenta erysipelatis conuenit. folia minus quàm radix frigefaciunt ac siccant. Quapropter etiam ad alui profluuium bibuntur. A

Lycapsos At Lycapsos magis quodammodo adstringens, similiter erysipelatis cõducit. *Alcibiadios* Onochilos autem quæ & Alcibiadios, uim habet magis medicatam, *Onochilos* & à uipera morsis prodest, in cataplasmate imposita, & alligata, & in cibo accepta. Quarta uero quæ ferè sine nomine est, & reliquis minor, amarior autem quàm Alcibiadios, ad latos lumbricos conuenit, acetabuli mensura pota. Adarce uelut spuma quędam est aquę salsæ, scortis ac arundinibus circumpacta. Est autem acerrima & calefactoria, ut propemodum urat, si cum alijs foris adponatur. Nam intra corpus ut sumatur, fieri non potest.

Adiantum siccat, attenuat, discutit moderate. Vetum in medio quodãmodo est calidi & frigidi. Itaque alopecias sanat, & tumores discutit, & lapides atterit potum, & ex pulmone eductiones siccat, & fluxum alui sistit. *Semperuiuum* Aizoon, id est, Semperuiuum ex tertio ordine frigefacit. Siccat autem & adstringit moderate. Qua de causa etiam ad ignes sacros, & herpetas, & inflammationes ex fluxione conuenit. Aetonychon in lapidum tractatione refertur. Athera pulticula est sorbilis, ex molita Zea aut ex frumento parata, pueris conueniens. Competit etiam in cataplasmata.

Auena erratica Aegilops, id est Auena erratica, discussoriam uim habet. Vnde etiam inflammationes induratas, & ægilopas sanat. Aegirus hoc est populus *Populus nigra* nigra, tertio quidem ordine calefacit, sed siccat moderatè, & est tenuis suis partibus. Huius folia cum aceto imposita podagricos dolores sedant.

At resina ipsius quia floribus calidior est, acopis & malagmatis miscetur. Fructus autem cum aceto potus comitialibus prodest.

Pudendũ cerui Aedoeon, id est pudendum cerui masculi, siccatum, & tritum, cum uino potum, morsis à uipera auxiliatur. Miscetur etiam compositis medica- *Fuligo* mentis. Aethale, id est fuligo, quæ etiam Lignys appellatur, in litera. L. refertur. B Aethiopis folia habet uerbasco similia. Radicis eius decoctum potum coxendicibus opitulatur, pleuriticis item ac sanguinem spu- *Sanguis* entibus, & arteriæ asperitati cum melle. Aema, id est Sanguis frigidus nullus est, sed Suillus humidus est, & minus calidus, temperamento maxime similis humano. Columbinus autem, & palumbi, & turturis, quum temperatus quodammodo sit, suffusos ex plaga oculos sanat, si calidus instilletur. Et si in perforata caluaria membranæ crassæ infundatur, inflammationem arcet. Noctuæ sanguis cum uino aut aqua potus, spirandi difficultati opitulatur. Vespertilionum mammas uirginum tuetur, & si illinatur pilorum exortum arcere dicunt. Eodem modo etiam ranarum sanguis, & chamæleontis, & ricinorum in canibus. Galenus tamen facto rei periculo, hæc ementita esse dicit. Caprinus ob siccitatem aqua inter cutem laborãtibus prodest, si cum melle bibatur: & renum calculos atterit.

Gallinarum domesticarum sanguis, eruptiones sanguinis ex cerebri membranis cohibet. Agninus comitialibus prodest, Hœdinus recens coagulatus dimidiæ heminæ mensura cum pari aceto potus, sanguinem è thorace educentes sanat. Vrsorum & caprarum syluestrium, & hircorum, & taurorum abscessus maturare dicitur. Terrestris crocodili sanguis uisum acuit. Equorum admissariorum in compositiones erodentes miscetur.

At uero antidotus ex sanguinibus, quæ contra letalia medicamenta da- *Lolium* tur, anatis, & hœdi, & anseris sanguinem recipit. Aera, id est lolium, calfacit ac siccat prope ad tertium abscessum siue distantiam à temperatis, ut quod facultate iridi par sit. Acacallis fructus est fruticis in Aegypto nascentis, cuius cremor collyrijs ad acuendum uisum destinatis miscetur.

Acacia tertij ordinis est siccantium, primi frigefacientium. Si uero lota *Vrtica* fuerit, secundi. Est autem acerba & terrea. Acalyphes, id est urticæ & semen, & folia, tenuium sunt partium, & citra morsum siccant, tumoresq; discu-

discutiunt, ac extergunt, & uentrem subducunt. Moderate uero flatuosa sunt. Quare etiam ad uenerem concitant. Acanthus, quem alij melamphyllum, alij pæderota uocant, facultatem discussoriam ac siccatoriam habet. Acanthium tenui ac calida facultate præditum, conuulsis auxiliatur. Acantha leuca, id est spina alba, radicem siccantem & moderate adstringentem habet. Quare & stomachicos, & sanguinem spuentes, & dentium dolores iuuat. Semen autem tenuis & calidæ est facultatis. Vnde etiam conuulsionem sanat. Acantha Aegyptia, aut ut alij Arabica, ualde adstringentis ac siccantis est facultatis. Vnde & sanguinem, & alias fluxiones sistit. Acinos, id est Ocimastrum, simile est ocimo, & moderate adstringit. Vnde aluum sistit & menses pota. In cataplasmate uero imposita, panos & sacros ignes iuuat. *Melaphyllon* *Pederos* *Spina alba* *Ocimastrum*

Aconitum quod Pardalianches uocant, et odentis ac uenenosæ est facultatis. Vnde intra corpus assumendum non est, foris autem in his carnibus quæ erodi postulant, ipso utendum est. Quod uero Lycoctonon appellat, eiusdem est cum superiore facultatis, sed priuatim lupos occidit, quemadmodum illud pardos. Acorum calfacit ac siccat in tertio abscessu. Vtimur radice ipsius ad ciendas urinas, & ad induratum splenem. Attenuat etiam corneæ oculorum tunicæ crassitudinem. *Pardalianches* *Lycoctonon*

Acrides, id est Locustæ suffitæ difficultatem mingendi maxime in mulieribus iuuant. Verum locusta quæ alas non habet, à scorpio ictis auxiliatur pota cum uino. Acte magna, id est Sambucus, & chamæacte, id est Ebulus, utraque siccatoriam uim habet, & moderate discussoriam ac glutinatoriam. Quod si bibantur aut edantur, aquam per uentrem ducunt. *Locustæ* *Sambucus* *Ebulus*

Ales, Sal omnis multum siccantem ac adstringentem uim habet. Vnde quicquid humidi in corporibus est, id totum depascitur. Quod uero reliquum est, adstringendo compingit. Quapropter etiam condita afferuat, & à putrefactione tuetur. At ustus Sal maiorem discutiendi uim habet. *Sal omnis*

B Althæa siue Ebiscus, species est maluæ syluestris, discussoria, laxatoria, inflammationem arcens, mitigans, tubercula maturans. Radix autem & semen, reliqua quidem intensa habent, Sed & uitiligines detergunt. Semen uero etiam calculos atterit. Alimon dissimilarium partium est, salsum & sub astringens. Plurima ipsius pars calida est temperata, cum humiditate quæ confici non potest. Lac itaque & semen gignit. *Ebiscus siue hibiscus*

Alcæa syluestris itidem maluæ species est. Cum uino autem pota dysentetias & rosiones sanat, & magis radix ipsius. Alcyonia omnia deterg unt ac discutiunt, acremq́ qualitatem habent. Verum Milesium (Est autem uermi simile & purpureum) optimum est. Quapropter etiam ustum alopecias sanat, & impetigines ac uitiligines detergit. Quod uero superficiem leuem habet, acerrimum est, non solum detergens, sed etiam excorians. Quod autem lanis succidis simile est, omnium debilissimum est.

Alme, id est Muria, si nullam aliam substantiam ammixtam habet, similem sali uim habet, sed debiliorem, ob aquæ mixturam. At salsorum pisci um, & oliuarum colymbadum muria, magis extergentem uim habet. Iraque coxendicum morbo laborantibus, & dysentericis infunditur. *Muria*

Aloe primo abscessu calfacit, tertio siccat. Commodat stomacho, extergit, discutit, & ex aluo stercora expellit. Lota uero minus extergit, sed magis stomacho commodat, inflammationesq́ arcet, & ulcera ad cicatricem perducit, maxime quæ in sede ac pudendo existunt.

Alos anthos, id est flos salis, liquidum est medicamentum, magis tenuium partium quàm sal ustus. Satis item acre est ac discussorium. *Flos salis*

Alos achne, id est Salis spuma, spumosa salis efflorescentia est, magis tenuium partium ac discussoria quàm ille, sed minus compingit. *Spuma salis*

Alsine quæ & auricula muris, helxinæ similem uim habet, frigefacientem & humectantem. Quare ad feruentes inflammationes conducit. *Auricula muris*

Alypi semen atram bilem deorsum purgat, si pari copia uelut epithy-
mum sumatur, cum sale & aceto. Verum intestina leuiter exulcerat.

Alysson nomen ex eo habet quòd à cane rabido morsis auxiliatur. Quũ
autem siccantem & discussoriam ac extersoriam uim habeat, thenes ab ob-
Vulpes turatione liberat, & maculas solares extergit. Alopex, id est uulpes ani-
mal, tota in oleo uiua aut mortua cocta, discussorium efficit oleum, quod
humores ex profundo ad superficiem trahit. Vnde qui in solium suderunt,
& in hoc arthriticos locarunt, ut diutius immorarentur, affectionem inci-
pientem sedarunt, inueteratam uero moderatiorem fecerunt.

Amaracum calefacit ordine tertio, siccat secundo. Amarantum atte-
nuat, & secat. Mẽses itaq; ducit potum cum uino, & sanguinis grumos dis-
soluit cum uino mulso: omnes item fluxiones siccat stomacho infestum.

Ambrosia in cataplasmate imposita, uim habet adstringentem ac repel-
lentem. Ammi tertij ordinis est calefacientium ac siccantium. Est & te-
nuium partium & discussorium, & urinam ciet. Semen autem maxime uti-
le est. Amiantum in Cypro gignitur simile alumini scisso, quod flammã
quidem ab igne concipit, non autem uritur. Quidam ipso in psilothrasic-
Arena cantia utuntur. Ammos, id est Arena, quę quidem in littoribus maris est,
multum siccat. Feruefacta itaq; à sole, aquosa corpora in ipsa obruta exsic-
cat. Torrefacta uero siccum fomentum præbet, pro milio & sale.

Ammoniacum thymiama succus est mollientis facultatis intensę. Vnde
scirrhos & tofos dissoluit. Amurca secundi ordinis est calefacientium
ac siccantium intensi. Hac itaque ratione ulcera in siccis quidem corpori-
bus curat. In alijs autem auget & exacerbat. Ampeloprason uelut sylue-
stre porrum est, acerrimum & calidissimum ad extremum ordinem. Vn-
de etiam lædit. Secandi item uim habet, & ab obturatione liberat, & stoma
Vitis syluestris cho ingratum est. Ampeli, id est uitis syluestris racemi & uirgulta exter
soriam uim habent. Et adstrictorij quiddam possident. At uitis satiuæ simi-
Vitis alba lis quidem facultas est, sed debilior. Vitis albæ, quàm & bryoniã et psilo-
Bryonia thrum uocant, germina quidem uelut stomacho grata eduntur, & urinam
Psilothrum cien.t Radix autem extersoria & tenuium partium est, ac moderate calida.
Quapropter & splenes pota consumit, & foris cum ficubus imposita scabi-
Vitis nigra es & lepras sanat. Vitis autem nigra, quæ & ipsa bryonia appellatur, prædi
ctæ similis est, sed debilior. Amygdalæ amaræ attenuant, & ab obturatio
ne à crassis ac uiscosis humoribus in profundo inducta liberant, & cutis ui-
tia detergunt. Sed & arbor ipsarum eandem uim habet. At uero dulces mo
deratè calidæ sunt. Amylum ex tritico fit puro, quod in aqua sub ardori-
bus canicularibus maceratur, quæ aqua quinquies in die diffunditur. Post-
quàm autem mollissimum factum fuerit excolatur, & rursus affusa aqua fur-
fures separantur, & in sole siccatur cito prius quàm acescat. Vim habet per-
frigeratoriam moderate, & siccantem, & acrium mitigatoriam.

Amomum uim acoro similem habet, sed acorum siccius est: hoc autẽ ma
gis concoquit. Anagallis utraque facultatis est multum extersoriæ, habens
etiam quid subcalidum & attractorium, ut & aculeos extrahat, & succus
ipsius è naribus purget. Anagyrus frutex est graue olens & acris, cali-
dæ ac discussoriæ facultatis. Semen autem tenuius est, & uomitum ciet.

Portulaca Andrachne, id est portulaca frigefacit tertio abscessu, humectat secun-
do. Ideò sanè & ardoribus prodest uentri imposita, & fluxiones repellit. Vi
scositate item sua dentium stuporem ex acidis inductum leuigat. Verum
ob adstrictionem, & dysenterijs, & sanguinis eruptionibus prodest.

Ascyrron Androsæmon duplex est, alterum ascyrrum uel ascyrroides nominatur,
Dionysias & est hyperici species: alterum dionysias. Semen ipsorum purgat. Folia ue-
ro magis siccant. Androsaces amara & acris herba est, discutiens ac
siccans. Et ipsa, & semen ipsius in potu urinam ciet.

Anemonæ omnes acris & extersoriæ, attractoriæq; ac oscula uasorum
aperientis

A aperientis sunt facultatis. Vnde pituitam alliciunt, & lepras remouent si ap
ponuntur: & lac attrahunt. Anethum calfacit secundo ordine intense,
siccat propè. Hoc si in oleo coquatur, discutit, dolorem eximit, somnum in-
ducit, & crudos tumores concoquit. Vstum autem tertij ordinis calefaci-
entium ac siccantium euadit, & nimium humidis ulceribus inspersum pro-
dest. Humidius uero, & minus calidum ac concoctorium, est uiride.

Anthyllis duplex est. Ambæ autem siccant ulcera. Quæ uero similis est
chamæpityi, magis tenuium partium est, ut etiam comitialibus conueni-
at. Est etiam magis exrersoria. Anisi semen acrius est, calfaciens ac sic-
cans in tertio abscessu. Ideoq; & urinam ciet, & flatus discutit.

Antirrhinon siue Anarrhinon similē bubonio uim habet, sed defectiuo *Anarrhinon*
florem. Ex illo igitur etiam de hoc disces. Anonis aut Ononis calidam *Ononis*
uim habet, maxime in radice. Huius succus potus cum uino urinas ciet, & *Philanthro-*
calculos atterit, & crustas rumpit, & dentes mitigat. Aparine quam alij *pos*
philāthropon, alij omphacocarpon uocant, moderate detergit ac siccat. Ha *Omphacocar-*
bet etiam quid tenuium partium. Apios, id est pirum, temperamento *pos*
inæquale est, partem terream habens, partem aqueam. Quare si edatur, sto *Pirum*
macho commodat, & sitim eximit. Si uero in cataplasmate imponatur, sic- *Cynocrambe*
cat & moderate perfrigerat. Apocynon, aut cynocrambe, id est brassi- *Brassica ca-*
ca canina, dicitur etiam Cynomóron, quoniam citissime canes occidit. Est *nina*
autem & hominibus uenenum. Hæc ualdè grauiter olet, & calida est, citra *Cynomoron*
siccitatem. Vnde etiam in cataplasmatis discussoriam facultatem habet.

Apochyma pix est quæ uetus iam nauibus deraditur. Diffundit autem *Pix naualis*
& siccat ac discutit tumores. Araneum animal commolitum emplastro,
& impositum fronti, ac temporibus tertianos circuitus exoluere dicit Dio-
scorides. Tela ipsius imposita sanguinis eruptionem sistit, & ulcera in su-
perficie absque inflammatione conseruat. Argemone extersoriæ ac dis-
B cussoriæ est facultatis. Arisaron & minus est multò quàm arum, & a-
crius. Habet autem radicem oliuæ magnitudine. Aristolochia omnis
calida & tenuium partium est, & extersoria, & amara, & subacris, & ad me
dicinas utilissima. Verum rotunda magis tenuis est, & per omnia efficaci-
or. Clematitis autem odorata quidem est, sed debilior. Longa uero in reli- *Clematitis*
quis medium inter has locum obtinet, sed calida non minus quàm rotunda
est. Arceuthos, id est Iuniperus calefacit ac siccat in tertio ordine. Fru- *Iuniperus*
ctus autem calefacit quidem similiter, siccat autem ordine primo.

Arcion quæ & prosopites, id est personata uocatur, folia colocynthi- *Prosopites*
dis folijs similia habens, sed maiora & duriora, discutit & siccat, & adstrin- *Personata*
git. Quare etiam folia ipsius uetera ulcera sanant. Arction uerbasco si-
mile est. Radicem habet teneram & albam ac dulcem. Tenuis autem & sic-
cantis ac moderate extergentis facultatis est. Armeniacum uim habet
extersoriam, cum modica acrimonia, & pauciore adhuc adstrictione. Qua
propter ocularibus compositionibus miscetur Et pilos in palpebris auget.

Arnabo ex aromaticis est unde maxime in ungēta miscetur, ut quod ca-
lidę ac siccę sit facultatis in tertio ordine, cassiæ ac Carpesio simile. Vnde e-
tiam Posidonius, cinamomo non pręsente, hoc usum se esse dicit. Arno- *Posidonius*
glossum, id est plātago, frigefacit simulq; siccat in secūdo abscessu, ex aquo *Plantago*
sa & terrea substantia mixta est, adstringens etiam quid habens. Quapro-
pter ad maligna ulcera, & ad fluxiones, & ad putredines conuenit. Et ob
temperamenti commoderationem etiam sanguinis eruptiones cohibet, et
plurimis competit. Nam & siccitate non mordente participat; et frigidita-
te nōdum stupefaciente. Aron primi est ordinis in calefaciēdo ac siccando.
Estq; & hoc ex terrea substantia & calida ac extersoria conflatum. Radices
aūt ipsius calidiores sunt. At uero Dracontion fortius est. Arsenicū usto- *Dracontium*
riam uim habet. Vtūtur ipso etiā ad obolendos pilos. Si uero diutius adhæ-
serit, etiā ipsam cutē contingit. Vstū autem magis tenuium partium euadit.

Artemisiæ ambæ calefaciunt secundo ordine, siccant primo. Sunt etiam A
tenuium partium, ut etiam calculos in rhenibus atterant, & uterorũ fomen
Panis tis conueniant. Artos id est panis si in cataplasmate imponatur, magis
discutit quam pro tritici facultate, ut qui & sale, & fermento participet. Nã
Fermentum quę in profundo hærent fermentum attrahit. Asarum similem acoro uim
habet, sed magis intensam. Asbole id est fuligo qua pictores utuntur, ex ui-
Fuligo pictorũ trarijs sumitur officinis, & facultatis discussoriæ & acris est, ut & urat, & e-
rodat. Vsta uero ad cicatricem perducit cum rosaceo cerato. Ascalabotes
Stellio id est Stellio animal, ad reliqua quidem inutile est. Verum à scorpio ictis au
xiliari ipsum impositum aiunt. Miscetur etiam medicamentis intendendi
membri uitilis facultatem habentibus. Asclepias ualida & sicca & tenui-
um partium existens, torsionibus in uino pota conuenit. In cataplasmate ue
ro imposita ad ferarum uenenatarum morsus facit, & ad maligna in utero
ac mammis ulcera. Ascyrron in Androsęmo dictum est. Aspalatus facul
tatem partium dissimilium habet, utpote acris, & adstringens, & per utraq;
siccans. Quapropter ad putredines, & fluxiones utilis est. Asparagus pe
træus aut myacanthinus, extersorius est. Inter caliditatem & frigiditatem
medius, rhenes & hepar ab obturatione libetat, & maxime radix ac semen.
Dentium item dolores sanat. Asplenum tenuium partium uim habet, non
Vua passa tamen calidum est. Hac itaq; ratione & calculos atterit, & splenes consu-
mit. Astaphis id est uua passa, satiua quidem concoquendi simulq; ad-
stringendi ac discutiendi leniter, facultatem babet. Syluestris uero acris
fortiter est, adeò ut pituitam detrahat, & uehementer extergat. Aster At
Bubonion ticus, quem aliqui bubonium, id est inguinariam uocant, eo quòd non so-
Inguinaria lum imposita, sed etiam appensa inguinum tumores sanare credita est: mi-
xtam habet facultatem discussoriam ac perfrigerantem. Astragalus fru-
tex est exiguus, habens radices adsttingentes, non ingenerose siccans. Vl-
cera itaque uetera ad cicatricem perducit, & aluum sistit Radix cum uino B
pota. Plurimus autẽ in pheneo Arcadiæ nascitur. Asphaltus id est Bitu-
Bitumen men siccat & calfacit secundo ordine. Quapropter cruẽta uulnera glutinat.

Asphodeli radix extersoriam ac discussoriam uim habet. Cinis autem i-
psius ustæ calidior & siccior, & magis tenuium partium euadit. Quare eti-
Cnicus syluestris am alopecias sanat. Atractylis siue Cnicus syluestris, ex spinosorum ge-
nere est, siccantem & moderate calidam uim habens. Atriplex humectat
ordine secundo, frigefacit primo. Quapropter etiam per uentrem permeat.
Semen ipsius extersoriæ est facultatis. Vnde etiam morbo regio ex hepatis
obstructione oborto utilis est. Aphace adstringentem facultatem uelut
lens habet. Si uero edatur, magis ægrè quàm lens concoquitur. Vehemen-
tius autem resiccat, simulq; moderatè calefacit. Aphronitrum discusso-
riæ ac extersorię est facultatis, ut non solum sordida exrergat, sed etiam pru
Spuma nitri ritum sanet. Potum uero stomacho noxium est. Apheos nitri id est Spu-
ma nitri, similem nitro uim habet, sed substantiam tenuiorem. Quapropter
Pirũ syluestre etiam leuis est uelut farina. Achras id est pyrum syluestre, similem piro
satiuo uim habet, sed magis intensam. Vnde etiam uulnera magna gluti-
nat. Absinthium calidum est primo abscessu, siccum tertio, adstringen-
tem & amaram, & acrem qualitatem simul adeptum. Quapropter etiam bi
liosos in uentre humores, & per uentrem, & per urinas euacuat. In quibus
autem pituita abundat, his propter adstrictionem nihil prodest. Succus au
tem herba longè calidior est.

Incipientia à litera. Β.

Balani myrepsicæ id est gladis ungentariæ pars interna uelut carnosa,
Glans ungentaria extersoriam simulq; incisoriam cum adstrictione uim habet. Quare cum a-
qua mulsa pota drachmæ pondere, uomitum ciet, & infernam aluum subdu
cit. Cum posca uero ad uiscera obstructa conuenit. Cutis etiam uitia cum
aceto illitum extergit. Cortex autẽ ipsius ualdè adstringit. Baccharis bo
ni

A ni odoris herba est similis cinamomo, coronaria & acris. Huius radix decocta obturata reserat, & urinas ac menses mouet. Folia ipsius adstringunt, & fluxionibus prosunt. Balaustium flos est mali punicæ syluestris, ueheme̅ter adstringens, siccamq; ac frigidam uim habens. Vlcera itaq; superficiaria ad cicatricem perducit, & fluxiones sistit. Balsami id quod uelut lignum est, siccat & calefacit secundo abscessu. Est & tenuium partium. Succus autem eius multo tenuior est. Fructus similis quidem est facultatis, sed minus tenuis. Ballote quam Marrubium nigrum uocant, acris & exterforiæ est facultatis. In cataplasmate itaq; impositum cum sale à carne morsis prodest.

Flos mali punicæ syluestris

Marrubium nigrum

Bati id est rubi, fruticosa pars multum adstringit & siccat. Quare & uulnera glutinat, et fluxiones sistit. Radix autem ad hoc quod adstringit, etiam non modice tenuium partium est. Ex quo etiam calculos in rhenibus atterit. Fructus autem si maturus est, calidior est cum moderata adstrictione, ideoq; etiam editur. Immaturus autem acerbus est, & uehementer resiccat, maxime siccatus. Similiter etiam flos. Batrachium id est rañculus herba quatuor differentias habet. Omnes autem calidæ & siccæ excellenter sunt facultatis, acrisq; ac ustoriæ, ut exulcerent cum dolore. Quòd si quis moderate ipsis utatur, cutis uitia solum detergent. Radix autem sicca sternutatorium est medicamentum. Batrachi id est ranæ, aduersus ferarum uenenatarum morsus in iusculo eduntur. Vstarum ipsarum cinis siccatissimus euadit, & sanguinis eruptiones sistit, & alopecias sanat, cum pice liquida. Bdellium & Scythicum, & Arabicũ, uim habet molliendi in scirrhum indurata, maximè recentia. Arabicum uero & urinas ciet, & lapides atterit, & concoquit. Betonica herba est exiles habens ramulos, pulegij ramulis similes, & tenuiores, & qui gustantibus nullam ferè qualitatem exhibent. Nascitur maximè in locis petrosis, eaq; utuntur etiam in rhenalibus compositionibus. Est autem & alia apud Romanos Betonica ap-
B pellata, quam dioscorides Cestrũ nominat, alij uero psycotrophõ, eo quòd frigidis locis gaudet. Hæc nihil simile prædictæ habet, præterquam actionem. Et ad hoc uturinam moueat, etiam alia multa facit, & maxime radix ipsius cum aqua mulsa pota uomitum concitat. Folia autem aluum subducũt. Bechium siue Bechicum id est Tussilago, dicta est ab eo quòd tusses et erecta ceruice spirationes suffitu iuuet. Composita uero est ex substantia calida & aquosa. Blitum editur, & est olus humidum ac frigidum secundo abscessu. Bulbus qui editur, amaritudine simulq; adstrictione quodammodo participat, siccatq; ac glutinat uulnera, & extergit. Vomitorius autem bulbus calidior est huius facultate. Botrys quam alij Ambrosiam, alij uocant Artemisiam, planta est ualde boni odoris, quæ cum uino pota recta ceruice spirantibus prodest. Bubonium in Astere attico dictum est.

Rubus

Ranunculus

Rana

Betonica Romana

Cestron

Psycotrophon

Tussilago

Ambrosia

Artemisia

Buglossum humidum & calidum est temperamento. Vnde etiam uino iniectum leticiam inducere dicitur. Bunium quod alij arction appellant, calidum est, & urinam ciet, & menses ducit. Sed & Pseudobunium huic simile est. Buprestis animalculum est cãtharidi simile. Reponatur itaq; eodem uelut illa modo. Butyrum concoquentis et moderatè discutientis est facultatis in mollibus corporibus. Inguinũ itaq; & glandularum tumores, & parotidas iuuat, & gingiuas attenuat, maxime in dentientibus pueris, et humores in thorace hære̅tes delinctum concoquit. Buphthalmum flore̅ chamæmelo similem habet, sed multo maiorem & acriore̅, & ideo discussorium, ut etiã duricias sanet cerato ammixtus. Brathy id est herba Sabina similis est cupresso, calefacit ac siccat in tertio abscessu. Est & tenuissimarũ partiũ, attenuantis & discussoriç existens facultatis, si bibatur. Est item ad putredines simile cupresso. Britannica adstringentis & glutinantis est facultatis, similiter uelut lapathum syluestre speciem præfere̅s. Succus ipsius puttefactiones in ore sanat. Bronius id est Auena similem orneo uim habet. Siccat autem & discutit moderata & citra mordacitatem. Habet etiam aliquid

Arction

Herba Sabina

Lapathum

Auena

Muscus marinus *Muscus arboreus* *Splanchnon*

aliquid adstrictionis. Vnde & alui profluuia sanat. Bryon id est Muscus marinus frigefacit & adstringit. Quare feruentes inflammationes impositus iuuat. Est & alius Muscus, qui splanchnon appellatur, & in quercubus ac populis albis, & piceis reperitur. Hic discutit simulq; moderate mollit, præsertim qui in cedris reperit. Bryonia dicta est in ampelo, id est uite alba. A

Initium literæ. γ.

Lac omne

Gala id est lac omne compositum est ex tribus substātijs, caseosa, serosa, & pingui, quam plurimam habet lac bubulum, ex qua etiam butyrum fit. *Serum* Serum autem ipsius extersoriam uim habet. Vnde & aluū subducit, si quis ipsum in coctura separet. Caseosa uero & crassa magis infercitur, & propterea acrimonias obtundit. Coctum autem lac siue silicibus ignitis immissis, siue aliter, optimum medicamentum est dysenteriæ, & fluxionum uentris acrium. Totum lac ad acres oculorum fluxiones, & alias acrimonias conducit. Temperatissimum autem est lac mulieris. Post hoc, caprinum. Deinde asininum, & ouillum. Postremum bubulum. Gales id est Mustelæ cinis multum descutit. *Mustela* Cum aceto itaq; illitus podagris & articulari morbo prodest. Sale uero condita ac assiccata, comitialibus commodat.

Galion ex eo quòd lac coagulat nomen reperit. Simile est aparinæ, siccans & subacre. Flos ipsius ad sanguinis eruptionem conducit, & ad ambusta ab igne. Galiopsis quam alij galiobdolon uocant, similis est urticæ, leuior tamen & graueolens. Vim habet discussoriam & mollitoriam tumorum induratorum. Facit etiam ad serpendo depascentia in cataplasmate impositū. Garum calefacit ac siccat potenter. Quapropter & ad putredinosa ulcera fotis ipso utuntur, & dysentericis ac coxendicum morbo laborantibus per clysterem infundunt. Gentianę radix multum efficax est ad attenuandum, perpurgandum, extergendum, & ad obturata reseranda.

Geranion quod folia habet anemonæ similia, radicem uero quæ editur, eius radicis una drachma cum uino pota, inflationes uteri soluit. Alterum B *Terra omnis* Geranium ad medicinam inutile est. Gęa id est Terra omnis siccat. Quę uero nullam aliam substantiam ammixtam habet, etiam citra mordacitatē. Si uero ignea aliqua qualitas ipsi ammixta sit, lota etiā hanc deponit. Quæ igitur colitur terra pinguis omnis, utilis est ad curationem omnium partium quæ resiccatione opus habent. Itaq; Aegyptiæ terræ luto utuntur ad aquosas & lienosas affectiones, & ad Laxos tumores, & euidentem utilitatē sentiūt. Ex medicatis autem terris Lemnia rubrica, quę sphragis id est sigillum dicitur, ad hoc quod resiccat, etiam moderatè adstringens, aduersus letalia medicamenta auxilio est, & maligna ulcera sanat cum aceto aut uino. Et sanguinis eruptiones sistit omnes, & dysenteriam serpendo depascentē *Minium Synopicum* *Rubrica Synopica* sedat, aqua mulsa prius per clysterem infusa. Deinde muria. Minium uero siue rubrica Sinopica uehementior quàm lemnia est, & in compositiones obducentes meatus miscetur. Pota etiam lumbricos occidit. Multo uerò mitior est Samia quam Lemnia terra, ut quæ glutinosa est ac uiscosa. Vtendum igitur ipsa ad ea quæ mitigare oportet. Sed & sanguinis sputa undecunq; ueniat, sanat. Selinusia & Chia magis extersoriæ sunt. Quare etiam quædam mulieres ipsis pro smegmatis defrictorijs in facie utuntur. Vlcera item incarnant & ad cicatricem perducunt, & magis igne ambusta. At Cimolia mixtæ est facultatis frigefacientis ac discussoriæ, si illota est. Lota uero magis frigefacit, & ambusta cum posca curat. Ampelitis terra (Est autē ea quæ uitibus illinitur, ut uermes in ipsis perdat) siccat & discutit fortiter, neq; id citra mordacitatem. Cretica aërea est, & extergit citra mordacitatē Eretria euidenter adstringit. Vsta uero etiam siccat citra morsum. Melior autem est cinerea. Pnigitis similem Cimoliæ uim habet, uerum nigra est. *Bolus armenaca* Armenia quam & bolum nominant, siccat. Vnde dysentericis, & fluxionibus per uentrem, sanguinisq; sputo, & tabi, & respirandi difficultati ob humiditatem inductæ, & humidis ulceribus, & pestilētibus affectionibus,

generose

gencrose conuenit. Bibitur cum uino tenui diluto: Sin febricitent, cum a/
A qua. Sed & Alana bolus similem Armeniæ uim habet. At ochra discutien *Bolus Alana*
di ac erodendi uim habet. Vlcera itaq; carne nimium excrescentia depri/
mit, & caua explet cerato ammixta. Geras id est Senecta serpentis satis *Senecta ser-*
siccat. Aceto itaq; feruefacta dentium dolores curat. At Aspidis exuuium *pentis*
tritum cũ melle ac illitum, maxime uisum acuit. Ges entera id est Intesti *Aspidis exuui*
na terræ, siue uermes terreni triti sauciatis neruis impositi, statim mirifice iu *um*
uant. Gigarta, Vinacea secundo ordine siccant, frigefaciũt primo. Quũ *Intestina terræ*
itaq; satis acerba sint, omnibus fluidis affectionibus conueniunt. *Vermes ter-*
Gingidium caliditatem non adeo manifestam habet. Siccat autem in ter *reni*
tio abscessu, & adstringit. Ideoq; stomacho gratum est. Glaucium adstrin *Vinacea*
git cum quadam iniucunditate. Sed & manifeste frigefacit, ut etiam sacros
ignes qui non sunt adeo uehementes curet. Glaux herba calida & humi
da temperamento est. Quare etiam lac generat. Glechon id est pulegium
calefacit & attenuat uehementer: Vnde impositum rubefacit, & humores *Pulegium*
crassos ac uiscosos ex thorace & pulmone expuere facit. Gloeos id est
sordes balneorum calfacit moderate, mollit, discutit, fissuris & condyloma *Sordes balneo*
tis tuberculis conuenit. Glycyrrhiza id est Radix dulcis tepidi ac humi *rum*
di est temperamenti, habetq; aliquid adstrictionis. Vnde etiam asperitates *Radix dulcis*
leuigat, non solum in arteria, sed etiam in uesica scabiosa. Est etiam sitis
exemptrix. Glycyside quam alij pentorobon, alij pæoniam uocant, radi *Pentorobon*
cem habet acrem, & subamaram, ac siccantem, quæ & aliquid adstringens *Pæonia*
habet. Vnde menses mouet, & rhenes ac hepar expurgat, amygdalæ ma
gnitudine pota cum uino. Si uero austerum uinum fuerit, etiam fluxiones
per uentrem sistit. Alligata puerorum morbos comitiales sanat.
Gnaphalium nomen habet ex eo quod folijs ipsius, utpote teneris, pro gna
phalo id est tomento utuntur. Sunt autem alba & moderatè adstringunt.
B Quapropter ad dysenterias cũ uino austero bibuntur. Gongilidis id est
rapi & radix, & semen, flatuosa sunt, & semen generant, & uenerem stimu *Rapum*
lant. Gordylion quod alij Seseli uocant, calidum est, & urinam ciet, & *Seseli*
menses ducit. Radix ipsius cum melle delincta, humores in thorace educit.
Gyris id est pollen, similem amylo uim habet, uerum calidiorem quodam *Pollen*
modo. Gypsum ad hoc quod siccat, meatus obducẽdi uim habet. Vnde
ad sanguinis eruptiones conuenit, cum polline, & oui candido. Vstum ue
ro non amplius similiter meatus obducit, sed magis siccat, & repellit, ma/
xime cum posca.

Initium literæ. Δ.

Dades id est Tedæ habent quid acre, & concoctorium ac extersorium. *Tedæ*
Vnde aceto coctæ dentium dolores sanant, si acetum colluatur. Si uero eti/
am mel ammixtum fuerit, pituitam detrahunt. At si in medicamenta quæ
delinguntur misceantur, humores in thorace hærentes eductu faciles fa/
ciunt. Damascena in loco prunorum referentur. Damasonium ex/
tersoriam quandam uim habet. Quare calculos atterit: & quæ per aluum
prodeunt, ad urinas transfert. Daucus qui & staphilinus dicitur, duplex *Staphylinus*
est. Satiuus cuius radix flatuosa est, & uenerem stimulat Sed & ipsum sati/
ui semen quid habet quod uenerem stimulat. Syluestris autem semen peni/
tus flatus expers est, & urinam ciet, & menses mouet. Similiter autem &
herba. Daphnes id est lauri arboris folia siccant & calefaciũt uehemen/ *Laurus arbor*
ter. Magis tamen fructus. At radicis cortex amarus & adstringens aliquã
tulum, calculos atterit, & hepaticis commodat, trium obolorum pondere *Alexandria*
cum uino odorato potus. Daphne herba quę etiam Alexandria uocatur. *Chamæda-*
calida, & acris, & subamara est. Quapropter menses & urinas mouet. Sed *phne*
& daphnoides eiusdem facultatis est, itemq; chamædaphne. Hæc autem e *Pellis ouilla*
tiam editur. Derma id est pellis ouilla recens detracta adhuc calida, his *Pellis Hyppo-*
qui flagris cæsi sunt circumdata, mirifice ipsos sanat. At Hippopotami pel *potami*
lis

Pellis uiperæ lis usta, & cum aqua trita imposita, tubercula dispergit. Viperæ uero pel- A
lis trita imposita, alopecia laborantibus mirificè pilos producit. Pelles siue
Soleæ ueteres coria solearum ueterum ustarum, cinerem siccantem faciunt. Vnde attrita
ex calceamentis curant, si non amplius inflammata sunt, itemq; ambusta,
& intertrigines, & extuberantia. Dictamnum magis tenuis est facultatis
Pseudodictamnum quam pulegium. Reliqua similia ipsi habet At quod pseudodictamnum ap-
pellatur debilius est. Dionysias dicta est in Androsæmo. Diphryges
mixtæ est facultatis. Habet enim & adstringẽs quiddam, & moderate acre.
Quapropter etiam ad maligna ulcera commodum est medicamentum.

Dipsaci spinę radix siccat ordine secundo, Habet etiam quid extersorii.

Dorycnium simile quid habet temperamento, papaueri & mandragorę,
immoderatè perfrigerans. Nam modice sumptum stuporem inducit. Am-
plius autem acceptum occidit. Dracontium simile quid Aro habet. Sed
ipso acrius & amarius est, calidius item ac tenuius. Habet etiam quid adstri-
ctionis. Radix igitur ipsius uiscera purgat pota, & malignorum ulcerum o-
ptimum est medicamentum. Sed & folia similia sunt. Semen autem fortius
est. Dryopteris dulcis est & acris, & subamara. In radice uero etiam acer-
Quercus ba. Vim habet erodentem. Vnde etiam pilos tollit. Dryos id est quercus
folia & fructus siccantem & calidam uim habent, adeò ut & uulnera recen-
tia glutinent, & inflammationes incipientes sedent. Quod uere sub glan-
dis cortice est membranosum, circum fructus carnem, id quum magis ad-
stringat, & ad fluxum muliebrem, & ad reliquos fluidos morbos datur.

Initium literæ ε.

Ebenus lignum uim habet calefactoriam extersoriam ac tenuem: Vn-
de etiam ea quæ pupillis tenebras offundunt extergere credita est. Sed &
in alias oculares compositiones miscetur. Encephalos id est cerebrum
leporis coctum, & affrictum, ac comestum, dentientibus pueris commo-
dum esse fertur. Quidam etiam tremoribus auxiliari cerebri esum scripse- B
Cerebra uaria runt. At Galli cerebrum cum uino potum, ferarum uenenatarum morsi-
bus auxiliari, & sanguinis ex cerebri membranis eruptiones cohibere,
dioscorides dicit. Cameli uero cerebrum siccum cum aceto potum, comi-
tiales curare tradit Galenus. Similiter etiam mustelæ cerebrum. Verum
Hirundinis cum melle ad suffusiones facere. Ouillum autem similiter
præparatum, infantibus dentientibus exactè opitulari.

Elæas idest oleæ ramuli tantum frigiditatis habent, quantũ etiam adstri-
ctionis: Fructus exactè maturus moderatè calidus est. Immaturus adstrin-
Olea gentior est & frigidior. At oleæ Aethiopicæ lachryma similis ammoniaco
tenui, extersoriam uim habet. Quare ad cicatrices, & albugines, & uisus
hebetudinem ipsa utuntur, & ad dentium dolores in cauernas indita. Qui-
Oleum dam hanc syluestrem oleam esse tradunt. Oleum porrò ex oliuis drupis, dul-
ce calidumq; moderatè est, & magis humectans. Verum ex immaturis, in
quantum particeps est adstrictionis, intantum etiam frigiditatis. At quod
lotum est, magis mordacitatis exors est. Antiquum uero quantò est anti-
quius, tantò est calidius, & maiore discutiendi ui præditum, & maxime si
etiam ab initio tenuium partium fuerit Hoc cognoscitur ex puritate & pel-
luciditate, & si ex pauco multa corporis pars illinatur, & facile à cute imbi-
batur. Tale uero maxime Sabinum est. At uero quod ex syluestri fit olea,
extersorium est simulq; adstringens, & pro oleorum ratione siccissimum.
Sed & Cicinum æqualem uim cum uetere habet. Reliqua uelut est Sesami-
num, aut raphaninum, & alia, pro substantiarum ratione ex quibus facta
sunt, etiam facultatis differentias habent. Elæomeli. In Syria ex trunco
quodam arboris oleum fluit crassius melle ac dulcius, quod duorũ cyatho-
rum mensura, cum aquæ hemina potum, crudum & biliosum humorem
per aluum ducit. Torpidi autem fiunt qui id accipiunt, quod uereri non o-
portet, sed ipsos excitare. Elaterium appellatur succus fructus cucume-

ria

A ris syluestris. Et est secundi ordinis calefacientium, mensesq; prouocat, & foetus corrumpit appositum, propter summam amaritudinem. Euacuat etiam per nares, si cum lacte in ipsas infundatur. At infernè per clysterem infusum pituitam euacuat: quandoq; etiam sanguinem. Elate id est Abies arbor calfacit ac siccat similiter ut populus nigra. Verũ de resina ipsius in resinarum tractatione referetur. Elatine herba est similis helxinæ. Frigefacit ac adstringit moderatè. Elaphoboscus calidæ ac siccæ est facultatis, secundo ordine, & partium tenuium. Elelisphacus id est Saluia euidenter calefacit, & subastringit. Elenium calidum est & siccum cum humiditate superflua. Quapropter in delinctis ammixtum, humores ex pectore educit. Sed & partes per ipsum rubefaciũt. Eleoselinũ id est Apium quod in aquosis nascitur locis, eadem potest quæ apium hortense, sed maius ipso est. Elephantis ex ungue ramenta si in cataplasmate imponantur, redunias curant. Ossium item ac dentium ipsius ramenta quum siccæ sint & extersoriæ facultatis, talibus medicamẽtis miscentur. Eleysina id est argenti recrementum. Habet eandem uim quam plumbago. Adstringit enim & attrahit. Vnde Emplastris fuscis & ad cicatricem perducentibus miscetur.

Abies arbor — *Saluia* — *Apium palustre* — *Argenti recrementum*

Elleborus id est ueratrum utrunq;, calfacit ac siccat tertio discessu. Est etiam acre ac extersorium. Vnde etiam ad leprosam cutem conuenit. At nigrum si fistulis indatur, in tribus diebus callum ex ipsis eximit.

Veratrum

Elichryson, alij chrysanthemon alij Amarantum uocant, planta est coronaria, comam habens auricolorem, quæ cum uino pota urinæ difficultati, & reptilium morsibus, & coxendicibus, & ruptionibus conuenit. Menses item ducit, & sanguinis grumos dissoluit, cum uino mulso pota. Auxiliatur etiam destillationibus. Elxine quam alij perdicium, alij parthenium, alij sideritim, alij heracleam uocant: uim habet extersoriam & leniter adstringentem, cum subfrigida humiditate. Elxine quæ & Cissampelus, discussoriæ est facultatis. B Elymos quæ & Meline id est panicum similem milio uim habet, siccans ac frigefaciens forinsecus impositum. Siccat autẽ & uentris fluxiones. Emperron aut prasoides, medicamentum est purgatorium pituitæ ac bilis. Est autem et salsum. Vnde fuerit etiam extersoriũ.

Chrysantemon — *Amarantum* — *Perdicium* — *Parthenium* — *Sideritis* — *Heraclea* — *Cissampelus* — *Melne* — *Panicum* — *Prasoides*

Epithymum siccat & calefacit tertio abscessu, estq; Thymo efficacius.

Epimedij uis est moderatè frigefaciens cum aquosa humiditate. Hæc in cataplasmate imposita mammas erectas conseruat. Pota etiam steriles facere dicitur. Epimelis quæ Vnedo apud Italicos rusticos appellatur, est uelut malus syluestris. Cuius fructus acerbus est, stomacho malus, & capitis dolorem inducens. Epipactis quæ & Elleborine, contra lætalia medicamenta bibitur, & ad hepatis morbos. Erebinthus id est Cicer, legumen familiare flatuosum est, nutriens, aluo commodum, urinam ciens, lac & semen generans, menses ducens. Quod uero Aries siue Arietinum appellatur, magis quàm reliqua urinam cict. Decoctum ipsorum calculos rhenum atterit, & maximè nigrorum. Quod aũt Orobiæũ id est Eruinum uocatur calidius his est, & subamarum. At agreste omni modo fortius est satiuo. Eria id est lanæ. Sordidæ ad irrigationes commodæ sunt. Oesypus enim ipsarum concoctorius est uelut butyrũm. At non sordidæ materia solũ existunt. Vstæ uero uim habent acrem & calidam ac siccam, simulq; tenuium partium, ut etiam humore flaccidas in ulceribus carnes citissime cõsumãt.

Vnedo — *Elleborine* — *Cicer* — *Lana* — *Oesypus*

Erica discussoriæ citra mordacitatem facultatis est. Flore autem & folijs ipsius maxime utendum est. Erinos aquatica herba est. Cuius seminis drachmæ duæ cum mellis drachmis quatuor illitæ, oculorum fluxionẽ sistũt. Succus autem ad aurium dolorem facit. Ermodactyli radix purgatoriam uim habet, tũ ipsa, tum decoctũ ipsius. Priuatim aũt arthriticis in ipsis fluxionibus exhibetur. Stomacho multum noxia est. Erpylos id est Serpillum calefacit, ut urinas & menses moueat. Erythrodanum rubra tinctorum radix est, acerba & amara, quæ splenem & hepar & rhenes expurgat,

Serpillum — *Rubea tinctorum radix*

A ut eti-

ut etiam cruenta per urinam expellat, & menses moueat. Cutis quoque sordes extergit. *Irio* Erysimi id est Irionis semen feruidum est & calfactorium instar nasturtij. Quapropter torrefactum in fermento, & in delinctis additum, thoracem purgat. Verum in cataplasmate duricias mollit, & occultos cancros iuuat. *Eruca* Euzomon id est eruca, similis superiori est temperamento, sed flatuosa. Quare etiam ad uenerem stimulat. Semen ipsius etiam urinam ciet. Syluestris uero satiua fortior est. Eupatorium tenuem ac incidentem uim habet, absque manifesta caliditate. Vnde etiam obstructiones hepatis expurgat. Habet & quid adstrictionis. Euphorbium urentem ac tenuium partium uim habet, similiter ut reliqui spissi liquores. Ephemerum non uenenum *Iris syluestris* illud, sed quod iris syluestris appellatur, mixtae facultatis est, repulsoriae ac *Viperae carnes* discussoriae. Echidnes id est uiperae carnes, calidae & siccae sunt temperamento euidenter, totum corpus percutem expurgantes. Quare multi Elephantici ex ipsarum esu aut potu sanati sunt. Quae uero in maritimis aut alijs siccis locis degunt, etiam sitim magis inducunt. Echinus herba est acer, *Erinaceus terrestris* ba, ac repulsoria, & siccandi ui praedita. Echini id est Erinacei terrestris caro adsiccata, fortiter discutit ac siccat. Pota igitur Elephanticis, & malo habitu praeditis, alijsque pluribus auxiliatur. Pellis aūt ipsius usta, magis sicca ac discussoria euadit. Alopecias itaque cum pice liquida illita sanat. At marini pars ea quae editur, urinam ciet, et aluo commoda est. Testa uero usta, terre *Erinaceus marinus* stris Erinacei pelli similis est. Echion quam alij dorida, alij etiam hanc *Doris* Alcibiadium uocant, herba spinosa est, quae non solum a reptili bestia mor *Alcibiadium* sis opitulatur in uino pota, sed etiam praebibita eos qui mordentur illaesos *Mustum coctū* conseruat. Epsema coctum mustum est, quod alij Siraeum, alij sapam appellant, ca *Siraeum* lefacit moderate ac concoquit. Meatus etiam obducit, & morsus exors est.

Initium literae Z.

Sapa Zea similem tritico uim habet, medium obtinens inter caliditatem ac frigiditatem, leniter autem siccans. Habet etiam uim obducendi meatus.

Zingiberis radix calefacit fortiter, sed non primo statim occursu, quum inelaboratam quandam crassiorum partium humiditatem habeat. Ob quam facile etiam perforatur. Perseuerantem autem conseruat caliditatem.

Ceruisia Zythus quam ceruisiam uocant, compositam substantiam habet. Nam & acris est, ueluti ex putredine factus, & frigidus, ex acida qualitate. Quare *Fermentum* etiam mali humoris. Zyme id est fermentum etiam ipsum ex contrarijs componitur. Nam & aciditate frigida participat, et putredinosa caliditate, insuper ea quae ex sale & farina accidit. Est igitur non moderate calidum, ac discussorium. Zomos, id est iusculum, ex recentibus piscibus aluum *Iuscula piscii* subducit, & per se, & cum uino potum. Priuatim uero id quod ex phucis, scorpijs, iulijs, percis, & alijs teneris petrosis fit simplex, cum aqua & oleo, & anetho ac sale. Similiter etiam id quod fit ex his quae testa integuntur, ma *Iusculum galli* xime tellinis, chamis, & conchulis. Sedet galli antiqui cum sale plurimum cocti iusculum aluum subducit. At Gallinae uice uersa sistit.

Initium literae H. hoc est, e. longi.

Menta Hedyosmum id est menta, calida est & tenuis, & acris facultate ex tertio ordine, cum semicocta humiditate, ob quam etiam ad uenerem stimulat. habet etiam quid amari. Quare etiam lumbricos necat. Verum acerbitate sua re *Pelecinus* centes sanguinis eductiones compescit. Hedysarum aut pelecinus, amarum & subacerbum est. Vnde potum stomacho commodum est. Viscerum *Scorpiuron* autem obstructiones expurgat. Heliotropium magnum quod etiam scorpiuron uocant, calidae est ac siccae & extersoriae facultatis. Huius decoctum potum ducit pituitam & bilem. Semen ipsius in cataplasmate impositum, uerrucas formicarias & alia consimilia resiccat. At paruum & haec tollit, & *Populi nigrae lachryma* lumbricos occidit, si cum semine, & nitro, & hyssopo ac nasturtio bibantur. Electrum populi nigrae lachrymam, circa Eridanum fluuium diffluidi & congelari aureo colore tradunt. Hoc tritum potum stomachi & alui fluxiones,

xioncs, itemq; sanguinem sistit. Hemerocallis radix similem radici lilij uim habens, similiter ut illa ambustis auxiliatur. Hemionitis adstrictio/ne cum amaritudine participat. Quare etiam splenicis prodest cum aceto pota. Hepar canis rabientis assatum si edatur, ab ipso morsis auxiliari di/cunt. Capræ uero hepatis assati saniem nyctalopis instillatam prodesse. Sed & uaporem ipsius cocti oculis suscipere iubent, & ipsum in cibo sumere. Et si edatur, comitiales manifestare. Eadem etiam hircinum facere tradunt. At lacertæ iecur corrosis dentibus inditum, dolorem eximit. Lupi uero he/par in medicamentum hepaticum ex Eupato rio constans inijcitur. Asini/num assatum si comitialilaborantes ieiuni edant, opem inde sentiunt. A/prinum recens siccatum tritum cũ uino ad reptilium morsus bibitur. Mer/gi uero hepar siccum potum calculos eijcit. Erigeron id est Senecio mi/xtam uim habet frigefactoriã ac moderate discussoriã. Eryngiũ calefacit quidẽ non manifeste, siccitatis aũt non obscuræ nec modicæ particeps est. *Hepar anima-lium* *Senecio*

Initium literæ. θ.

Thalassion hydor id est aqua marina acris & moderatè calfactoria est, siccādiq; uim habet. Et pota quidem stomacho noxia est, aluum autem tur bat, & pituitam ducit. At si calida affundatur, attrahit ac discutit. *Aqua marina*

Thalictrum uim habet siccantem citra mordacitatem. Diuturna itaq; ulce/ra ad cicatricem perducit. Thapsia acris est & fortiter calefactoria cum humiditate. Trahit itaq; ex profundo uiolenter, & attractum discutit.

Thion id est sulphur attractoriæ & ipsum est facultatis, calidumq; ac te/nuium partium, ut ad multa uenenum eiaculantia resistat, & maxime in pa stinaca marina, & dracone siue siccum inspergatur, siue etiam ad saliuam, aut urinam pueri, aut oleum, aut mel ammisceatur. Sed & scabiosa mirifi/cè sanat. Thermos id est lupinus qui editur, meatus obducendi uim ha/bet. Amarus autem extergens, & discutiens, & siccans citra mordacitatem, lumbricos tollit, tum in cataplasmate impositus, tum potus. Et uiscera ex/purgat cum ruta & pipere potus. Sed & cutis uitia extergit, & tumores di/scutit, cum aceto mulso impositus. Syluestris autem amarior est, & per om/nia uehementior satiuo. Thelypteron quam aliqui nymphæam, aut pter ni id est filicem nominant, quod facultate filici similis sit. Hæc pota cum ui/no latos & rotundos lumbricos occidit. Fœtus etiam perdit. Folia uerò e/ius comesta aluum molliunt. Thlaspis semen est facultate acre, ut etiam internos abscessus potum rumpat. Menses etiam mouet: & per sedem insu sum coxendicibus prodest, cruenta euacuando. Nam & alias biliosos hu/mores sursum ac deorsum purgat, si acetabuli mensura bibatur. *Sulphur* *Lupinus* *Nymphæa* *Pteris* *Filix*

Thridax id est lactuca humidum ac frigidum olus est, non externè, sed iu/xta fontanarum aquarum temperamentum. Quare ad calidas inflammatio nes conuenit. Sitim item eximit: & genituræ fluxum sistit pota, itemq; semi nis per somnum effusionem. Syluestris minus quàm hæc frigefacit ac hume ctat. Est autem succulentior. Thymus calefacit ac liccat tertio ordine. Vim habet secandi uiscosos ac crassos humores. Thymbra syluestris eadem quæ thymus potest. Hortensis autem per omnia debilior est. Sed ad esum melior. Thymelæa ex qua granum cnidium est, similem ipsi uim haber. *Lactuca* *Granum Cni-dium*

Initium literæ. ι.

Idea radix sapore ac facultate acerba, ad sanguinis eruptiones, & fluidas affectiones conuenit pota, ac foris imposita. Idrota id est sudorem per se colligere operosum est. Miscetur autem in palæstris eorum qui se exercēt ad puluerem, paton appellatum qui repulsoriam solum uim habet, & ea dit totũ hoc discussorium. Inflammatis itaq; mammis efficax est auxilium, & ad extinguendum in ipsis feruorem. Facit etiam ad glandularum tumo/res. Si uero siccius id fuerit, cyprino aut rosaceo emolliatur. *Sudor* *Patos*

Ixos id est uiscum calefacit cum acrimonia. Trahit itaq; fortiter ex pro/fundo, & discutit similiter ut Thapsia. Sed longè inefficacior quàm illa est. *Viscum*

A 2 Ion

Viola Ion id est uiola folia habet, quæ aquosam ac subfrigidam substantiam A
Aerugo præpollentem obtinent. Ios id est ærugo, acrem qualitatem gustantibus
exhibet, discutitq; ac tollit & consumit, non teneram modo, sed duram etiã
carnem. Si uero quis parum de ipsa ad multum cerati miscuerit, extersori-
um citra mordacitatem medicamentum efficiet. Ippocampus marinum
est animal, cuius usti cinis cum pice liquida alopecias densat. Ippolapa-
thum in paludibus nascitur, & lapatho id est rumici simile est.

Ippomarathrum id quod cachryi id est rosmarini semini simile est, ma-
gis siccat quàm marathrum id est fœniculum. Quare etiam aluum sistit, &
calculos atterit, & menses mouet. Quod uero semen coriandro simile ha-
Equus fluuiatilis bet, simile illi est, sed debilius. Ippopotami id est Equi fluuiatilis testis sic
cus potus, aduersus reptilium morsus prodest. Ipposelinum similem Se-
lino id est apio uim habet. Sed tamen debiliorem. Ippuris adstringentem
cum amaritudine qualitatẽ habet, & propterea siccat fortiter, simulq; citra
mordacitatem. Vulnera itaq; maxima glutinat, & intestinorũ herniæ pro-
dest, & fluidas affectiones sanat cum uino pota. Ippophaes aut hippophę
os quo expoliunt uestes, frutex est sarmentitius, cuius radix exsuccatur ue-
lut thapsia. Succi autem obolus unus cum erui farina datus, bilem ac pitui-
tam purgat. Sed & tota planta siccata purgatoriam uim habet. Iris cale-
factoria & multum tenuium partium est, extergitq; ac concoquit. Ad tus-
sim itaq; conducit, & humores in thorace eductu faciles efficit, & tormina
sanat, & ulcera sordida purgat. Pota uero cum aqua mulsa aluum euacuat.

Isatis satiua qua tinctores utuntur, siccantem uim habet, itemq; adstri-
ctionem. Itaq; etiam magna uulnera durorũ corporum glutinat, & sangui
nis eruptioni ex ipsis prodest, & laxos tumores discutit, & omnibus mali-
gnis resistit. Syluestris autem magis mordax, & propterea magis siccans.
ad humectas putredines fortius resistit. Ad alia uero peior est, utpote mor-
Phasiolon dax. Verum ob fortem facultatem etiam splenicis utilis est. Isopyron aut B
phasiolum, semen amarum ac subacerbũ habet. Extergit itaq; & secat cras-
sos ac uiscosos humores, ita ut simul corpora contrahat ac adstringat. Qua-
propter etiam ea quæ in profundo sunt purgat, & sanguinem spuentibus
Salix nõ aduersatur. Itea id est Salix folia habet & florem, facultate siccandi
citra mordacitatem prædita. Habet etiã quandã adstrictionẽ. Siccior aũt est
cortex, cuius usti cinis ex fortiter siccantibus est. Nam & clauos & uerru-
Gluten piscium cas formicarias tollit cũ aceto. Ichthyocolla id est gluten piscium facul-
tatem meatus obducentẽ & siccantem habet. Commodat ad emplastra ca-
pitalia & glutinantia: & ad cõpositiones ad leprã paratas. facit etiã ad faciẽ
erugandam. Initium literæ. κ

Cacani radix siccat moderate, & citra mordacitatem meatus obducit.
Quapropter etiam arterię asperitatibus prodest delincta cum uino, & com
mansa uelut tragacantha, & glycyrrhiza. Cancanium lachryma est ligni
Arabici, quę myrrhę similis est, & odorata, qua etiã pro suffitu utũtur. Vim
habet extenuandi obesos, extersoriamq; ac ab obturatione liberantem.

Cadmiæ ambæ siccãt. Sed botryitis id est racemosa, tenuiorũ partiũ est:
Placitis crassiorũ. Vsta uero cadmia citra mordacitatẽ siccat & extergit, &
fit utilis ad ulcera repletione indiga, circa oculos & totum corpus, & maxi
me humidiora, in mollioribus corporibus. Nã in durioribus efficatioribus
opus est medicamẽtis. Caccalia uim & usum cacano similẽ habet.

Calamagrostis siccat. Quapropter succus & decoctũ radicũ ipsius in o-
culares compositiones miscentur. Semen urinã ciet, & stomacho commo-
dũ est. Calamintha calida & sicca temperamẽto est tertio ordine. tenuiũ
itẽ partiũ & acris, multoq; fortior quàm mẽta. Est. n. uelut syluestris mẽta.
Facile itaq; ex profundo attrahit ad seipsam, ideoq; sudores mouet, & totũ
corpus discutit, & rigores per circuitũ repetẽtes sedat, tum si extrinsecus cũ
oleo strenuè affricetur, tũ si intra corpus bibatur. Sed & ad coxendicũ dolo

res

res imposita, ipsos soluit. Et uitiatos circa cutem humores detergit.

A Calamus aromaticus calfacit ac siccat secũdo ordine. Habet etiã quid te-
nuiũ partiũ & adstringẽs, urinãq; ciet, & cõpositionibus stomachicorũ &
hepati ac utero destinatis ammiscetur. Qui uero phragnites appellatur ex-
tersorius est. Folia uero ipsius uiridia moderate frigefaciunt. Cortex aũt u-
stus calefacit & siccat tertio ordine. Radicẽ ipsius cũ bulbis in cataplasma-
te impositã spicula & aculeos attrahere dicũt. Campæ id est Erucæ olerũ *Erucæ olerũ*
illitæ cũ oleo, à morsibus eorũ quæ uirus eiaculantur tutos præstare dicun-
tur. Cantharides quæ in tritico inueniũtur, luteas trãsuersas zonas habẽ-
tes, aceti calefacti uapore suffocatæ multũ usum sui exhibẽt. Nã & scabio-
sos ungues eximũt cũ cerato, & clauos ac scabiosas affectiones iuuãt. Ero-
dunt etiam ac urũt. Quidã etiã urinã cientibus medicamentis parũ quid ex
ipsis miscuerũt ac exhibuerũt. Cannabis semen flatus discutit & siccat,
adeò ut etiam geniturã resiccet. Succus eius uiridis ad auriũ dolores ex ob-
turatione facit. Canopum sambuci flos est, de quo dictũ est. Capnion aũt
Capnos, id est fumaria siue fumus terræ, nomẽ habet ex eo quòd succus ipsi- *Fumaria*
us multam lachrymã attrahit. Nam uisus acumẽ inducit. Acris aũt & ama- *Fumus terræ*
ra est. Vnde etiã urinas biliosas multas propellit: & obturationes ac debili-
tates hepatis sanat: stomachumq; corroborat, & uentrẽ mollit. Capparis ra-
dix extergit & expurgat, & amaritudine acredineq; sua secat ac discutit: a-
cerbitate uero contrahit, adstringit ac densat. Quapropter lienes indura-
tos iuuat pota & forinsecus imposita. Menses item mouet, & pituitam per
os educit. Malignis quoq; ulceribus prodest, & dentium dolores sanat. Tu-
mores etiam ac uitiligines discutit, & uermes in auribus necat. Folia itẽ ac
fructus similẽ quidẽ, sed debiliorẽ uim habẽt. Cardamũ id est nasturtiũ Se- *Nasturtium*
mẽ habet urendi ui prǽditũ, uelut sinapi. Quare in cataplasmate impositum
rubefacit. Secat etiã crassos humores, si cũ alijs bibatur. Sed & herba ipsa
B sicca quidem similis est facultatis, humida uero moderatior. Quare etiam
crudam ipsam edunt. Cardamomum acre quidem etiam ipsum est, sed na-
sturtio debilius. Habet etiam quid amaritudinis ob quã lumbricos necat,
& scabiem extergit cum aceto. Caris id est squilla piscis tritus, & cũ bryo- *Squilla piscis*
niæ radice potus, lumbricos occidit. Cancrorum ustorũ cinis, si quidem
fluuiatiles sint, siccat similiter ut erinaceorum & cochlearum cinis. Verum
totius substantiæ proprietate, mirifice operatur potus in rabiosi canis mor-
su. At marinorum cinis excellentem habens siccitatem, ad hoc quidem nõ
cõuenit, sed his qui maiore resiccatione indigent prodest. Fluuiatilis certè
si tritus, in cataplasmate imponatur, spicula & aculeos eijcit. Caroi se-
men siccat & calfacit tertio ordine. Flatus itaq; discutit, & urinam ciet, nõ
semen solum, sed & tota planta. Carpesium aromaticum est & tenuium par-
tium. Extergit itaq; uiscerum obturationes, & urinas mouet, & rhenes ex-
purgat calculo laborantes. Carya Nux arbor in germinibus quidẽ adstrin- *Nux arbor*
gens quid habet. Verum plurimum in nucum ipsarum corticibus. Succus
itaq; ipsorum coctus cum melle stomaticum, ori commodum fit medica-
mentum. Putamen autem nucis ustum, tenuium fit partium, & citra mor-
dacitatem siccat. Quod uero ex ipsa editur, quum oleosum sit, facilè in bi-
lem transit. At oleum ex ipsa, tenuium partium est, ac discussorium tumorũ
ac putredinum. Quæ uero rancidæ sunt nuces ob uetustatem, extersoriam *Nuces rãcidæ*
cutis uitiorum uim habent. Cæterum nux pontica, quæ & tenuis ac parua *Nux pontica*
appellatur, frigidior est & austera, in reliquis autem magnæ similis.

Caryophyllon non pro nominis ratione etiam substantiam habet, quũ
folium nucis illo significetur: Verũ ex India uelut flores quidam arboris,
festucarum speciem præferentes, nigri digiti ferè longitudine afferuntur, a-
romatici, & acres, subamari, calidiq; ac sicci circa tertium ordinem. Hi mul-
tiplicis usus sunt, tum in obsonijs, tum in alijs medicamentis. Cassanium
quidam balsami fructum esse dicunt, de quo supra in balsamo egimus.

Cassia calfacit ac siccat tertio ordine. Est & satis tenuium partiũ, acrisq; A
ac moderatè adstringẽs. Secat itaq; simulq; discutit, & instrumẽtis robur ad
dit Ducit etiam menses. Castoreũ calfacit ac siccat cum partium tenuita
te excellẽti. Ob quã supra alias actiones, etiã neruorũ ex humorũ copia af-
fectionibus conuenit. Et perfrigerata facile recalefacit, tum foris adhibitũ
tum potũ, ita ut nullam aliã partẽ lædat, etiamsi utentes eo moderatè febri-
citẽt, quemadmodũ in delationibus in soporẽ, & lethargis. Monet etiã mẽ-
Daucus syluestris ses, & secundas ejcit. In cerebri uero & pulmonis affectionibus suffitum
per inspirationẽ magnopere prodest. Caucalis quã alij daucũ syluestrem
appellãt. Nã & uelut daucus calefacit, & siccat, & urinã ciet, & sale cõditus
reponitur. Cenchros id est miliũ frigefacit primo abscessu, siccat secũdo.
Milium Est etiã quodãmodo parũ tenuiũ partiũ. Forinsecus itaq; in sacculis pro fo-
mento adhibitũ, & in cataplasmate impositũ siccare solet. Cedrus tũ quæ
fruticosa, iunipero similis est, tum quæ arbor est, calfacit ac siccat tertio or-
Cedræa dine. Oleum autem ex ipsis, quod Cedræã uocant, etiam quartũ ordinẽ at-
tingit, multũ tenuiũ partiũ existens. Teneras itaq; carnes promptè & citra
dolorẽ erodit. Duras aũt & maxime mortuorũ siccat, & à putredine asser-
uat. Pediculos itẽ, & lendes, ac ascarides, & auriũ uermes necat, & alia plu-
ra facit. Cẽtaurij magni radix acris & calida, cũ terrea adstrictione est. Mẽ-
ses itaq; propellit, & fœtus necat ac ejcit. Vulnera itẽ glutinat, & sanguinẽ
spuẽtib. prodest. itẽq; alijs circa thoracẽ affectionib. At parui cẽtaurij radix
quidẽ inefficax est. Ramuli uero fortiter & citra mordacitatẽ siccãt. Vnde
supra ea quæ de magno Centaurio dicta sunt, decoctũ ipsius ex coxendicũ
morbo laborãtibus per sedẽ infusum, biliosa euacuat, quinq; etiã cruenta, &
Cornua animalium magnopere auxiliatur. Ceras id est cornu capræ ac cerui ustũ, dentes ni-
tidos facit, gingiuas nimia humiditate flaccidas cõtrahit. At ceruinũ cũ ui-
no tritũ, deinde oblitũ, dẽtes mobiles sistit. Post ustionẽ autẽ lotũ, dysente-
rijs, cœliacis, sanguinis sputionib. & morbo regio prodest, duorũ cochlea- B
riorũ mensura. Miscetur etiã in oculares cõpositiones. Taurinũ aũt cornu
cũ aqua potũ sanguinis eruptiones cohibet. Cerasia dulcia quidẽ p aluũ
magis subeũt, austera uero magis stomacho cõmodãt. Acida propter secãdi
uim, pituitosis & excremẽtosis stomachis conueniũt. At gummi arboris ex
asperatas arterias leuigat, & calculo laborãtes cũ uino potũ iuuat. Cera-
Siliquæ tonia arbor, & fructus ipsius ceratia id est siliquæ, siccãtis ac adstringentis
sunt facultatis. Hæ uero etiã dulcedine quadã participãt. Cephalæ id est
Capita animalium capita sale asseruatarũ mænarũ usta, siccantẽ acquirũt facultatẽ, non ualdè
acrẽ. Rimis itaq; sedis, & gurgulionibus diu induratis cõmodant. At cerri
piscis caput totũ ustum ad alopecias facit cũ adipe ursino. Idem facit & mu
ris caput ustũ cũ melle. Cæterũ milui caput siccũ sine plumis, quantũ tribus
digitis prævhendi potest, cum aqua potum, podagricis prodest. Lacertæ ue-
ro caput aculeos educere tradũt, & formicarias uerrucas, itẽq; alias, & cla-
Galla uos. Cicis id est Galla omphacitis acerbum ualde est medicamẽtum. Vn
desiccat, & fluxiones repellit, & cõtrahit, ac adstringit laxas ac debiles par
tes. Omnibus itẽ fluidis affectionibus cõducit. Et sit sanè tertij ordinis in sic
cando, secundi frigefaciendo. Altera uero flaua, ac laxa, et magna siccat qui
dem, sed minus quam illa, quantũ etiã adstringẽdi ui inferior est. At inflam
mationes in sede, & prolapsus sedis cocta adiuuat. Vstæ uero gallæ & ace-
to restinctæ sanguinẽ sistunt. Cepæa portulacæ similis est. Folia eius pota
scabiosæ uesicæ auxiliãtur. Radix cum asparago myacanthino pota, urinę
stillicidiũ ex obturatione obortũ sanat. Cera quũ temperata sit, aliorũ me
dicamentorũ materia est. Ipsa uero per seipsam ex leniter cõcoquentib. est.
Habet. n. exiguũ quid discussoriæ & calidæ facultatis. Ceryces id est mu-
Murices rices, siue buccina, testã habẽnt, quæ usta uim ualidè siccãdi citra mordaci-
Buccina tatẽ habet. Quapropter malignis ulceribus cõuenit. In putredinosis aũt cũ
aceto, aut uino, aut aceto mulso, ipsa utendũ est. Quæ uero uelut caro ipso-
rum

A rum est adhuc uiuentium, ea in oleo coquitur, oleumq; hoc auribus dolentibus prodest, si ipsis instilletur. Ciccos id est ricini semen purgat, extersoriamq; ac discussoriã uim habet. Ita etiã foliũ, sed debilius. Verũ de oleo dictũ est. Cinnabaris acris moderatè facultatis est. Habet etiam quid adstrictionis. Cinamomum summè tenuium partium est, nõ tamẽ summè calidum, sed ex tertio ordine. Nihil autẽ siccat adeò, ex his quę ex æquo cũ ipso calefaciunt, propter partium substantiæ tenuitatẽ. Cinamomis uero uelut debile quoddã Cinamomũ est. Quidã ipsum Pseudocinamomum uocãt. Circææ radix calefactoria & odorata est, quæ cũ uino pota uteros expurgat. Semen cum sorbitione potum, lac generat. Cisseris, id est pumex extersorius maximè dentiũ est, nõ solum facultate, sed etiã asperitate. Iniicitur & in medicamẽta carnes in ulceribus generãtia, & in ea quæ cutis uitia extergẽt. Si uero uratur, magis tenuiũ partiũ & mordax fit. Lotus mordacitatẽ deponit. Cisthos aut Cissarus frutex est adstringens, & leniter frigidus facultate. Folia ipsius ac germina tantũ siccant, ut etiã uulnera glutinent. Flores aũt scciores circa tertiũ ferè ordinẽ, dysenterias & alias fluidas affectiones sanãt poti. Forinsecus aũt putredinosa ulcera iuuãt. Cissos id est hedera ex cõtrarijs cõposita est facultatibus. Adstringit.n. & frigefacit, acrisq; est ac calida, aquosa ac tepida substãtia participãs, quum uiridis est. Huius folia cocta cum uino uulnera glutinãt, ambustis & splenicis prosunt. Succus medicamentũ est quod naribus infunditur, & diuturnas in auribus fluxiones sistit. Lachryma ipsius ut quæ acrior sit, pediculos necat, & pilos abolet. Citriũ quod & malũ Medicũ, mediã sui partẽ acidã aut qualitatis exortẽ habet. In qua semen tertij frigefacientium ac siccantium ordinis est. Cortex siccat secundo ordine, non etiam frigefacit, sed acris est. Caro ipsius crassi succi & pituitosa ac frigida est. Semẽ aũt discutit et siccat secundo abscessu. Sed & folia siccantis ac discussoriæ sunt facultatis.

Ricinus

Pumex

Hedera

Malũ Medicũ

B Cichoriũ aut picris, uelut syluestris seris est, frigefaciens ac siccãs primo abscessu. Habet etiã quid adstringens. Vnde hepaticis dysenterijs conducit. Clematis quã alij daphnoides, alij myrsinoides, alij polygonoides uocãt, sarmẽta habet lõga, crassitudine iunci holoschœni appellati: foliũ simile lauro. Vim habet siccantẽ. Itaq; alui profluuia, & dysenterias, & dẽtiũ dolores sedat, & morsis à bestijs uenenatis succurrit. Altera clematis arborib. obuoluitur uelut smilax, acrisq; ac ustoriæ est facultatis. Huius semẽ cũ aqua potũ, pituitã ac bilẽ deorsum ducit. Folia cataplasmatis modo imposita, lepras remouẽt. Clinopodiũ calfaciẽtis ac siccãtis est facultatis, nõdũ urẽtis, sed tertij ordinis. Cnici semine ad purgationes solũ utimur. Si uero quis foris ipso utatur, tertij calefacientiũ ordinis fuerit. Conchylia similẽ buccinis uim habẽt. Cœliã id est uentrẽ mergi aut recẽtẽ coctã, aut assiccatã, stomacho cõmodã esse dicũt, si edatur. Similiter etiã gallinarũ internã intra uẽtriculũ tunicã, si sicca bibat. Verũ Galenus facto experimẽto, ambo falsa se comperisse asserit. At palũbis uentrẽ paulatim potũ, calculos per urinã expellere, tradit dioscorides. Mustelæ uẽter potus cõtra omnes uenenatas bestias medicamentũ auxiliare dicitur. Coccus Cnidius, id est granũ Cnidiũ fructus est Thymelææ, nõ chamelææ, uelut quidã putarũt. Estq; acris ac urentis facultatis. Potũ aũt aquam deorsum purgat. Coccus baphicus id est Granũ tinctorium citra mordacitatẽ resiccat. Quapropter magnis uulneribus cõducit, & sauciatis neruis, cũ aceto aut aceto mulso tritum. Coccymeleæ id est pruni fructus aluũ subducit recens magis, siccatus minus. Decoctum eius collutum gurgulionis inflammationes sanat. At gummi arboris incidẽtẽ & tenuiũ partiũ uim habet. Hoc cũ uino potũ quidam lapides attere dicũt. Cum aceto uero impetigines puerorũ sanare. Cæterum sylueſtriũ prunorũ fructus euidẽter adstringit, & aluũ sistit. Nominatur autem planta hæc in Asia prumnon. Videntur autem domestica pruna siccata esse ea quæ nunc Damascena appellantur, ut dicit Galenus.

Picris
Seris
Daphnoides
Myrsinoides
Polygonoides

Ventres animalium

Granũ cnidiũ
Granum tinctorium

Pruna

Damascena

Gluten Colla, id est gluten, quod ex similagine & polline fit, meatus obducen-
Cucurbita di & concoquẽdi uim habet. Colocynthe, id est cucurbita humidi ac fri- A
gidi temperamenti est in secundo abscessu. Vnde tota in cataplasmate im-
posita calidas inflammationes refrigerat. Colocynthis, id est syluestris
cucurbita uim fortem purgatoriam habet. Ipsius uiridis succus affrictus, co
Arbutus arbor xendicum doloribus prodest. Comarus, id est Arbutus arbor est acer-
Memecylon ba sua qualitate, unà cũ fructu, quem Memecylon appellant. Est autem hic
stomacho noxius, & capitis dolorem inducit. Commi, id est Gummi
siccantis & meatus obducentis facultatis est. Et nimirum etiam asperitates
Lixiuium sanat. Conia, id est Lixiuium appellatur quod uelut lotura cineris est.
Quod ex ficulneo & Tithymalorum cinere fit, præ omnibus extergit ac sic
cat maxime, ut fere erodentem iam habeat facultatem. Si uero etiam calcẽ
Protostacton assumat cinis, ustoria ui præditum lixiuium facit, quod sane etiam protosta
cton nominant, & medicamentis quæ per clysterem in sedem infunduntur
maxime miscetur. Omnium autem fortissimum est, quod ex sola calce fit.

Conyzæ ambæ siccant ac calefaciunt tertio abscessu. Vnde etiam ole-
um in quo coquuntur, rigores per circuitum repetentes sedañt. Sed & flo-
res similem uim habent, quorum decoctum menses mouet, & fœtus eijcit.
Quæ uero in aquosis locis nascitur, graueolentior & facultate debilior est.

Stercus anima- Copros, id est Stercus omne calidæ & maxime siccantis ac discussoriæ
lium facultatis est. Euariat autem iuxta animantis excernentis ipsum temperatu
ram, & uictum. Canum itaque stercus quum ossa uorauerint siccatum, cum
scisso lacte potum dysentericos sanat. Item uetusta ulcera, si medicamentis
ad hæc idoneis ammisceatur. At in anginis & inflãmatis tonsillis melle ex-
ceptum illinitur. His autem & puerorum non superfluo uictuusorum ster-
cus magnopere prodest. Stercus luporum quod & ipsum albidius in qui-
busdam fruticibus reperitur, colicis generose opitulatur, non potum modo
sed etiam appensum. Appendere autem ipsum oportet ex lana de outicula B
quam lupus dilaniauit, aut ex pelle ceruina. Caprinum stercus acrius est,
& magis discussorium, & induratos tumores discutit impositum, & maxi-
mè in duris carnibus. Vstum uero, magis extersorium & tenuium partium
euadit. Bubulum habet etiam uim quandam attractoriam. Vesparum itaq;
& apum plagas sanat. Sed & si hydropicorum totum corpus bubulo sterco
re in sole illinatur, magnifice prodest. Ouillum si cum aceto adhibeatur uer
rucas formicarias & alias, itemq; furunculos ac clauos sanat.

Columbarum syluestrium stercus, multò acrius quàm aliarum est, & cũ
nasturtij semine rubefacit. Gallinarum domesticarum cum aceto mulso,
aut aceto, aut uino mulso potum, strangulantes fungos per uomitum edu-
cit, & auxiliare medicamentum fit. Hoc etiam colicis bibendum quidã de-
dit. Aliqui etiã ciconiarum stercus potũ, recta ceruice spirantibus auxilia-
ri dicunt. Murium stercus magis quàm alia extergit, alopecijsq; conuenit.
Et puerorum sedi appositum, ad excretionem prouitat. Sturnorum stercus
ubi oryzam ederint, extersorium fit, ut etiam maculas solares exterat.

Crocodilorum terrestrium uitiligines exterit, quemadmodum Nilia-
corum crocodilorum stercus, albugines attenuare creditum est.

Corallium uelut arborea planta est, quæ in lapidem indurescit, non in
terra nascens, sed in cœnosa maris parte. Est autem colore rubicundum, la-
pidi simile. Vim habet ualdè siccantem, & moderatè adstringentem. Con-
Cimices uenit itaq; sanguinem spuentibus, & dysentericis. Cores, id est Cimi-
ces animalia, acrem uim habent. Scribunt itaq; aliqui, quòd si cum aceto bi
Hypericum bantur, hirundines eijciant. Coris herba, quam alij hypericum uocant,
acris est & odorata. Semen eius potum urinas & menses mouet. Auxiliatur
etiam morsis à phalangijs. In opisthotonicis qui retro conuelluntur cum o-
Coriandrum leo illinitur. Corianum aut Corion, hoc est Coriandrum ex contrarijs
facultatibus compositum est, tenuium quidem partium terrea, amara: aquo

sa uero

sa uero humiditate tepida. Habet etiam parum quid adstrictionis, ut inflam A mationibus & ignibus sacris non ualdè feruidis conueniat, & tumores molliores cũ aliquo ad id idoneo discutiat. Semen modicũ potũ cũ passo lumbricos expellit. Amplius acceptum mẽtem percellit. Corydos siue Corydalus, id est Galerita siue Alauda, auicula cocta cum simplici iure, colicis opitulatur. Verum assiduè & sæpe edere ipsam cum iure oportet. *Galerita Alauda*

Coronopodis radix etiam ipsa cœliacis commoda esse, in cibo accepta creditur. Costus modicæ ualde amaræ, plurimæ acris ac calidæ qualitatis particeps est. Vnde ubi aut calfacere partem aliquam propositũ est, aut humorem aliquem ex profundo ad superficiem trahere, ad costum defugiunt. Vrinam itaq; ciet, & menses ducit, & lũbricos occidit. Habet etiã quid flatuosi. Quare & uenerẽ stimulat cũ uino mulso potus, coxẽdicumq; morbo laborantibus, & resolutis, & rigorib. per circuitũ redeuntibus conducit cũ oleo affrictus. Cotyledon perfrigerat & repellit, extergitq; ac discutit. Folia ipsius cũ radice in cibo sumpta, calculos atterere credunt, & urinas ciere. Cochleæ ustę multũ siccantis sunt facultatis, & moderatè calidæ. Prosunt dysenterijs nondũ putredinosis, si ad quatuor partes harũ, ammisceantur piperis albi pars una, & gallarum partes duę. At uero nõ ustæ totæ tritę uentri impositæ in hydropicis, & articulis in arthriticis, donec sua spõte deciderint, utiles sunt. Et in summa humorem in profundo fortiter resiccant.

Craniæ, id est Corni arboris fructus acerbus si edatur, fortiter uentrem supprimit. Sed & folia ac germina acerbitate sua fortiter siccant, ut & maxima uulnera glutinẽt in duris corporibus. *Corna* Crambe, id est brassica siccantẽ uim habet, si & edatur, & foris imponatur, non tamẽ euidenter acrem. Vulnera itaq; glutinat, & maligna ulcera, & tumores ægrè solubiles sanat. Habet etiam quid extersorium, per quod lepras curat. Semen ipsius potũ lumbricos tollit, pręsertim Aegyptię. Caulium ipsius ustorum cinis urendi uim *Braßica* B habet. Cum adipe laterum doloribus diuturnis conducit. Syluestris fortior satiua est per omnia. Vnde neq; intra corpus citra læsionem sumitur. Marina subsalsa & subamara quum sit, uentrem mollit. Cratæogoni herbę semen, acre gustantibus est, & uehementer utentibus, milio simile. Crethmon salsum quodãmodo est, cũ modica amaritudine. Quapropter etiã uis ipsius extersoria est ac siccatoria. Crithe, id est ordeũ frigefacit ac siccat primo ordine. Habet etiam quid extersorium modice. Magis aũt quàm fabarum farina siccat, & magis flatus discutit. At polenta longe adhuc magis quàm ordeum siccat. Ptisana uero ad hoc quod magis humectat, magis etiã extergit. *Ordeum* *Polenta* *Ptisana* Crimnon appellatur crassa pars farinæ ex tritico & ex zea. Magis quidem nutrit quàm polenta, sed ægrius cõcoquitur. *Farina crassa* Crini, id est lilij flos temperamẽto mixtus est, ex substãtia tenuiũ partiũ ac terrea, & aquea quadam temperata. Vnde et oleũ ex ipso compositũ, discussoriã ac mollientem uim habet, inflãmationib. uteri conducens. Radix & folia siccãt, extergũt ac discutiũt moderatè. Quare ad ambusta cõmodant. Succus liliorũ etiã neruos sauciatos iuuat cũ aceto mulso. *Lilium* Crocodilij semẽ et succus, calidæ & siccę ac discussorię est facultatis. Vrinas itaq; mouet ac mẽses. Radix aũt expuitiones ex thorace iuuat. Ducit etiã per nares sanguinem. Crocus secundi ordinis est calefacientiũ, primi siccantium. Adstringit & concoquit.

Crommyon, id est Cepa quarti ordinis calefaciẽtiũ est, et crassariũ partiũ substãtia. Vnde hęmorrhoidas apposita aperit. Est itẽ extersoria. & uitiligines aufert cũ aceto. Et alopecijs affricta citius quàm Alcyoniũ pilos producit. Succ⁹ ipsius suffusis oculis aut hebetib. ob crassum humorẽ prodest. *Cepa* Cyamos, id est faba, nõ multũ à medio tẽperamẽto abest, tũ perfrigerãdo, tũ calfaciẽdo. Caro ipsius etiã extersoria quadã facultate participat. Itaq; expuitionib. ex thorace & pulmone cõuenit. Quũ aũt cortex habeat quid adstrictionis, tota faba cœliacis ac dysentericis prodest in aceto cocta. In cataplasmate uero imposita inflãmatiões & tũores sedat, et lac in mãmis extinguit. *Faba*

Cyanos

Cyanos acrem uim habet, deprimentem ac consumentẽ, itemq; discus- A
Cinnabari soriam ampliorem quàm est in Cinnabari, participat etiam adstrictione.
Cyclaminus uariam uim habet. Nam & extergit, & secat, & aperit, &
attrahit & discutit. Succus itaq; eius appositus hæmorrhoidas aperit, & du
ticias discutit cum alijs. Verũ cum melle suffusis oculis commodat, & per
nares purgat, & imò uentri illitus aluum subducit, & fœtus corrumpit. Ra-
dix tota succo quidem debilior est, uehemens tamen etiam ipsa, adeò ut cũ
aqua mulsa pota trium drachmarum pondere, interna expurget. Extergit e-
Cissanthemos tiam cutis uitia. At uero altera cyclaminus, quam & Cissanthemon uocãt,
quum radicem inutilem habeat, semen habet efficax, ita ut potum priori si-
milia faciat. Cyminum calefacientis est facultatis tertio ordine. Vrinã
Rubus caninus etiam ciet, & flatus discutit. Cynosbati id rubi canini fructus non inge
nerose adstringit. Folia uero moderate adstringunt. Vitare oportet id quod
Cupressus fructu uelut lanuginosum est. Nam arteriam lædit. Cyparissi, id est cu-
pressi pilulæ ac germina siccantem uim habent, cui nihil manifestæ calidi-
tatis adest, adeò ut uulnera magna glutinet in duris corporibus, & in flacci
dis putrefactionibus humiditates in profundo citra molestiam depascatur,
Iuncus quadratus & intestinorum ramici opituletur. Cyperus, id est iunctus quadratus ca
lefacit ac siccat, citra mordacitatem. Vnde humidiora ulcera mirifice ad ci-
catricem perducit, & ulcusculis in ore commodat. Habet etiam uim incidẽ
Ligustrum di, calculosq; atterit, & urinas ac menses ciet. Cypri, id est ligustri folia
& ramuli mixtam habent facultatem, discussoriam & adstringentem, & ci-
tra molestiam ac mordacitatem siccantem. Vnde decoctũ ipsorum affusum
ambusta sanat, & feruidis inflammationibus conuenit. Feruidis item ulcu-
sculis oris, commansa prosunt. Et splenicis compositionibus miscentur.
Cytisi folia leniter discussoriam ac tepidam facultatem habent, quem-
Cicuta admodum, & maluæ. Conium, id est Cicuta, quòd summe perfrigeran
Conus arbor tem uim habeat, manifestum est. Coni, id est strobili arboris cortex & B
strobilus folia, similem pino uim habent. Verum acriora sunt & efficaciora. Fructus
Nux pinea autem quem strobilon, id est nucem pineam nominant, quum uiridis est,
Strobilus fructum habet quid amarũ & acre cum humiditate. Quapropter affectionibus tho-
racis ad facilem eductionem commodat. Qui uero editur, in aqua macera-
tus ut acrimoniam deponat, temperatus euadit, mordacitatisq; exors est, ac
meatus obducit. Quare etiam asperitates leuigat.

Initium literæ. λ.

Lagopus siccantis est facultatis, & alui fluxiones resiccat. Ladanon
è cistho Ladone dicto fit. Nam capellæ ipsum depascentes, in barbis ac fœ-
moribus suis, id quod pinguius est & succulentũ auferunt. Id collectum La
danum existit optimum medicamentum, calidum in secundo abscessu, &
tenuium partium, moderateq; molliens ac discussorium & concoctorium.
Quapropter uteri affectionibus priuatim competit. Habet etiã quid adstrin
gens. Vnde defluos pilos corroborat. Lathyri is species est Tithymalli.
Quidam tradunt succum eius similiter ut illum purgare. Verum semen hu
ius maxime purgatoriam uim habet. Lapsana si edatur malum humorẽ
generat. Si uero in cataplasmate imponatur, extersoriũ quid ac discussoriũ
Rumex habet. Lapathum, id est Rumex, discussoriam moderatè uim habet. At
Oxylapathum oxylapathum supra hanc etiam repulsorium quid habet. Semen autem præ
fertim oxylapathi adstringit, ideoq; alui profluuia ac dysenterias sanat. Cæ
terum folia contrario quodam modo se habent ad semen. Nam hæc aluum
exturbant, illud autem potum aluum cohibet. Limonij fructum ut qui au
sterus sit, cum uino dant cœliacis ac dysentericis & Sanguinem spuentibus,
& ad muliebrẽ fluxum acetabuli mensura. Lichen qui in petris nascitur,
uelut muscus est, extersoriam & moderatè frigefacientem ac siccantem ha-
bens facultatem. Curat autem impetigines lichenas dictas, & inflammatio
nes arcet. Quemadmodum autem dioscorides ait, etiam sanguinis eruptio
nes si-

nes sistit. Lichenes equorum impetigines cum aceto tritas, comitiales
A & omnis uirulentæ bestiæ morsum sanare dicunt. Leontopetali radix
calidæ ac siccæ in tertio ordine, itemq; discussoriæ est facultatis. Lepidi
um quam etiam Iberidem uocant, ex quarto calefacientium ordine est. Et si Iberis
milem quidem nasturtio uim habet, sed minus ipso siccat. Lepis, id est
Squama omnis fortiter siccat & adstringit, & non ingenerose mordax est. Squama
Verum quæ ex ære est, amplius siccat, & magis tenuium partium est, ha-
betq; aliquid æruginis, & magis ea quæ ex cypriis clauis decutitur, quam
propterea Helitim, id est clauarem nominant. At ferri squama plus adstri- Helitis
ctionis habet, atq; hac adhuc magis stomomatis. Vnde etiam ad maligna ul- Stomoma fer-
cera præstantior est. Sed & carnem magis deprimit ac consumit, quàm quæ rum
ex ære est. Leucacanthum, alii Polygonaton, alii Ischiada uocãt. Huius Polygonaton
radix secat ac siccat in tertio ordine, calefacit in primo. Leucas calfacit Ischias
ac siccat tertio ordine. Prædominatur tamen acrimonia. Leuconii, id
est uiolæ albæ totus quidem frutex extersoriam & tenuium partium uim ha
bet: Magis tamen flores, & quæ ex his sunt sicciores. Quare & menses mo-
uent, & fœtus perdũt ac expellunt. Et si quis ipsorum uim per aquæ ammix Viola alba
tionem obtundat, etiam ad inflammationes conducent, & maxime eas quę
in utero sunt. Radices item eandem uim habentes, crassiorum partiũ sunt et
magis terreæ. Hæ cum aceto induratis inflammationibus prosunt.

Leuce arbor, id est populus alba, ex aquosa ac tepida & terrea substan- Populus alba
tia constans, extersoria facultate participat. Libanotides tres sunt. Vna
sterilis, duæ fructiferæ. Vim habent extergendi, incidendi, discutiendi ac
molliendi. Harum succus cum melle uisus hebetudinem ex humorum cras-
situdine obortam sanat. Eius uero quæ in coronas nectitur decoctum potũ,
regio morbo laborantibus prodest. Libanotus, id est Thus, calfacit or- Thus
dine secũdo, siccat primo. Habet etiam modicum quiddam subadstringẽs.
B Cortex ipsius manifeste adstringit. Quare etiã siccat secũdo abscessu cõple
to. Est etiam crassiorum partiũ quàm thus, & minus acris. Vnde & sangui-
nem spuentes, & dysentericos, cœliacosq; ac stomachicos sanat, & foris, et
intrò assumptus. Fuligo autem thuris calefacit ac siccat in tertio abscessu, ha
bens etiam quid extersorium, quod ulcera in oculis repurgat ac extergit.

Lignys, id est fuligo, quarundam rerum dum uruntur est, uelut thu- Fuligo
ris, myrrhæ, terebinthi, styracis, picis liquidæ, cedri. Hæc siccat, & terrea ac
tenuium partium existit. Differentiæ ipsius secundum speciem, iuxta ustã
materiam fiunt. Vtuntur autem ipsa maxime ad compositiones ocularias,
et ornandis palpebris destinatas. Pręomnibus in usu est fuligo thuris, uelut
mitior. Fortior autem est pini, coni, ac piceæ. Vnde ad glabras palpebras,
& putridos ac erosos & lachrymantes oculorum angulos commoda est.

Ligustici & radix, & semen, in tantum calefaciunt, ut menses moueãt.
Flatus item ualde discutiunt. Lithargyros, id est Spuma argenti, medii Spuma argẽti
inter metallica ordinis est. Quapropter, uelut materia sæpe ipsa utimur, ad
alia medicamenta in compositiones ipsam ammiscentes. Siccat tamen mo
deratè, & extergit ac adstringit. Quare etiam ad fœmorũ intertrigines cõ-
modat. Lithi, id est lapides omnes, quemadmodum etiam terra, siccãt. Lapides omnes
Verum Hæmatites adstringit & multum siccat, ut aspretudinibus oculo-
rum conueniat, si absit inflammatio, cum aqua: si adsit, cum ouo. Conducit
etiam sanguinis sputo potus, & ulcera nimia carne excrescentia deprimit.

Schistos, id est scissilis lapis similem huic uim habet, sed debilior est. Et
post ipsum Galactites. At Melitites habet etiam quid caliditatis. Moroxus
quem & Leucographidem uocant, quantò his mollior est, eo quòd nullam
habet efficacem qualitatem, tantò moderatior est, magisq; dolorem eximit.
Quapropter in mollibus corporibus ad ulcera cicatrice inducenda, cum ce
rato ipso utuntur. Iaspis subuiridis fortiorem uim habens, cicatrices & pte
rygia extenuat. At uiridis Iaspis stomacho prodest, et appẽsus, et in digito
gestatus.

geſtatus. Iudaicus lapis calculos in rhenibus atterit. Vnde etiã Tecolithũ A
uni ores ipſum appellauerunt. Pyrites ex fortiter diſcutientibus eſt ad tu-
mores ac ſanguinis grumos. Hoc non præſente, mylite utuntur. Phrygius
unà cum hoc quòd fortiter ſiccat, etiam adſtrictionis ac mordacitatis quid
habet. Vnde & repellit, & diſcutit. Quare etiam ocularijs compoſitionibus
miſcetur. Ageratus adſtringendi, ac diſcutiendi uim habens, gurgulionib.
inflammatis prodeſt. Aſiæ petræ flos in tantum tenuium partium eſt, ut flac
cidas carnes citra mordacitatem reſiccet. Gagates quum multum ſiccet, in-
flationibus diuturnis maxime conducit. Magnetes qui & lapis Heraclius,
ſimilẽ hematiti uim habet. Arabicus ebori ſimilis eſt, ſiccat & adſtringit. A-
labaſtriten uſtum quidam ſtomachicis bibendum exhibent. Smiris exterſo-
riam uim habens dentes expolit. Lapides qui in ſpongijs reperiuntur, calcu
los in rhenibus atterunt. Similem his uim habent qui in Aegro Cappado-
ciæ monte generantur. Similiter & qui Ophites appellatur, qui etiam à ui-
pera morſis alligatus prodeſt. Oſtraciten & Geoden multũ ſiccare produnt,
Cos naxia ut etiam tumores inflammatos ſanent. Cotis Naxiæ detrimentum frigefa-
ctorium eſſe dicunt, ut & uirginum mammas, & puerorum teſtes cõtrahat.
Cos olearia Quod uero ex olearia cote deteritur, exterſorium eſt, & alopecijs commo-
dum. Hieraciten & Indicum lapidem aiunt appenſum hæmorrhoidum ſan
guinem ſiſtere. Saphirum autem potũ, à ſcorpio percuſſis prodeſſe. Aphro-
ſelenum uero comitialibus. Armeniacus aluum quidem deorſum purgat.
Eſt autem ſtomacho noxius. Lithoſpermon quod alij lioſporon, alij he-
Aetonychos herba raclium uocant, herbæ Aetonychi dictæ ſemen eſt, lapidoſum, album. Hoc
cum uino albo potum, calculos atterit, & urinas ducit. Linoſpermon,
Lini ſemen id eſt lini ſemen, calidum eſt in primo ordine. Medium autem inter hume-
ctantia ac ſiccantia. Si edatur flatuoſum eſt etiamſi torreatur.

Mercurialis Linozoſtis, id eſt Mercurialis aluum ſatis largè ſubducit. In catapla-
ſmate uero appoſita diſcutit. Noſſe uero hoc conuenit, quòd mercurialis ſe- B
men eminentijs corporis præter naturam affrictum, ipſas abolere comper-
Narphia tum eſt. Has autem eminentias uulgò narphia uocant. Oportet autem uiri-
Nitrum de ſemen eſſe, & eminentias ſæpe ipſo confricare. Litrum ſiue Nitrum
in medio eſt facultatis aphronitri ac ſalis. Vſtum autem tenuiorum partium
ac magis diſcuſſorium euadit. Et ſi intra corpus ſumatur, ſecat & attenuat
craſſos ac uiſcoſos humores plus quàm ſal. At chalaſtræum (Eſt autẽ locus
Chalaſtræum Theſſalonicæ Chalaſtra) acrius eſt & magis ſiccat. Quare etiam ad flu-
xiones è capite, & ad articulorum affectiones ipſo utuntur. Lonchiti-
dis quæ ſemen triangulare habet, uelut cuſpis, radix ſimilis dauci radici, u-
rinam ciet. Eius uero quæ ſcolopendrio ſimilis eſt folia uiridia quidem uul-
nera glutinant, ſicca autem cum aceto pota, lienes induratos ſanant.

Lycapſi radicem ut quæ adſtringens ſit, dioſcorides ignibus ſacris con-
uenire dicit, ſi cum polenta in cataplaſmate imponatur. Tritam uero ac cũ
oleo illitam ſudores mouere. Lycium ex diuerſi generis facultatibus
compoſitum eſt, altera calida & tenuium partium ac diſcuſſoria: altera ter-
rea frigida & leniter adſtringente, ut ſecundo ordine ſiccet. In calefaciendo
uero ac frigefaciendo medium teneat. Quapropter uelut exterſorio ipſo u-
tuntur, in his quæ pupillis tenebras offundunt. Verum uelut adſtringente
in cœliacis ac dyſentericis, & ulceribus malignis. At in inflammationibus
uelut diſcuſſorio. Primarium autem eſt Indicum. Lyſimachium adſtringen-
tem facultatem prædominantem habet. Vnde uulnera glutinat & ipſa, &
ſuccus ipſius, ſanguinemq; ſiſtit, & dyſentericis prodeſt pota, & per ſedem
infuſa. Lychnidis quæ in coronas nectitur, ſemen calidum eſt & ſiccum
Triphyllon ſecundo ordine completo. Lotus herba ſatiua, quam aliqui triphyllon
Trifolium id eſt trifolium uocãt, exterſoriam & moderatè ſiccantem uim habet. Tem-
perata autem eſt in caliditate. At ſylueſtris ſemen ſecundi ordinis eſt cale-
facientium, Habet etiam quid exterſorium. Verum Aegyptię ſemen etiam
in pa-

A in panes conficitur. Lotus arbor tenuium partium est, & siccat, & ad-
stringit moderatè. Vnde ad fluxum muliebrem, & ad alui fluxiones pota
conducit cum uino aut cum aqua: aut etiam per sedem infusa defluos item
capillos corroborat.

Initium literæ. μ.

Macer cortex est qui ex India affertur, siccans tertio ordine, Medius
in caliditate ac frigiditate. Est etiam adstringens, tenuium partium. Vnde
cœliacis & dysentericis conducit. Malabathri folium spicæ nardi similē
uim habet. Malache, id est Malua, syluestris moderatè discutit ac mol- *Malua*
lit. Hortensis ut humidior, ita debilior est. Semen autem tantò fortius, quan-
tò siccius. Mameras uelut radicula quædam est herbæ, habens frequen-
tes quosdam uelut nodos. Hæc cicatrices & albugines attenuare creditur:
nimirum quæ extersoriam habeat facultatem. Mandragoras tertij frige- *Mala Man-*
facientium ordinis est. Mala uero eius etiam caliditate aliqua participant, *dragoræ*
itemq́ humiditate. Vnde etiam soporosam uim habent. At radicis cortex
uehementissimus, non frigefacit solum, sed etiam siccat. Interna uero ipsius
pars debilis est. Manna Thuris similem thuri uim habet, remissam ta-
men, & leniter adstringentem. Marathrum, id est fœniculum calefacit *Fœniculum*
tertio ordine, siccat primo. Quare etiam lac generat, & suffusis oculis opi-
tulatur. Mastiche, Chia quidem calefacit ac siccat secundo abscessu. Est
autem compositæ facultatis, adstringentis simulq́ mollientis. Vnde stoma-
chi, alui, intestinorum, & hepatis inflammationibus conducit. Aegypria
uero nigrior quodam modo est, siccatq́ ac discutit magis, sed minus ad-
stringit. Ideoq́ furunculos discutit. Melan, id est Atramentū, Indicum *Atramentum*
ut Dioscorides dicit, ex his est quæ leuiter frigefaciunt, & rumpunt inflam- *Indicum*
mationes ac tumores laxos, ulceraq́ purgant. Atramentum autem quo scri- *Atramentum*
bimus satis etiam ipsum siccat. Verum si posca diluatur, ambustis illitum *scriptorium*
B statim auxiliatur. Melanteria, id est atramentum metallicum multum *Atramentum*
adstringit, cum partium tenuitate. Melanthium calfacit ac siccar tertio *metallicum*
abscessu. Est etiam tenuium partium. Vnde destillationes olfactu sanat, &
si intrò sumatur, flatus maximè discutit. Est etiam amarum, unde lumbricos
occidit Extergit item ac secat, unde recta ceruice spirantibus conducit, &
lepras deterit, & formicarias uerrucas eximit, & menses mouet.

Meli, id est Mel calefacit ac siccat secundo ordine, & satis abundè ex- *Mel*
tergit. Coctum minus acre & extersorium est, & uentrem subducit, sed ma-
gis nutrit. At amarum mel, uelut & id quod in Sardonia fit, mixtam habet
facultatem, terream ac calidam. Cæterum Saccharum quod ex felici Ara- *Saccharum*
bia affertur, minus dulce est eo quod apud nos est, sed æqualem uim habet,
ad hoc quòd neq́ stomacho noxium est, neque sitim inducit, uelut hoc no-
strum. Melia, id est fraxinus nota est arbor. Cuius folia pota morsis à *Fraxinus*
uipera commodant. Cortex ustus & cum aqua illitus, lepras remouet. Li-
gni ramenta pota letalia esse dicunt. Melilotum mixtam uim habet,
adstringentem ac discussoriam & concoctoriam. Melissophyllon, id *Apiastrum*
est Apiastrum similem marrubio uim per omnia habet. *Comarus*

Memecylon comari, id est arbuti fructus relatus supra est in litera. κ. *Arbutus*

Mespila quæ alij tricocca, à tribus quæ habent granis appellant. Acer-
bus admodum hic fructus est & uix edi potest, uentremq́ cohibet. Sed &
germina & folia arboris ipsius abundè acerba sunt. Medij radix aliquan-
tum contrariam semini uim habet. Hæc enim austera est, & fluxiones sistit,
ut etiam muliebrem fluxum sistat. Semen autem menses propellit, utpote
tenuium partium & incisoriam uim habens. Mecon, id est papauer mul- *Papauer*
tas species habet. Verum hortense, quod & Thylacitin uocant, in cibi u- *Thylacitis*
sum uenit, & cum panibus comeditur, estq́ moderatè somnificum. Quod
autem Rhoeas uocatur, eo quòd semen ipsius cito defluat, id fortius quàm *Rhoeas*
hortense est. Editur itaq́ non per se, sed paucissimum ad copiosius mel mi-
scetur.

scetur. Quod uero uelut desidentem ac depressum calicem habet, id semen habet nigrum & medicatum, abundè frigidum. At quod oblongiorem calicem habet, & aliàs contractiorem, id omnium medicatissimum est, ut torporem inducat usque ad mortificationem. Est enim quarti frigefacientium

Opium abscessus, tum ipsum, tum succus ipsius, quem per excellentiam opium ap-

Ceratitis pellant. Cæterum papauer Ceratitis, id est cornutum, extersoriam uim habet. Quare radicis ipsius decoctum potum, hepaticis prodest. Folia uero & flores ualde sordida ulcera purgant, & crustas remouent. Heracleum & spumosum appellatum papauer, semen habet quod pituitam purgat. A

Mala omnia Mela, id est mala omnia humiditatem superfluam in se habent ac frigidam. Verum exoluta & aquosa, frigidiora & humidiora aliis sunt. Dulcia uero aquosa quidem sunt, non tamen manifestè frigida. Austera frigidiora dulcibus sunt, sed minus humida. Acida frigida quidem & ipsa sunt, sed humores in uentre secant. Acerba uelut sunt cydonia & struthia dicta, frigidum ac terreum temperamentum habent, et propterea aluum sistunt, & uulnera glutinant. Ita etiam folia, & succi, & cortices arborum inter se differunt. Mali persicæ germina ac folia manifestè amara sunt. Lumbricos itaque occidunt, trita umbilico imposita. Fructus ipsius, malum uidelicet hoc persicum quod editur, humidum est ac frigidum secũdo abscessu. Mali Arme-

Præcocia mala niacæ fructus, quem nunc præcocia uocant, eiusdem cum persicis facultatis est. Mei radices calidę sunt tertio ordine, siccæ secundo. Menses igitur & urinas cient. Quod si tamen uberius sumatur, capitis dolorem inducit. Milax & leuis, & aspera, quæ arbores amplectitur, calidæ & acris est facultatis. Misy ex crustam inducentibus ac urentibus, cum forti adstrictione, medicamentis est. Minus autem mordet quam chalcitis, eo quòd tenuium partium existit. Sed & chalcitidem & Sori, ob uetustatem in Misy

Plumbago transmutari Galenus dicit, mutatione ex superficie incipiente. Molybdæna, id est plumbago spumæ argenti similem uim habet, à medio tempera- B

Plumbum mento ad frigidius progressa. Molybdos, id est plumbum, uim habet perfrigerantem. Habet etiam humidam substantiam plurimam à frigiditate compactam. Si igitur in ipso aut uinum, aut oleum crudum, aut aliquem frigefacientem succum contriueris, ad ulcerosas inflammationes circa pudenda ac sedem, optimum medicamentum habebis. Lamina porrò plumbea circa lumbos gestata, seminis per somnum effusiones cohibet. Sed & ganglia, hoc est neruorum in nodum coactiones diffundit lamina plumbea ipsis imposita. Vstum plumbum magis quidem siccat, sed habet etiam quid amari. Si uero lotum fuerit, citra mordacitatem siccat, & malignorum ulce-

Mora rum optimum est medicamentũ. Moreas id est mori, fructus maturus aluũ subducit, & in medicamẽta ori destinata, stomatica dicta, & ad alia quę moderata adstrictione opus habẽt, utilis est. Immaturus autem siccatus medicamentum ualde adstrictorium euadit. Cortex radicis arboris purgatorius est cum quadam amaritudine. Vnde latum lumbricum necat. Foliorum autem & germinum media quodam modo est inter aluũ subducentia ac si-

Melãpycnon stentia facultas. Myagros quã alij uocant melampycnon, herba est sarmentitia ac pinguis. Pinguedo ex ipsa corporis asperitates explanare uidetur. Et semen Myagri pingue est, & quod in ipso est oleosum, meatus obdu-

Mituli cendi habet facultatem. Myáces, id est Mituli usti eadem quæ buccina faciunt. Magis autem propriè loti, palpebrarum crassitudinem & albugines deterũt cũ melle. Caro ipsorũ morsis à cane utiliter imponitur. Mye-

Medulla los, id est Medulla uim habet indurata & in scirrhum coacta corpora molliendi. Optima est ceruina. Deinde uitulina. At taurorum & hircorum acrior est, & magis siccat. Et quæ quidem ex artubus est, pinguior est, & magis

Fungi mollit. Quæ uero ex spina, durior ac squallidior. Myceetes, id est fungi, frigidi & humidi admodum temperamento sunt. Quidam etiam ex ipsis in cibo accepti necant, & maxime qui ex ipsis naturam putredinosa qualitate per-

A permixtam habent. Myosote, id est auricula muris dicta est in alsine. Auricula muris
Myxa fructus arboris est minor primo, sed facultate similis.
Myrica siccandi ac extergendi uim habet, citra hoc ut manifestè siccet. Habet autem & aliquam adstrictionem. Decoctum itaque ipsius lienes iuuat potum. Sanat etiam dentium dolorem. Fructus autem & cortex ipsius prope ad gallæ facultatem accedunt. Cinis arboris magis siccat.
Myriophyllon, id est Millefolium siccantem adeò uim habet, ut uulnera glutinet. Myrrha siue Myrrhis secundi ordinis calefacientium est, habens etiam quid tenuium partium. Radix ipsius odorata ac dulcis est, mensesque mouet, & quæ in thorace ac pulmone hærent repurgat. Millefolium
Myrrhine, id est myrtus ex contrarijs substantijs constat. Prædominatur tamen in ipsa, terrea frigiditas. Vnde fortiter siccat. At myrtis, quæ in trunco ac ramis eius eminens appendix est, siccat & adstringit uehementius. Sed & folia sicciora magis quàm uiridia siccant. Fructus quoque ac succus similem uim habent, tum foris adhibita, tum intra corpus assumpta. Myrtus Myrtis
Moly quidam rutam syluestrem, alij armalan, Syri besasan uocant, tertij ordinis calefacientium est & tenuium partium. Vnde etiam crassos ac uiscosos humores secat ac discutit, & urinam propellit. Ruta syluestris Armala Besasa

Initium literæ. ν.

Nascaphthon quod alij Narcaphthon uocant, Indicum est aroma, quod ad uterum adstrictum suffitur. Napy, id est Sinapi calefacit ac siccat in quarto abscessu. Nardostachys, id est Spica nardi. Huius radix calefacit primo abscessu, siccat secundo. Habet etiam quid adstringens, & acre, & subamarum. Proinde hepati & stomacho conuenit foris adhibitum, & intrò potum. Vrinas item cier, & internarum partium fluxiones sistit. Indica fortior ac nigrior est quàm Zyriaca. Sinapi Spica nardi
Nardus autem gallica siue Celtica similem relatæ uim habet, sed debilior est, præterquam ad urinam ciendam. Nam calidior est quàm illa, & minus adstringit. At montana Nardus, quæ & Thylacitis & pyritis dicitur, prædictis debilior est. Narthecis, id est ferulæ semen attenuat ac calefacit. Quod uero intus uelut medulla est, dum adhuc uiridis est, adstringit. Quare sanguinem spuentibus & cœliacis prodest. Celtica nardus Thylacitis Pyritis Ferula
Narce, id est Torpedo marina, si capiti dolentibus adhuc uiua apponatur ad caput, dolorem eximit. Fortassis ob hoc ipsum quòd torporem inducit. Sed & oleum in quo uiua cocta fuerit, illitum acriores morbi articularis dolores mitigat. Sedem etiam prolapsam, ipsam appositam reprimere ferunt. Narcissi radix siccandi uim adeò habet, ut etiam maxima uulnera glutinet, usque ad tendines etiam dissectos. Habet etiam quid exterforium ac attractorium. Neuras quam alij poterium uocant, siccantem citra mordacitatem uim habet, ita ut & ipsa neruos dissectos glutinet. Radices autem hoc maxime faciunt impositæ et potæ. Nerion siue Rhododaphne, si forinsecus in cataplasmate imponatur, discussoriam uim habet. Intro sumpta occidit. Nymphæa uim habet siccantem citra mordacitatē. Proinde & uentrem sistit, & genitale semen reficcat. Verū quæ albam radicem habet, fortior est, adeò ut etiam fluxū muliebrem sanet pota cum uino nigro & austero. Quę uero nigram radicem habet, exterforium etiam quid habet, quo uitiligines cum aqua illita sanat, & cum pice liquida alopecias. Torpedo marina Poterium Rododaphne

Initium literæ. ξ.

Xanthium aut phasganium, id est Lappa semen habet discussoriæ facultatis. Xiris siue Xyris tenuium partium uim, discussoriamque & attractoriam habet, & nimirum siccantem, & magis ipsius semen, ita ut urinam cieat, & splenem induratum sanet. Xiphij id est gladioli radix attractoriam & discussoriam ac siccantem uim habet. Phasganium Lappa Gladiolus

Initium literæ. ο.

Oē arbor, cuius fructus oā, ab aliquibus uero ua id est Sorba uocantur, Sorba

 adstrin-

adstringendi uim habet, sed minus quam mespilus. Othonnam aliqui succum esse aiunt herbæ in Arabia quæ ad Aegyptum est nascentis. Alij lapidem Aegyptium. Extergit autem & mordet, omnia quæ pupillis tenebras offundunt deterens. Oenanthen plurimus usus syluestris uitis flo-rem esse nouit, qui abunde adstringit & corroborat maxime partes circa uentrem. At dioscorides aliam huic facultati contrariam describit. Vnde & secundas ipsam eijcere dicit, & urinæ stillicidium ac morbum regium sanare. Oenos id est uinū ex secūdo ordine est eorū quæ calefaciunt ac siccant. Quod uero admodum uetus est, ex tertio. Mustum autem in primo. Oesypus in lanarum tractatione relatus est. Olynthi id est grossi, acrem ac discussoriam uim habent, propter eum qui in ipsis est succum. Cocti igitur duros tumores discutiunt. Crudi uero uerrucas formicarias, & eas quæ thymi appellantur eximunt. Olosteon siccantem uim habet cum adstrictione. Vnde ipso etiam ad ruptiones utuntur.

Vinum

Grossi

Omphacium succus est uuæ acerbæ. Adstringit abunde, & siccat tertio abscessu. Vnde fluidis affectionibus & maxime stomachicis conuenit.

Oenagra quam alij œnotheram, alij œnothurim uocant, frutex est arborosus, Cuius radix in cataplasmate imposita, fera ulcera mitigat.

Phlomitis

Onosma siue onomis, aut phlomitis, aut ononis, acris & amara est. Vnde folia ipsius pota cum uino, fœtus necant ac eijciunt.

Aselli sub aquarijs uasis

Onobrychis rarefacientem ac discussoriam uim habet. Tubercula itaque discutit, et urinæ stillicidia sanat, & sudores prouocat. Oniid est aselli qui sub uasis aquarijs reperiuntur, & in globum se contrahunt, discussoriam ac siccantem uim habent. Itaq; poti cum uino urinæ difficultatem, & morbum regium sanant. Angina laborantibus illinuntur cum melle. Et ad aurium dolorem triti cum rosaceo calefacti in mali punici putamine instillantur. Onyches conchyliorum Indicorum opercula sunt. Hæc suffita eas quæ ab utero strangulantur excitant, itemq; a comitiali præhensos. Pota uero aluum turbant. Ononis radicem habet calefactoriam circa tertium fermè ordinem. Cortex ipsius extergit ac secat. Vnde etiam calculos atterit. Oxos id est Acetum mixtæ facultatis est frigidæ ac calidæ, quæ ambæ tenuium partium existunt. Prædominatur tamen frigida calidæ. In tertio autem ordine siccat. Oxyacanthos arbor pirastro similis est specie ac facultate, habetq; etiam quid tenuium partium. Fructus eius myrti baccis similis est. Opium in tractatione de papauere dictum est. Opos id est Succus: & cyrenaicus, & Medicus, & Syriacus, per excellentiam dicuntur. Sunt autem ualde calidi ac flatuosi. Verum Cyrenaicus omnem calidissimus & maxime tenuium partium est.

Conchylia Indica

Acetum

Cyrenaicus succus

Origani omnes species secandi ac attenuandi, siccandiq; ac calefaciendi uim habent in tertio abscessu. Oreoselinon id est apium montanum similem apio uim habet. Sed fortius est. Orobanche sicci ac frigidi temperamenti est in primo ordine. Orobus id est Eruum calfacit ordine primo, siccat secundo. Est autem amarum. Vnde secat & extergit, & apesit obturata. Si uero amplius sumatur, sanguinem per urinas ducit.

Apium montanum

Eruum

Orminon marrubio specie simile est, calidumq; ac moderate siccum, & extersorium. Venerem itaq; stimulat, & oculorum crassitudines depurgat cum melle, & tumores laxos discutit, & aculeos extrahit, Syluestre fortius est satiuo. Oryza habet quid adstringens. Quare etiam uentrem moderate sistit. Orchis herba appellatur etiam cynosorchis, id est Testiculus canis, habetq; radicem duplicem bulbo similem. Vis maioris humidæ est ac calida, quare etiam ad uenerem stimulat. Minoris autem calida est ac sicca. Itaque ea uersa uenerem cohibet. Orchis quæ & Serapias, & ab alijs triorchis, quasi tritesticularis dicitur, magis priore siccat. Tumores itaque laxos discutit, & ulcera sordida ac putredinosa purgat, & herpetas sanat. Siccata uero magis siccat. Quia uero subadstringit, inde adeo etiam

Cynosorchis

Serapias Triorchis

A am aluum sistit cum uino pota. Osiris ex qua scopas faciunt, amara est, & hepar ab obturatione liberat. Ossa usta discussoriam & admodum siccantem uim habent, & maxime humana, uelut aiunt. Suillum certe talum ustum, inflationes & tormina sanare tradunt. Est quidam qui ossa usta bibenda exhibet, & morbum comitialem ac articularem curat. At bubulum talum ustum, mobiles dentes firmare dicunt. Idem cum melle potus lumbricos rotundos exigit. Cum aceto mulso uero splenem consumit. Illitus etiam uitiligines leucas dictas iuuat. Idem etiam uenerem stimulat. Sed & fœmora bouis usta pota, sanguinis eruptiones & alui fluxum sistunt. Ostraca id est testæ ex fornacibus tritæ, siccantem & extersoriam uim habent. Vnde dentes poliunt. Et cum aceto illitæ prurigines, & pustulas, & podagricos iuuant. Cum cerato uero strumas discutiunt. Ostreorum testa usta buccinorum testis similem facultatem habet, sed minus crassarum partium. Faciei itaque uitia extergit, & dentes dealbat. Si uero lauetur, mordacitatem amittit, & humidis ulceribus ad expletionem, & cicatricem inducendam commodat.

Talus Suillus *Tali animaliũ* *Testæ uariæ*

Ouron id est urina omnis calida & acris est. Sed debilissima inter animalium urinas humana est, exceptis suibus castratis. Est autem admodum extersoria, eaq; aliqui in peste pota seruati sunt. Lepras item & putrida ulcera, & manantia capitis ulcera, & furfures curat. Attritus quoque pedum ex offensione, si non fuerint inflammati. At impubium puerorum urina fortior est, ex qua etiam chrysocolla fit. Mulorum urina in articulares compositiones conuenit. Camelorum & caprarum urina aluum subducit, unde hydropicis bibenda exhibetur.

Vrinæ uariæ *Chrysocolla*

Initium literæ. π.

Pancratium & specie & uiribus simile est squillæ, sed debilius.

Paliuri folia & radix adstringunt. Vnde etiam fluentem uentrem si-
B stunt. Sed & tubercula discutiunt non ualde calida. Fructus in tantum secat, ut etiam calculos atterat, & expuitionibus è thorace auxilietur.

Panaces heracleum est ex quo oppopanax fit, qui tertio ordine calefacit, siccat autem secundo, mollit item ac discutit. At radicis cortex succo debilior est, habetq; quid extersorium ac incarnans. Semen eius etiam menses mouet. At uero Asclepium & Chironeum panaces priore sunt calidiora. Vnde ipsorum floribus & semine ad maligna ulcera ac panos utuntur. Papyrus non usta materia quædam est. Vsta uero siccat, quemadmodum etiam charta usta. Verum papyri cinis debilior est.

Opopanax *Charta usta*

Paronychia herba dicta ex eo est quòd paronychias id est reduuias digitorum sanet. Vis eius tenuium partium est, siccatq; citra mordacitatem. Pentaphyllos id est Quinquefolium, siccat tertio ordine, minime uero acris, Ideoq; ad multos usus commoda est.

Quinquefoliũ

Peplos quẽ alij papauer spumosum uocant. Et hic frutex succum habet, & purgat similiter ut Tithymalli. Peplion quoque succum habet, & nascitur circa mare. Et in reliquis quidem inutile est. Verum semẽ ipsius feruidum, similiter ut peplos purgat. Piperis radix costo similis est facultate. Fructus autem ipsius recens germinantis, est piper lõgum, estq; humidius ac calidum. Qui uero uelut uua immatura est, piper album est, quod acrius nigro existit, quum id sit nimium assatum. Ambo autem calefaciunt ac siccant. Pepo extersoriam uim habet. Vnde caro ipsius maculas solares & similes exterit. Semen uero rhenes ab obturatione liberat. Periclymeni folia & semẽ, secantẽ simulq; calefacientẽ uim habent, adeò ut urinam cruentam excernant pota ad sextum usque diem: uerum si ad quadraginta dies bibantur, lienosis & difficulter spirantibus prosunt.

Papauer spumosum

Peristereon id est Verbenaca in tantum siccat & adstringit, ut uulnera glutinet, & sanguinis eruptionem sistat. Persæa arbor est Aegyptia, cuius folia siccant & adstringunt. Quare & sanguinis eruptionem sistunt.

Verbenaca

Petasites ex tertio ordine siccantium est. Vnde in malignis & phage- A
dænicis ulceribus ipso utuntur. Petroselini semen calidum ac siccum
est tertio abscessu, uim secandi habens. Vrinam item & menses large ci-
et. Flatus quoque discutit. Peucedani & liquore & succo admodum
calefaciente, discutienteq; ac attenuante utimur, tum pro odoramento,
tum in potione, ad affectiones in pulmone ac thorace, ex humorum crassi-
tudine obortas, & ad induratum lienem. Sed & dentibus corrosis indi-
tus, dolorem statim sedat. Conuenit etiam affectionibus neruorum. Ra-
dix autem etiam ossium squamas remouet, & maligna ulcera sanat, cale-
Pinus faciens ac siccans ordine tertio. Peuce, id est picea similem pino uim
Picea habet, sed moderatiorem. Peganum, id est ruta, syluestris quidem
Ruta quarti ordinis est calefacientium ac siccantium. Satiua uero tertij. Secatq;
ac discutit crassos et uiscosos humores, & menses mouet. Estq; tenuium par
tium & flatus discutit. Vnde & uenerem cohibet. Pix sicca secundo
ordine siccat, minus calefaciens. Liquida uero uice uersa. Habent etiam
quid extersorium ac concoctorium, discussoriumq; & acre. Quapropter
& scabros ungues exigunt, & impetigines extergunt, & tumores conco-
quunt. Fortior autem est liquida, ut etiam anhelosis & pectore supputatis
Oleum picinum de incta commodet. At sicca magis uulnera glutinat. Pissełæon id est
oleum picinũ ex liquida pice fit, & in substantia magis tenuium partiũ est
quã ipsa pix. Pistaciorũ fructus in cibo acceptus moderatè stomacho
commodus est, & hepatis obstructiones aperit, & maxime putaminũ ipsi-
us aromaticorum decoctum ex uino. Auxiliatur etiã morsis à uipera. Pityi-
Pinorum fructus des uocantur fructus pinorum, estq; mixtæ facultatis, adstringẽtis & acris.
Pinorũ erucæ Vnde ad expuitiones è thorace faciunt. Pityocampe id est pinorum e-
rucæ eandem uim habent, quam cantharis & buprestis. Pini cortex ad
stringentem uim prædominantem habet, qua intertrigines & ambusta in-
spersus iuuat, & uentrem sistit si potetur. Folia uero etiam uulnera gluti- B
nant. Pityusam quidam tithymalli speciem esse dicũt, quòd & succum
habeat, & similiter utilis purgent. Platanus humidiorem ac frigidio-
rem uim habet. Vnde etiam folia uiridia inflammationes quæ adhuc fiunt
iuuant. Cortex autem & pilulæ magis siccantem uim habent, ut ille in ace-
to coctus dentium dolores sanet: Pilulæ uero cum adipe ambusta curent.
At ustus cortex magis siccans ac extersorius euadit, ut lepras & humida ul
Pulmo animalium cera sanet. Pneumon id est pulmo agninus & suillus attritus ex calcea
mentis curare creditur. At uulpinus assiccatus si bibatur, anhelosis: Mari-
nus autem pulmo recens tritus, podagricis & pernionibus prodest.

Philetærion Polemonium quod alij philetærion uocant, tenuium partium est & sic
cat. Vnde aliqui ad coxendicum morbum, & disenteriam, & induratum
splenem, radicem eius bibendam præbent cum uino. Polium minus
quo etiam ad antidotos utimur, tertij ordinis est calefacientium ac siccanti-
um. Omnia itaq; uiscera ab obturatione liberat, & urinas ac mẽses mouet.
Et ubi adhuc uiride est, magna uulnera glutinat. Siccum autem maligna
ulcera inspersum ipsis sanat. Polygalon folia habet moderatè austera.
Potum autem, lac generare uidetur, calidum nimirum ac humidum habens
temperamentum. Polygonatum mixtum est ex adstrictione, & acrimo
nia ac amaritudine & quadam iniucunditate quæ nominari non potest:
Quapropter neq; multi usus est. At radicem ipsius quidem uulneribus im-
Sanguinaria ponunt, & maculis faciei cum ipso exterũt. Polygonum id est Sangui-
naria habet quidem quid adstringens. Verum prædominatur in ipsa frigi-
ditas aquosa in secundo ordine. Prodest itaq; frigida imposita his qui sto-
macho exuruntur, & ignibus sacris, & inflammationibus calidis. Quum
uero tale sit, fluxiones repellit, atque ea de causa siccandi uim habere pu-
tatur. Est autem mascula fortior quàm fœmina.

Polycnemon calfacit ac siccat secundo ordine, ut etiã uulnera glutinet.

Polypodium

A Polypodium ſiccantem abunde uim citra mordacitatem habet. Potum purgat deorſum. Pompholyx citra mordacitatem ſiccat, ut cancroſis ulceribus, alijsq; malignis opitulet ur. Miſcetur etiam in oculares compoſitiones. Purpuræ uſtæ ſimilem teſtis uim habent. Opercula uero ipſarum cũ oleo cocta fluentes capillos corroborant: cum aceto pora lienes tumentes ſanant: ſuſſita ab utero ſtrangulatas excitant, & ſecundas eijciunt.

Potamogiton frigefacit & adſtringit ſimiliter ut polygonum, ut cui ſimilem facultatẽ habeat. Poteriũ alij phrynion uocant Huius radices cõciſæ, ac cõtuſæ neruos diſſectos ac uulnera glutinãt. Decoctũ aũt ipſius potũ, aſſectionibus circa neruos opitulatur. Praſion id eſt Marrubiũ calfacit ſecũdo ordine, magis autem ſiccat. Hepar & lienem, & thoracem, et pulmonem ab obſtructione liberat. Menſes etiam propellit. In cataplaſmate impoſitũ extergit ac diſcutit. Sed & aliàs exterſorium eſt, ac incidendi ui prædité. Phrynion Marrubium

Praſon id eſt porrum mali ſucci eſt & acre. Vt uero dioſcorides ait, etiam grauia ſomnia inducit, & uentri commodat, & urinam ciet, et attenuat. Habet etiam quid exterſoriũ. Nam & ptiſanæ incoctũ, in Thorace hærentia educit. At ſemen ipſius in rhenales compoſitiones miſcetur. Folia habet etiam quid adſtrictionis. Vnde ſuccus ipſorum ſanguinem cohibet. Porrum

Prinos id eſt Ilex ſimilem quercui uim habet. Sed multò fortior quam ipſa eſt. Propolis calefacit ſecundo abſceſſu, & moderate extergit. Habetq; uim tenuium partium, & ab obſtructione liberantem. Ptarmicæ foliaſternutationem mouent. Totus autem frutex uiridis, ſugillata, & alios liuores ab humoribus ſub cutem effuſis diſcutit. Eſt enim calida & ſicca uiridis quidem ſecundo, ſicca uero tertio gradu. Ptelæa id eſt ulmus, ſiccantem & exterſoriam uim habet, ut etiam uulnera glutinet. At cortex adhuc magis, ſi quum recens eſt, uulnetibus uelut ligamentum obducatur. Sanat item lepras cum aceto. Sed & radices eandem uim habent. Quare decocto B ipſarum fracturæ quæ calli inductione opus habent perfunduntur. Ilex Vlmus

Pteris id eſt filix, ſiccandi uim habet, & amara eſt. Vnde & fœtus necat, & latos lumbricos occidit, quatuor drachmarum pondere cum aqua mulſa. Quia uero moderate adſtringit, ulcera ſiccat citra mordacitatem. Filix

Pycnocomon diſcuſſoriam & acrem uim habet. Folia igitur panos & furunculos diſcutiunt. Semen uero ad hæc & aculeos extrahit. At radix bilem flauam purgat. Pyrethri radix urentem uim habet, & dentium perfrigeratorum dolores mitigat: Etante rigores per circuitum repetentes affricatur cum oleo Inſuperq; torpores ae reſolutos iuuat. Pyros id eſt Triticum primo ordine calefacit. Verum inter ſicca & humida medium tenet. Habet etiam quid uiſcoſum, & obturandi uim habens. Pitya id eſt coagulum omne acris & attenuãtis, ac diſcuſſoriæ, & nimirum ſiccantis eſt facultatis. Verum leporinum comitiales curare ſcripſerunt, ſi cum aceto bibatur, fluxum item muliebrem ſanare, & lac in grumos in uentriculo concretum diſſoluere. Similiter autem & ſputa ſanguinis ex thorace, ipſum cohibere dicunt. At equinum coagulum cœliacis ac dyſentericis, conuenire ſcripſerunt. Phocæ autem coagulum caſtorij uim habere. Triticum Coagulum

Initium literæ. ϱ

Racos id eſt panniculus uſtus, ſi ex lana eſt, lanæ uſtæ ſimilem uim habet. Lineus autem panniculus dum adhuc uritur, tenuium partium fumum edit, qui & deſtillationes in capite obturatas ſoluit, & uteris ſurſum currentibus conuenit. At ubi idem iam uſtus eſt, prope ad lanæ uim accedit. Panniculus lanens & lineus

Rhãnus ſiccat ſecũdo abſceſſu, frigefacit primo. Vnde herpetas et ignes ſacros ſanat non ualde feruidos. Vtendum autem eſt folijs teneris.

Raphanus calfacit tertio abſceſſu, ſiccat ſecundo. Syluestris efficacior eſt. Vtriuſq; autem ſemen uehementius eſt. Diſcutiunt itaq; ſugillata & alia liuefacta. Rheon alij rha uocant, compoſitum eſt ex terra frigida, & tenuium partium aerea ſubſtantia, calidaq; ac leniter acri. Vnde conuulſa Rha

& tupta & erecta ceruice spirationes iuuat. Item liuida, discutiendo. At A
adstringendo, sanguinis sputionibus, & cœliacis & dysentericis prodest.
Vtraq; uero facultate, hepaticis. Resinæ omnes calefaciunt ac siccant.
Sed Terebinthina primas fert, quę discussoria & mollitoria, tenuiumq; par
Larix tium ac extersoria existit. Quare etiam scabiem sanat. Larix quoq; huius-
modi est. At resina piceæ & adhuc magis strobilina, acrior quidem est, non
tamen discutit plus, neq; attrahit. Mediæ uero inter ipsas sunt, resina ex pi-
nu, & ex abiete. Rosæ compositæ naturæ sunt, ex aquosa substantia cali-
da adstringente & amara. Flos ipsatum adhuc magis adstringit. Vnde eti-
am siccat. Rhodia radix calefacit in secundo abscessu, estq; tenuium par-
Malapunica tium ac discussoriæ facultatis. Rhoæ id est Mala punica, omnia quidem
uim adstringentem prædominantem habent, propter quam frigefaciunt
ac siccant. Verum dulcia ambo hęc minus quàm alia habent. At austera ma
gis quidem frigefaciunt, sed sicciora sunt, & stomacho commoda. Acida
uero plus frigefaciunt, & incisorium quid habent. Cæterum nuclei ma-
Malicorium gis adstringunt ac siccant quàm succus. Et his adhuc amplius putamina,
Cytini sidia & malicoria appellata. Similem autem his uim habent flores, cytini
dicti. Rhois coriarij uocati fructus maxime ac succus, medicis in usum ue
niunt. Abundè autem adstringit, & siccat ordine tertio, frigefacit secundo.
Sordes statuarum Rhypos id est Sordes ex æreis statuis, aut uasis in quibus largum oleum
remanet, habens etiam quid æruginis, discussoriam uim habet, & mo dera-
tè siccantem ac mollientem. Crudos itaq; panos discutit. At uero de sorde
Patos in palæstra, quam aliqui etiam paton uocant, in sudoris tractatione dictum
est. Cæterum aurium sordes, teduuias sanare dicitur.

Initium literæ. σ.

Sagapenum succus est uelut ferulæ, calidus & tenuium partium. Habet
etiam quid extersorium, ut oculorum cicatricibus ac suffusionibus com-
modet. Salamandræ ustę cinerem aliqui ad compositiones erodentes, & B
ad lepras ac scabiem destinatas ammiscent. Sampsuchum calefacit ac sic
cat tertio abscessu. Est autem & tenuium partium & discussorium.
Sandaracha urendi uim habet, quemadmodum etiam arsenicum.
Siricum Sandyx aut Syricum, tenuium partium & siccantem uim habet, non ta-
Caries lignorum men calidam. Saprotes id est caries lignorum, maxime ulmi, purgat & re-
plet ulcera humida. Sapo extersoriam uim habet. Satcocolla lachry-
ma est arboris persicæ, meatus obducens & citra mordacitatem siccans. Et
Saxifraga ob id etiam uulnera glutinat. Sarxiphages hoc est Saxifraga, & urinam
Triphyllon ciet, & calculos atterit. Satyrium aut Triphyllon id est trifolium, humi-
Trifolium dum est ac calidum temperamento, itemq; flatuosum. Vnde ad uenerem sti
mulat. Quidam etiam retro distentos ipsum sanare dicunt, cum uino auste-
ropotum. Cæterum in libro de Theriaca dicit Galenus, trifolium quæ hia
Hiacynthus cyntho similis est, quum ueris tempore prægnans, semen habet cnico syl-
uestri simile, tunc decoctum ipsius si ad phalangij aut uiperæ morsum affun
datur, ipsum curare. Si uero sano loco adhibeatur, similē affectionem efficit
Lacertæ inquit, his qui ab horum aliquo commorsi sunt. Sauræ id est lacertæ he-
par & caput, in proprio loco relata sunt. Tota uero resecta et imposita ictos
Apium à scorpio sanat. Selinon id est Apium calidum est in tantum, ut & urinas
cieat, & menses Flatus item discutit, & maxime semen ipsius. Seris sub-
amarum olus est, admodum frigefaciens ac humectans. Habet etiam quid
adstrictionis. Seriphon calfacit secundo ordine, siccat primo. Estq; simi-
le absinthio, sed minus ipso adstringit, & magis calfacit, ac lumbricos occi
dit. Modice quoq; stomacho noxium est. Seselis radix, & magis semen, a-
bunde calfacit cum partium tenuitate. Vrinæ item ciet, & ad comitialem
morbum, & recta ceruice spirantes commodat. Sepiæ testa, ostrei testæ
similem uim habet, uerum tenuium partium est, & magis extersoria. Vnde
si usta fuerit, pterygia oculorum attenuat cum sale fossili. Non usta uero,
sycosea

A sycoses exterit affricta. Vitia item cutis detergit. Sesamoides magnum, quod & Anticyricum ueratrum nominatur, eo quod semen eius similiter ut ueratrum purgat: hoc & reliqua fatultate ueratro simile est, & extergendo, & calefaciendo, & siccando, similem illi uim habet. *Veratrum Anticyricum* Sesamoidis albi semen calefacit, & extergit, & rumpit. Sesamum non exiguam habet uiscositatem ac pinguitudinem. Vnde meatus obducit, & mollit, & moderatè calfacit. Seps quam aliqui Lacertam Chalcidicam uocant, in uino pota, morsos ab ipsa sanat. *Lacerta chalcidica* Sialon id est Saliua hominum ieiunorum maxime discussoriam ac extersoriam uim habet. Impetigines itaque puerorum illita exterit, & furunculos concoquit, si cum tritico commanso imponatur, suggillata item tollit. Bestijs quoque uenenatis hominem occidentibus maxime aduersatur. *Saliua humana* Sideritis heraclea quæ etiam Helxine dicitur, relata est. At Achillea sideritis illi quidem similis est, sed magis adstringit. Vnde fluidis affectionibus conuenit. Sideros id est Ferrum in aqua sæpe extinctum, siccantem abundè uim in ipsam deponit. Hæc itaque pota splenicis competit. *Ferrum* Si uero in uino ferrum extinctum fuerit, cœliacis & dysentericis, & cholera morbo uexatis, stomachoque exolutis, uinum id potum auxiliatur.

Sicys id est cucumis qui editur, dum adhuc uiridis est frigefacit et humectat secundo ordine. Et caro quidem ipsius feruentes mitigat inflammationes. *Cucumis* Semen autem extergit & secat. Vrinas itaque mouet, & nitidum corpus efficit. At siccus primo ordine siccat, & magis extergit tum semen, tum radix. Cæterum syluestris cucumeris fructus succus, elaterium dictus, relatus est. Sed qui ex radice ac folijs est succus, similis quidem elaterio est, sed debilior. Radix extergit, discutit, mollit. Siccantem uero uim succus habet. *Elaterium*

Sillybon planta est spinosa similis chamæleoni albo, in cibi usum ueniens. At radicis ipsius succus drachmæ unius pondere potus cum aqua mulsa, uomitus ciet. Silurus sale asseruatus in cibo acceptus, arteriam humectam

B expurgat. In cataplasmate impositus aculeos educit. Silphæ id est blattæ, qui in pistrinis ubi panes fiunt, reperitur interanea cocta trita aurium dolores sanant. *Blattæ* Silphium id est laserpitium calefacit strenuè. Est & flatuosum ac ęgrè concoquitur. Verum extra corpori adhibitum efficacius est, & magis succus attractoriam uim habens. *Laserpitium* Habet etiam uim contrahendi ac deprimendi carnem. Sison calidus est, urinam ciet, & concoquit. Menses item ducit, & uiscera obturatione liberat. Sion calidum est, urinas ciet, & discutit, calculos item in rhenibus atterit, & menses ducit. Sisari radix cocta stomacho commodat, & urinam ciet, calidaque est secundo ordine.

Sisymbrium tenuium partium discussoriæque ac calefacientis & siccantis est facultatis ac temperamenti, tertio ordine. At Semen quoque tenuium partium est discussoriumque ac forte. Quare etiam singultientibus datur, & his quos tormina uexant cum uino. Sisymbrium quod & Cardaminen uocant, nasturtio simile est. Et aridum quidem calefacit ac siccat ordine tertio. *Cardaminé* Vbi uero humidum est, secundo. Scammonia calidæ est ac discussoriæ & biliosorum humorum extersoriæ facultatis, & magis succus eius, qui sanè etiam panos discutit, & appositus fœtus perdit, & lepras educit. Ad diuturnos item capitis dolores irrigationis uice usurpatur cum oxyrhodino. Radix pota purgat tum ipsa, tum decoctum ipsius. Cum aceto autem & farina ordeacea cocta, coxendicum morbo in cataplasmate imponitur.

Scandix syluestre olus est calefaciens ac siccãs secundo ordine. Vrinas etiam ciet, & uiscera ab obturatione liberat. Scinci partes circa rhenes, uelut medicamentum arrigens membrum uirile bibuntur. Verum contrarium ipsis affectum inducere uidetur lactucæ semen cum aqua potum. Itemque lentium decoctum cum melle. Scilla secandi uim habet. Calfacit autem & siccat secundo ordine. Præstat autem ipsam assatam aut coctam sumere.

Scolopendra marina cocta in oleo & illita, pilos abolet. Sed & cõtacta pruritum excitat. Scolopendrium est asplenon. *Asplenon* Scolymus id est Cardu

us

uus calefacit & siccat secundo ordine. Radix ipsius copiosam graueolentē urinam educit cum uino cocta. Sed & alarum & totius corporis graueolentias sanat. a Scordium uarium est, ut quod amarum sit, & acerbum, & acre. Purgat itaq; simul'q; calefacit uiscera. Vrinas quoq; ac menses mouet. Perfrigerata item omnia calefacit, & uulnera glutinat ac repurgat, et ad cicatricem perducit, si siccum inspergatur. *Allium* Scordon id est Allium calfacit ac siccat quarto abscessu. *Ophioscordō* At ophiscordon syluestre allium, satiuo fortius est.

Scorodoprason & sapore, & facultate mixtum est ex allio ac porro.

Scorpioides calefacit tertio, siccat secundo ordine. Scorpius terrestris crudus impositus, propriè plagæ auxilium affert. Similiter etiam si assatus edatur. At marinus fel habet utile ad oculos suffusos. *Recrementa metallorum* Scoria id est recrementum omnis metalli abūdè siccat. Sed ferri amplius, quod coctum acleuissime tritum cum aceto, aures pure fluidas mirificè sanat. Sed & his qui Aconitum biberunt auxiliatur potum cum aceto mulso. At plumbi recrementum plumbo respōdet, magis tamen adstringens. *Taxus arbor* Smilax aut Taxus arbor est uenenosæ facultatis. *Myrrha* Smyrna id est Myrrha secundi ordinis est calefacientium ac siccantium. Vuulnera itaq; capitis, inspersa ipsis glutinat. Habet etiam quid amari. Vnde lumbricos & fœtus necat. Extergit itē, ideoq; in ocularias compositiones miscetur. Thoracis quoq; affectiones expurgat, citra arteriæ exasperationem. At Bœotica myrrha uim habet calefactoriam, mollientem ac diffundentem. *Hipposelinum Apium syluestre* Smirnium alij hipposelinum, alij apium sylnestre nominant, calefacit ac siccat tertio ordine, apio solum fortius, petroselino uero imbecillius. Menses itaq; ducit, & urinas ciet.

Sonchus adstringit & frigefacit manifestè, & impositus, & in cibo acceptus. Siccatus autem moderatè calefacit. Sparganium siccantem uim habet. *Genista* Spartum id est Genista, qua uites ligant. Huius semen & flos pota cum aqua mulsa obolorum quinq; pondere, supernè purgant, uelut ueratrum album, citra periculum. Semen uero etiam infernè purgat. At uirgulta coxendicibus prosunt. b *Lapis specularis* Specula riū, quidam per.ph. Sphelariū scribūt, id est lapis specularis, quo quidam pro speculis in fenestris utuntur, quare *Diaphenes* etiam diaphanes à pelluciditate appellatur, gypseæ substantiæ est. Verum uim habet similem ustis testis sine ostreis. Spongia noua quæ adhuc maris odorem conseruat, uulneribus cum uino, aut aqua, aut posca imposita, ipsa glutinat. Vsta uero acrem ac discussoriam uim acquirit. Sed & cum pice liquida aut bitumine si uratur, & ita ardēs apponatur, sanguinis eruptiones sistit. Spodium similem pompholygi uim habet. *Pastinaca* Staphylinus id est pastinaca, urinas mouet, & menses propellit, semen præsertim ipsius & radix. Folia extersoriā uim habentia, phagedænicis affectionibus conueniunt uiridia cum melle. At syluestris pastinaca ad omnia debilior satiua est. Stachys similis marrubio frutex tertio ordine calefacit. Mēses itaq; mouet, & fœtus necat, & secundas expellit. *Adipes Animalium* Steata id est Adipes omnes humectant ac calfaciunt corpus humanum. Verum iuxta diuersum animalium temperamentum uis ipsorum euariat. Suillus itaq; humidissimus omniū est, prope ad olei uim accedens. Vnde etiam mordacitatem obtūdit. Caprinus siccior est & cito congelatur. Quare etiam his qui in recto intestino morsum sentiunt infunditur. Anserinus calidior et magis tenuium partium est. Medium horum gallorum ac gallinarum adeps obtinet. Leoninus omnium calidissimus & maxime tenuium partium est. Vnde etiam maxime discutit. Bubulus medium temperamētum inter suillum & leoninum habet. Vrsinus alopecias sanat. Vulpinus aurium dolores. Quemadmodum uiperinus pilos abolere, & oculorum suffusiones impedire ne fiant dicitur. Inter omnes autem semper calidior ac siccior masculorum adeps est, & ex his eorum quæ testes habent animalium quam exectorum, & ætate uigentium quam aliorum. Vetustate uero omnis adeps seipso calidior euadit.

Stibium Stimmi id est Stibiū ad hoc quod siccat, etiam adstrictionem habet. Vnde

A de in ocularia collyria miscetur. Stœbes semen & folia siccant tertio ordine, adstringentemque uim habet. Vnde uulnera magna glutinant: & ipsorum decoctum dysenterias, & sanguinis eruptiones, & aures pure manantes sanat: & oculorum ex plaga contusiones, in cataplasmate imposita sanant.

Stœchas ab obturatione liberat & attenuat, extergitque ac roborat uiscera omnia, & totum animalis habitum. Stratiotes aquaticus frigidam uim habet. Terrestris autem etiam quid adstringens. Vnde ulcera glutinat. Quidam etiam ad sanguinis eruptiones ipso utuntur, & ad fistulas.

Solanum
Halicacabum

Strychnon id est Solanum hortense & quod editur adstringit, & frigefacit secundo ordine. Halicacabum uero hortensi simile, fructum habet qui urinam ciet, acino uuæ similem. At somniferi solani radicis cortex cum uino drachmæ pondere potus, somnum inducit. Huius quoque semen urinam ciet, estque tertij frigefacientium ordinis. Vnde si plures quàm duodecim corymbi ipsius bibantur, insaniam facit. Quartum genus inutile est ut intra corpus sumatur. Foris autem impositum ulcera serpendo depascentia curat, estque secundi ordinis in frigefaciendo ac siccando.

Alumen omne
Placitis
Plinthitis
Ficus
Stræon
Caprificus
Grossi
Ficus arbor
Caprificus

Stypteria id est Alumen omne acerbissimum est & crassarum partium. Præ alijs tamen magis tenuium partium est scissum. Post hoc rotundum & astragalotum. Crassarum uero abunde partium est liquidum, & id quod placitis, & quod plinthitis nominatur. Styrax calfacit, mollit, concoquit. Ad tusses itaque & destillationes ac grauedines commodat. Menses item propellit potus & appositus. Syca id est ficus, aridæ quidem calidæ sunt secundo ordine. Verum pingues magis concoquunt duros tumores. Acriores autem extergunt & discutiunt. At decoctum ipsarum ad mellis crassitudinem redactum, quod sane & ipsum aliqui Stræon uocant, similem melli uim habet. Virides ficus siccis imbecilliorem uim habent. Ambæ tamen aluum subducunt. Ficus autem caprificorum acris & discussoriæ sunt facultatis, quemadmodum eti-
B am grossi ex ficis satiuis. Syce id est Ficus arbor temperamenti calidi ac tenuium partium est, adeo ut et liquor eius, & foliorum succus, non solum mordeat aut extergat uehementer, sed etiam exulceret, & ora uenarum aperiat, & formicarias uerrucas exigat. Habet etiam uim purgatoriam. At syluestris ficus, quam caprificum uocant, ad omnia plus potest quam satiua.

Sycomori fructus non nutrit, et stomacho noxius est. At arboris succus uim habet mollientem, glutinantem uulnera, discutientem tumores. Bibitur autem & illinitur ad reptilium morsus, & lienibus induratis, & ad stomachi dolores, & ad horrores. Symphytum petræum ex contrarijs compositum est facultatibus. Habet enim & quid incisorium, quo & pus in thorace, & rhenes expurgat. Habet etiam quid quod contrahit, quod ad sanguinem spuentes, & rupta ac conuulsa, & rubicundum fluxum, & intestinorum herniam conducit. Habet item quandam calidam humiditatem, per quam sitim eximit, & asperitates in arteria sanat. At alterum symphytum magnum, uiscosum quid & pruriginosum habet, scillæ simile. Vtuntur autem ipso ad eadem, ad quæ etiam petræo. Sphondylij semina ac radix acrem ac incisoriam uim habent, ut anhelosos, & comitiales, & morbum regium sanent. At radix circumrasa & fistulis indita, callum ex ipsis eximit. Succus floris ipsius in aures instillatur, diuturnissimis ulceribus competens.

Lentiscus

Schinos id est lentiscus per omnes partes suas secundo ordine perfecto siccat. In calefaciendo ac frigefaciendo medius est, in tantum adstringens, ut hypocistidis succo in adstringendo propemodum accedat.

Iunci rotundi odorati flos
Iuncus leuis duplex
Oxyschœnus

Schœni anthos id est iunci rotundi odorati flos calefacit moderate, sed minus adstringit, & a tenuium partium natura non alienus est. Vnde & urinam ciet, & menses ducit, & ab obturatione liberat, in fomentis & potionibus ac cataplasmatis assumptus. Et radix quidem ipsius magis adstringit. Flos autem calidior est. Schœnos lea id est Iuncus leuis duplex est. Sed eius qui oxyschœnos id est iuncus acutus appellatur, semen somnificum est. Qui

uero

uero holoſchœnus, quaſi totus iuncus dicitur, eius ſemen minus id poteſt. Capitis idem dolorem inducit. Ambo autem fricta ſi cum uino bibantur, fluxiones uentris ſiccant, & muliebrem fluxum cohibent. Sori ſimilem uim habet, ſed multò magis craſſarum partium eſt quàm illud.

Initium literæ. τ.

Salſamenta Tarichorum id eſt ſalſamentorum caro acrem & ſiccantem uim habet. A preſtere itaq; uipera morſis datur, ut quàm plurimam edant, & uinum bibant copioſe, & reuomant. Conuenit etiam ad acriū eſum. Vtiliter quoque in canis morſu imponitur, itemq; in aliorum reptilium morſibus.

Xylocolla Gluten Taurocolla quam alij xylocollam uocāt, gluten eſt quod ex bubulis corijs fit, facultatemq; habet admodum exterſoriam. Vnde aceto diluta impetigines & lepras ſuperficiarias remouet, & ambuſta inflāmari prohibet aqua calida reſoluta. Eſt etiam uulneribus cōmoda cum aceto mulſo trita.

Tellinæ afficcatæ uſtæ cinerem urendi ui prædictum efficiunt, qui cedriæ mixtus ſi inſtilletur, pilos palpebrarum radicitus euulſos, rurſus naſci

Terebinthus prohibet. Terminthos id eſt Terebinthus calfacit ſecūdo ordine, ſiccat aūt ubi uiridis eſt primo ordine, ubi ſiccus, ſecūdo. Fructus aūt ſiccus tertij ordinis ſiccantiū eſt. Ideoq; & urinā ciet, & lieni prodeſt. Tettiges id eſt

Cicadæ Cicadæ dantur à quibuſdam crudæ ſiccatę tres, aut quinq;, aut ſeptē bibendæ colicis cum piperis granis eiuſdem numeri. Alij toſtas ipſas bibēdas ex

Beta hibent his qui ueſicam affectam habent. Teutlon id eſt beta nitroſa eſt. Vnde & extergit & diſcutit, & per nares purgat. Et hoc magis ea quæ alba eſt. Cocta uero uim habent arcendi inflāmationes, leniterq; diſcutiendi.

Teucrion calefacit ſecundo ordine, ſiccat tertio, incidendi ac tenuium partium uim habens. Vnde & lienes ſanat. Tephra id eſt cinis non

Cinis omnis omnis idem exacte temperamentum habet. Sed iuxta uſtæ materiæ differentiam euariat. Et acerborum quidem cinis, uelut quercuum & ilicum, nō modicam adſtrictionem habet, ut etiam ſanguinis eruptionem cohibeat, B nullo alio præſente. At acrium cinis, uelut fici & Tithymalli, acrior eſt, & magis exterſorius. Telephium calefacit primo ordine, ſiccat ſecundo. Eſt etiam exterſorium. Vnde ad putredinoſa ulcera conducit, et uitiligines

Fœnū græcū tum leucas tum alphos dictas, ſanat cum aceto. Telis id eſt fœnum græcum calidum ſecundo ordine eſt, ſiccat primo. Quare feruidas inflammationes exacerbat. Verum minus calidas & quæ indurata ſunt diſcutiendo curat. Tithymalli omnes ex quarto calefacientium ordine ſunt cum acrimonia & amaritudine forti. Verum radix quum aliquo modo debilior ſit, corroſorum dentium dolores cum aceto ſedat. Cæterum ſucci uehementiorem uim habentes, in cauernam quidem dentium induntur. Verum reliquum corpus ſi contingant, ipſum adurunt. Quare etiam pilos auferunt uel modice illiti. Et uerrucas tum alias, tum formicarias, & alia huiuſmodi auferunt. Affectiones item circa cutem extergunt, & maligna phagedænica

VII Tithymali ſpecies ulcera ſanant. Quum autem ſeptem ſint ipſorum ſpecies, fortiſſimi ſunt characias, & myrſinites, & qui in petris naſcitur arboris ſpecie. Deinceps autem qui uerbaſco ſimilis eſt, & cypariſſias. Deinde paralius, & poſtremum helioſcopius. Titanos id eſt Calx uiua uehementer urit, ut cruſtam

Calx efficiat. Extincta uero, urit quidem ſtatim, ſed poſt dies non amplius. Contrahit tamen & conſumit carnes. Si uero lota fuerit, mordacitatem amittit, ſpe ex aqua lota. At ſi fuerit ea aqua marina, abunde diſcuſſoria inde euadit. Tragacantha ſimilem gummi uim habet. Tragion planta eſt in Creta, lentiſco ſimilis, calida ordine tertio. Vim habens diſcuſſoriam attractoriamq; ac tenuium partium. Aculeos itaq; educit, & calculos atterit, & menſes mouet, drachmæ pondere pota. At aliud Tragion amarulentius quàm hoc, ſcolopendrio ſimile, ubiq; quidem naſcitur, ſed abundè adſtringit. Quare etiam ad fluidas affectiones conuenit. Tragoriganus origano uim ſimilem habet, aſſumpſitq; inſuper aliquid adſtrictionis.

A Tribulus moderatè frigefacit, sed terrestris in siccando fortis est. Aqua
ticus etiam leniter humectat. Ambo uero ad inflammationũ generationes,
aliasq; influxiones conueniũt. At terrestris fructus quũ tenuium sit partium
calculos in rhenibus atterit. Tragos frumẽtaceus zeę similis est, sed ma
gis ęgrè concoquitur, & aluum mollit. Trigla piscis, id est mullus, si as- *Mullus piscis*
siduè edatur, uisus hebetudinem inducit. Verum crudus dissectus & impo
situs, draconis marini, & scorpij & aranei morsum sanat. Tripolij radix
uim calidam habet tertio abscessu. Est & acris. Trifolium, triphyllon, alij as- *Trifolium*
phaltion, alij oxytriphyllon, alij menyanthes nominant. Est autẽ uis ipsius
calida & sicca tertio ordine. Triches, id est pili usti, lanis ustis similẽ uim *Pili*
habent. Trigonis, id est pastinacæ marinæ aculeus, denti debili illisus, *Pastinaca ma-*
atterit ipsum & excidere facit. Tryx, id est fex uini nõ usta quidem cõ- *rina*
posita est, abũdè siccans ac discutiens. Adstringendi uero uis, iuxta uini ex *Fex uini*
quo est speciem, ipsi accedit. Vtendum igitur ipsa in humidioribus & flui-
dis affectionibus. Sed & panos discutit, & in turgentibus mãmis lac extin
guit. Ast usta, quam etiã sphec1en, hoc est fecem siue feculam priuatim ap *Sphecle*
pellant ustoria euadit, ut etiam urentibus medicamentis ammisceatur. Vn
gues itaq; scabros eijcit cũ resina, & pilos flauos facit cũ lentiscino oleo per
totam noctẽ illita. Lota uero exterforijs oculorũ cõpositionibus ammisce-
tur. Cæterum aceti fex per omnia fortior est uini fece, & magis adstringit.

Troglodytes passer est minimus omnium auicularum, regulo excepto. *Passer troglo-*
Versaturq; maxime circa sepes. Hic & assatus, & crudus sale assiccatus, in *dites*
cibo sumptus, calculos in rhenibus atterit. Sed & usti ipsius cinis potus, idẽ
facit. Tyros, id est caseus recens compactus & mollis, repulsoriam uim ha- *Caseus*
bet leniter perfrigerãs, ut & uulnera glutinet impositus. At qui oxygalacti
nus dicitur, ultra repulsoriam etiam discussoriam modicã acquirit, & plus
glutinat uulnera. Vetus autem caseus, & magis qui pinguis est, discutit, ut
B etiam ad tophos arthriticorum commodet, maxime cum suillæ carnis deco
cto, quæ salsa sit ac pinguis.

Initium literæ. υ.

Hyacinthi radix bulbi speciem habẽs, primi ordinis est in siccando, se-
cũdi in frigefaciendo. Proinde pueros diutius impuberes conseruare credi
tur, si cum uino in cataplasmate imponatur. At semen leniter extergit & ad
stringit. Itaq; regio morbo laborantibus datur cum uino, magis siccans, mi
nus frigefaciens. Hyalos, id est uitrum tritum potum cũ uino tenui & *Vitrum*
albo, calculos in uesica atterere dicitur. Hydnon, id est tuber terræ, sub *Tuber terræ*
stantiam magis terream habet, cum modica quadam tenuium partium fa-
cultate. Hydrargyros, id est argentum uiuum ad medicum usum nõ ita *Argentum ui-*
ualde assumitur, quũ uenenum existat. Verum quidam ustum ipsum ac in- *uum*
cinerem redactũ, alijsq; specieb. permixtũ, colicis & uoluulosis bibendum
dederũt. Hydropiper calida est herbula, sed nõ uelut piper. Virides aũt
unà cũ semine in cataplasmate imposita, suggillata, & induratos tumores
discutit. Hydor, id est aqua, optima & nullam aliam substantiam ammixtã *Aqua omnis*
habens, frigefacit & humectat iuxta propriam substantiam. Verum ubi ac
quisititiã caliditatem suscepit, quandiu ipsam conseruat, calefacit. Vbi ue-
ro frigida fit, frigefacit, At uero quæ aliquã ammixtionem habet, uelut ni-
trosa, aut bituminosa, ea ammixtę substantię uim acquirit. Pluuialis autem
& adstrictionis quid habet, propter quam in ocularias, cõpositiones misce-
tur. Qualem uero optimam aquam esse oporteat, in primo libro dictum est.

Hyoscyamus qui nigrum semen habet, & qui flauũ, uenenosi sunt. Ap-
tissimus autem ad medicinas est is cuius & semen & flos album colorem ha
bet, ex tertioq; frigefacientium ordine est. Hypericũ duplex est, alterũ
Androsæmon & quod ascyrrhon appellatur, dictum est. Alterum calefacit *Androsæmon*
ac siccat, tenuiumq; partium substantiam habet. Vnde urinas & menses to *Ascyrrhon*
tus ipsius fructus mouet. Si uero cum folijs uiridis imponatur, uulnera ad ci

C catricem

catricem perducit. Arida uero folia ulceribus humidis ac putredinosis inſperſa, ipſa ſanant. Datur etiam coxendicum morbo laborantibus bibendū. A

Hypecoon frigefacit tertio ordine, prope ad papauer accedens.

Hypogloſſum frutex eſt. Huius radix & ſuccus mollientem uim habēt.

Hypociſtis ſuccus eſt eorū qui uelut cytini ad radices ciſthi, itēq; ciſthari appellati ſubnaſcūtur. Eſt aūt efficax medicamentū ad omnes fluidas affectiones, ſiccando ac corroborando partes. *Hippophaes* Hypophæſton ſpecies eſt ſpinæ fulloniæ, quemadmodum etiam Hippophaes. Huius ex capite, & folijs ac radicibus ſuccus ſiccatus, trium obolorum pondere cum aqua mulſa, aquam & pituitam euacuat. Maxime autem conducit ad rectæ ceruicis ſpirationes, comitiales, & ad affectiones circa neruos. Hyſſopum calfacit ac ſiccat tertio ordine. Eſt etiam tenuium partium.

Initium literæ. φ.

Lentes Phaci, id eſt lentes ſiccant ordine ſecundo. uerum caliditatis ac frigiditatis medium obtinent. Habent etiam quid adſtrictionis. Ipſum itaq; lentis corpus ſiccat, & uentrem ſiſtit. Decoctum uero propellit. Quapropter prior aqua diffunditur, ubi ſiſtendi uentris gratia lentes ſumuntur. Cæterum *Lens paluſtris* lens paluſtris humectat, & frigefacit ordine ſecundo. Phalaridis ſuccus, & folia, & ſemen pota, ueſicæ doloribus opitulantur, nimirum ut quæ tenuium partium quid habeat, inſuperq; calidum. Phalangitis nomen habet ex eo quòd morſis à phalangio opituletur. Eſt autem tenuium partiū. *Suber* Vnde & his qui torminibus uexantur, auxiliari uidetur. Phellos, id eſt Suber, & maximè id quod eſt è uinarijs uaſis, uſtum ſiccantiſſimum cinerem efficit, qui in dyſentericas maxime compoſitiones miſcetur.

Philyreæ arboris folia, ſimiliter ut ſylueſtris oleę folia adſtringunt. Cōmodant ulceribus in ore, ſi manducentur, & ſi decoctum ipſorum colluatur. *Verbaſcum* Hoc autem decoctum ſi bibatur, urinam & menſes ciet. Phlomos, id eſt *Thryallis* uerbaſcum plura genera habet, inter quæ eſt etiam thryallis. Omnium folia ſiccantem & moderatè extersoriam uim habent, & maxime eius quod auri colorem refert. Quia uero acerba ſunt, fluidis affectionibus conueni- B *Rhus* unt. Quidam etiam ipſa ad dentes colluunt. Phœnix, quam alij rhun uocant, herba eſt lolio ſimilis. Vim habet adſtringendi. Pota itaq; in uino au- *Palma arbor* ſtero omnes fluidas affectiones ſiſtit. Phœnix, id eſt palma arbor, fructū quidem habet iam maturum, moderate calidum & corroborantem, & ſtomacho gratum, ſiue intrò ſumatur, ſiue foris imponatur. Verum quod reliquum eſt in ipſa abundè adſtringit: unde ſtomachicis & hepaticis compoſitionibus ammiſcetur. Omniū autem maxime adſtringit id quod enaſcentis fructus uelut inuolucrum quoddam eſt. Phormion tenuium partium exterſoriamq; ac attractoriam uim habet. Itaq; albugines attenuat ſemen eius cum melle, & aculeos educit. Phu nardo ſimilem radicem habet, ſed ad plurima debiliorem, urinas tamen magis quàm ipſa propellit, ſimili- *Fucus* ter ut celtica nardus. Phycos, id eſt fucus frigefacit ac ſiccat ſecundo abſceſſu, habens etiam aliquid moderatè adſtringens. Phyllitis quum acerbam qualitatem habeat, non abſq; ratione alui profluuia pota ſiſtit.

Initium literæ, χ.

Galbanum Chalbane, id eſt galbanum calefacit propemodum tertio ordine, ſiccat prope ſecundum, ut quæ mollientem ac diſcuſſoriam uim habeat.

Chalcitis adſtringentis & acris, & urentis ac cruſtam inducentis facultatis eſt. Tenuitate uero partium medium inter miſy & ſori obtinet. uſta ue- *Atramentum ſutorium* ro magis tenuium partium euadit. Chalcanthos, id eſt Atrar entum ſutorium, aqua eſt congelata in metallis in Cypro, quæ fortiſſimam adſtrictionem cum caliditate habet nō ingeneroſa, & præ omnibus humidas carnes aſſeruare ac ſiccare poteſt. uerum longiori temporis progreſſu in chalciti- *Aes uſtum* dem tranſit. Chalcos, id eſt Aes, uſtum quidem habet quid acre, & adſtrictionis particeps eſt. Optimum igitur eſt ad cicatrices ulceribus inducendas

cendas in ſiccioribus corporibus. Si uero lotum ſit, teneris corporibus ma-
A gis commodat. Chalci anthos, id eſt Aeris flos tenuium magis partium *Aeris flos*
uim habet quam æs uſtũ, & ſquama ipſius. Si igitur collyrijs ammiſceatur,
aſperitates & ſycoſes palpebrarũ deterit. Chamædrys calefacit ac ſic-
cat tertio ordine. Lienes itaq; conſumit, & urinas ac menſes mouet, & uiſce-
rum obturationes expurgat. Chamæciſſi, id eſt hederæ terreſtris flos, *Hedera terreſtris*
quum abundè amarus ſit, hepatis obſtructiones aperit. Datur etiam ad co-
xendicum dolores. Chamæleuce calfacit tertio ordine, ſiccat primo.

Chamæleonis nigri radix calefacit ac ſiccat propè tertium ordinem.
Extergit autem uitia cutis, & diſcutit ac mollit duros tumores, & phagedæ-
nica ulcera in cataplaſmate impoſita ſanat. At intra corpus ſi accipiatur, ue-
nenoſa eſt. Cæterum albi radix ſimilis eſt nigri radici, ſed amarior eſt. Hæc
cum uino auſtero acetabuli menſura pota lumbricos latos necat. Facit itẽ
ad hydropicos. Chamæmelum ſiue anthemis calefacit ac ſiccat primo *Anthemis*
ordine. Eſt & tenuium partium, & diſcutit, & laxat, & rarefaciendi uim ha-
bet. Chamæpitys ſecundo ordine calefacit, tertio ſiccat. Quare uiſcera
& maxime hepar purgat ac extergit. Ducit etiam urinas & menſes, & ma-
gna uulnera glutinat, & putredinoſa ſanat, & duricias diſcutit. Decoctũ ip-
ſius etiam ad coxendicum morbũ facit. Chamædrops ab alijs item cha-
mædrys appellatur, ab alijs etiam Teucrion, ſimilem autẽ chamædryi uim *Teucrion*
habet. Chamæſyce exterſoriam & acrem uim habet. Quare & formica-
rias, & alias uerrucas auferunt, tum urgulta ipſius, tũ ſuccus. Exterũt item
cum melle craſſas in oculis cicatrices, & uiſus hebetudinem & ſuffuſiones
incipientes ſanant. Chamelæa exterſoriæ eſt facultatis. Quare ſordida
ulcera & cruſtas purgat cum melle. Chelidonium magnum calfacit tertio
ordine. Eſt & fortiter exterſorium. Succus ipſius ad uiſum acuendum utilis
eſt. Radix morbo regio laborantes ab obturatione liberat, cum uino & ani-
B ſo pota. Commanſa dentium dolores eadem ſanat. At minus Chelidonium
quum quarti ordinis calefacientium ſit, acrius eſt, ut cutem exulceret in ca-
taplaſmate impoſitum: ſcabros item ungues eijcit. uerũ ſuccus ipſius per na-
res purgat. Chelidones, id eſt hirundines ſi uſtæ ſint, cinis ipſarum cum *Hirundines*
melle illitus, anginoſas inflammationes ſanat. Facit etiam ad uiſus clarita-
tem. Chole, id eſt fel ſiue bilis, calidiſſimus eſt omnium aliorum anima- *Fel animalium*
lis humorum Differt autem colore quidem, eo quòd flaua calidior eſt quàm
pallida, & æruginoſa quàm flaua. Verũ pro differentia animaliũ quę ipſam
habent, eo quòd ſuilla omniũ debiliſſima eſt, ut etiam ulceribus in auribus
citra mordacitatẽ opituletur. Hac acrior eſt ouilla, & hac caprina. Huic aũt
ſimilis eſt urſina & bubula. Taurina uero fortior eſt, & hac hyænarum, quã
tamen callionymi piſcis, & ſcorpij bilis ſuperat, quę oculorũ ſuffuſionibus,
& hebetudinibus ac albuginibus cõuenit, itemq; marinæ teſtudinis. At fel
capræ ſylueſtris etiam nyctalopibus prodeſſe dicitur. Porrò uolatilium fel
omne acrius eſt, & magis ſiccat q̃ quadrupedum. Et ex illis ipſis gallorum
& perdicum fel præſtantius eſt. Sed accipitris & aquilæ fel acrius quodam
modo eſt & corrodens, coloreq; æruginoſum. Quandoq; etiã nigrũ. Chon-
drile ſeridis ſpecies eſt, & ſubamarum quid habet. Quare etiam magis quã
illa ſiccat. Chondros tritico ſimilis eſt. Sed magis illo uiſcoſus.

Chryſocolla quædam eſt quæ in metallis reperitur, quædã præparatur,
ita ut in æris rubri pila, piſtillo eiuſdem æris, urina pueri impubis teratur, in
ardoribus ſub cane. Hæc itaq; extergit, diſcuſſoriam ac ſiccantem uim ha-
bens, magis quàm ea quæ in metallis reperitur, adeo ut etiam carnem ci-
tra mordacitatem conſumat. Vlceribus itaq; malignis conuenit. Sed & ſi
illam uſſeris minus mordacem efficies. Chryſocome quæ & Chryſitis *Chryſitis*
acrem ſimulq; adſtringentem uim habet in radice. Quapropter neq; multi
uſus eſt. Datur tamen in peripneumonijs & hepaticis affectionibus cocta
in aqua mulſa Mouet etiam menſes.

Initium literæ. ψ.

Pseudobunion specie simile est bunio. Calefacit autem & discutit, ac ex tergit. Tormina itaq; & urinæ stillicidia, & laterum dolores soluit. Discutit item strumas, cū sale & uino in cataplasmate imposita. A Pseudodictamnum debilis dictamni uim habet. *Cerussa* Psymithium, id est cerussa frigefacit, & meatus obducit. Psyllij semen secundi ordinis frigefacientium est. Verum siccando & humectando medium obtinet. Ploricum fit, spumę argenti si duplum chalcitidis misceatur, & hæc aceto terantur, & in nouam ollam data, fimo ad quadraginta dies obruantur. Ita enim & magis siccat, et magis tenuium partium, minusq; mordax chalcitide euadit.

Initium literæ. ω.

Ouum Oui candidum & tenue ex his est quæ omni penitus mordacitate carent, moderatè frigefaciens. Vtendum itaq; ipso in oculis, & in ulceribus in pudendis, & omnibus malignis. Miscetur item sanguinem sistentibus meatus obducentibus medicamentis. Sed & luteum similem uim habens, medicamentis inflammationem arcentibus miscetur. Si uero assetur, magis quidem siccat, sed minus mitigat. At ueró aceto coctum totum ouum, si edatur, fluxiones uentris reficcat. Si uero etiā addatur aliquid ex acerbis, uelut est galla, aut rhus, aut balaustium, atq; ita in sartagine frigatur, multò efficacius euadit. Sed et ambustis statim auxiliatur, totum ouum crudum impositum. At si sorbile exhibeatur, thoracis affectiones concoquit ac mitigat, & arteriæ asperitates leuigat. Præferendum porro est recens uetusto, & gallinarum ouum reliquorum animalium ouis. Ocimum ex secundo ordine est eorum quæ calefaciunt. Habet autem humiditatem superuacuam. Vnde neque utile est ut intra corpus suscipiatur. Extrinsecus autem adhibitum, *Philetærion* discutit & concoquit. Ocimoides quam aliqui Philetærion nominant, radicem quidem inutilem habet. Verum semen tenuium partium est, & citra mordacitatem siccat. B

De medicamentis simplicibus purgantibus. Cap. IIII.

Quæ bilem flauam ducunt.

Aloe mane danda Aloes drachma una cum aqua mulsa manc detur. Qui enim uesperi dāt, aut post cibum, lædunt. Corrumpit enim alimentum: uacuat autem flauam bilem Si uero minus detur, nimirum trium obolorum pondere, stercora solum abundè euacuat. Quū uero omnia purgantia stomacho noxia sint, sola aloe stomacho grata est. Qui autem amaritudinem eius non sustinent, *Purgantia mēdicamentanou qualitate* his in catapotia efformata exhibeatur. Siquidē quòd purgantia medicamenta non simplici aliquo temperamento euacuēt, ueluti caliditate: oportebat enim omnia calida euacuare, uelut est piper quoq;: sed totius substātiæ proprietate, quomodo Magnetes ferrum trahit, demonstratum est. Cęterū ex *Purgantium scopus* purgantibus ea quæ solum molliunt, primo libro relata sunt. At efficaciori bus ex ipsis utimur, aut ut materiam transferamus: aut ut affectionem in duratam remoueamus, ac euacuemus: aut ut corpus transmutemus, & temperamentum ipsius euertamus: aut ut infestantem humorem ex ipso educamus. Sunt etiam quidam mixti ex relatis modis, inter ipse cōnexi. Vtendum est purgatorijs, in his qui uires robustas habent, & uoluntatem constantē, & qui primas ætates excesserunt, nondum autem ad extremas deuenerūt, & qui stomachum robustum habent, & multam inutilem materiam in corpore collegerūt, nec ualdè multum sanguinem habent. Tempus porrò pur- *Purgationum tempus* gationum, si res non urgeat, maxime uernum, & autumnale est.

Et bilem quidem educentibus utēdum est omni tempore, excepta hyeme. In ætate autem uigoris, & declinante. In habitibus siccis, & musculosis, & nigri coloris aut rubicundi. Et in uiris potius quam in fœminis. Et in his qui assiduè cibos corrumpunt, & uentrem subadstrictum habent, & bile amara abundant, iracundiq; sunt, & paucas urinas excernunt. In his item qui siccis alimentis utuntur ac calidis. Et in affectionibus morbi regij, hepati-

cis,

A cis, pleuriticis, phrenitide, angina, insania, cephalæa, lippitudine, igne sacro, lepra, febribus, & in quibus humor biliosus abundat.

Aloe quibus danda

Datur porrò Aloe, capite grauatis, lippientibus, siticulosis, & quibus in somnis imaginationes obuersantur citra febrem. His etiam qui horroris discursum percipiunt, & qui flatus acres excernunt, & intestina mordeti sentiunt, & circa stomachum feruorem, aut fastidium cuersorium percipiunt: & quibus ob recrementorum copiam infusum per clysterem exhiberi non potest. Nam abundè euacuat, totum quidem corpus non euacuans, nisi ualdè multa detur, sed insidentem intestinis uentricꝫ ac stomacho bilem educens. At ueratrum cōuenit in acutis morbis, & diuturnis, qui bilem ducente medicamento opus habent, uelut sunt insani, altera capitis parte uexati, oculos fluidos habentes, circa thoracem affecti. Maxime autem idoneum est uisceribus, utero ac uesicę, si bilem ducente medicamento hæc indigent. Commodum est etiam in aspera arteria diutinè affecta, ad morbum regium, ad pustulas, impetigines, herpetas, ignes sacros, lepras. Nigrum ueratrum bilem ducit maxime flauam ex toto corpore, citra molestiam. Vnde etiam non grauiter febrientibus datur, & magis febre carentibus drachma una radicum in aqua mulsa tritarum aut aqua, ita ut prius ieiunarint. Aut exhibetur cum melle in catapotia efformatum. Quidam admiscent ipsi pulegium, aut thymbram, aut aliquo dex cito transeuntibus stomacho gratis. Scammonia similiter ut ueratrum purgat, & magis flauam bilem. Verum magis quàm omnia purgatoria, stomacho noxia est. Detur itaque non febrientibus, & stomacho bene affectis pondere obolorum quatuor, cum sale aut pipere, aut zingibere, aut quodam oxyporo cito transeunte, stomacho grato: aut cum melle. Fiunt & catapotia cum gummi. Colocynthidis medulla bilem potissimum uacuat, & mucosa, non de sanguine quemadmodum ueratrum & scammonia; sed de neruis & partibus neruosis, drachmæ pondere, in aquæ mulsæ cyathis duobus, in qua ruta sit incocta. Teratur autem diu, nam aspretudines ipsius intethis partibus adhærentes, ulcerationes & neruorum per consensum affectiones inducūt. Danda est his qui caput affectum habent, aut quibus membrana cerebri, aut ea quæ caluariam ambit affecta est: uelut sunt uertiginosi, alteram capitis partem dolentes, à cephalæa uexati, comitiales, siderati, canino modo conuulsi, diutina oculorum fluxione laborantes, recta ceruice spirantes, anhelosi, diuturna tussi uexati, Insuperꝗ arthritici, & qui circa rhenes aut uesicam affectionem habent. Elaterium similiter ut scammonia euacuat; Eligendum id quod prasini coloris est, & leue, & non uetustius anno. Datur trium obolorum pondere tritum cum lactis hemina una.

Veratri exhibitio

Scammoniæ usus

Colocynthidis usus

B

Elaterij exhibitio

Tithymalli usus

Tithymallus ducit bilem similiter ut elaterium & scammonia. Dantur succi guttæ quatuor aut quinque, cum polenta subactæ, ita ut cito deuorentur. Nam in ore detentæ diutius, linguam & circumsitas partes exulcerant. Lathyrides purgant bilem, sicut ueratrum & scammonia. Dentur septem aut octo, & ad quindecim usque, ita ut robusti, & ampliore purgatione opus habentes, ipsas mandere iubeantur. Debiliores autem & stomacho male affecti, totas ipsas deuorent. Peplij uirgulta quæ semper sicca sunt, octo obolorum pondere dantur in aqua mulsa. Ducunt bilem similiter ut ueratrum. Flatus item erumpere faciunt.

Peplij exhibitio

Agarici usus

Agaricum similem colocynthidi uim habet, tarde quidem operans, non autem ualdè stomacho noxium. Datur tritum duarum drachmarum pondere, cum aqua mulsa. Sit autem albissimum, & maxime friabile, & non ita lignositum, neque corrosum. Iris Illyrica similiter purgat, octo obolorum pondere data, in aqua mulsa. Sit autem non uetusta, nec teredines habeat.

Iridis Illyricæ usus

Centaurij purgatio

Centaurium paruum bilem & mucos purgans, priuatim coxendicum morbo laborantibus conuenit. Bibitur ipsius decoctum, sic ut centaurij sesquidrachma, in aquæ hemina coquatur, donec ad dimidiam deueniat.

Tragorigani usus *Chamelææ purgatio* *Aristolochiæ exhibitio* *Polypodij usus* A

Tragorigani flos cum semine datur duarum drachmarum pondere, in aqua mulsa, his quibus etiam ueratrum nigrum. Est autem stomacho magis gratum quàm ueratrum, sed minus purgat. Chamelææ drachmæ quatuor, in aquæ mulsæ cyathis duobus coctę, ut ad quartans partem deueniant, similiter ut ueratrum purgant. Aliqui chamelæam cum duplo absinthij in catapotia efformant ac exhibent. Aristolochiæ clematidis seminis drachma una, in aqua mulsa data, purgat ut colocynthis. Polypodij radix sicca trita aquæ mulsæ inspersa, aut cum ipsa trita, idē φ colocynthis facit.

Bilem atram euacuantia

Quæ bilem atram euacuant.

Atram bilem educentibus utendum est præcipuè in melancholicis, his qui facile exacerbantur, iracundis, homines auersantibus, aut in secessu degentibus, et in his qui ubi à morbo se recolligunt, purgatione opus habent. In autumno feruente. In habitibus siccis, ac parum musculosis.

Epithymi purgatio *Epithymbri usus* *Pulegium* *Tragoriganus* *Alypon quæ alypias* *Parthenij purgatio* *Alysson purgans*

Epithymum optimum est ex his quæ atram bilem euacuant. Dantur ex ipso drachmæ quinq; tritæ cum seri lactis hemina. Epithymbron quod super Thymbram nascitur, similiter ut epithimum euacuat, sed debilius est. Pulegium atram bilem ducit, acetabuli mensura in aqua mulsa potum. Tragorigani heracleotici eadem mēsura similiter ut pulegiū nacuat. Sed ambo sicca. Alypi semen atram bilē deorsum purgare dictum est, si pari copia uelut epithymum sumatur cum sale & aceto. Verum intestina uelut dioscorides ait, leniter exulcerat Est aūt ut arbitror, ea quæ nunc alypias appellatur Datur in aqua mulsa. Parthenium similiter siccum potum eadem ducit. Alysson cum sale potum, similiter ut hæc purgat.

Pituitam euacuantia

Quæ pituitam euacuant

His quæ pituitam educunt utendum est in frigidioribus habitibus, & his qui consenuerunt, et hyeme. Item in resolutis, & sideratis, & qui laxis tumoribus intumuerūt. In his quoq; qui multam pituitam in uentre, aut thorace, aut stomacho habent, & in muliebri fluxu. Conueniunt etiam multa emungentibus, & crassa exscreantibus, cibumq; fastidientibus, & coxendicum morbo laborantibus, ubi articulus submucosus aut pituitosus fuerit. B Maxime aūt conueniūt hydropicis, ex ea specie quę proprie intercus dicitur, laborantibus.

Styracis purgatio *Crotones* *Apios* *Chameraphanus*

Styracis albi drachma una, cum resina terebinthina æqualis ponderis pota, pituitam euacuat. Oleę radicis cortex drachmę pondere cum uino aut aqua. Item pyrethri oboli nouem cum aqua. Lychnidis seminis drachmæ duæ. Cyclamini radicis drach. una, cum aqua mulsa. Scordij drachmæ duæ cum melle. Chamepitys trita & in catapotijs data. Squamæ cypriæ drachma dimidia cum pari resina in catapotijs. Hæc ualidius pituitam purgat. Foliorum lauri uiridium sesquidrachma. Cucumeris syluestris radicis corticis oboli duo. Ricini grana quadraginta, qui crotones appellantur, decorticata eduntur, & similiter faciunt. Apij dimidium id quod ad radicem est: & ab aliquibus chamæraphanus uocatur si edatur.

Bdellij drachmæ duæ cum aquá mulsa. Priuatim uero gummi oculis fluidis commodum est.

Aquam euacuantia

Quæ aquam euacuant.

Aquam educētibus utendum est in hydropicis ex ascite hydrope laborantibus, & in mulieribus à fluxu albo infestatis, & his qui fluida ulcera habent. Squamæ cypriæ drachma una cum aqua mulsa pota, aquam ducit. Verum aceti parū insuper sorbere oportet, ut ne reuomatur. Granum cnidium decorticatum tritum cum melle cocto deuoratum, ut ne gulam sine transglutitionem contingat, aquam ducit. Danda sunt grana uiginti, aut uiginti quinq;, aut triginta, fortioribus quadraginta. Euphorbij drachma una cum melle cocto deuorata, pituitam ducit. Magis tamen aquam. Lonchitidis seminis oboli octo, cum aqua mulsa aquam ducunt. Cneorum similiter aquam purgat, cum polenta uoratum. Cnici seminis drachmæ quinque contritæ cum ptisana concoquuntur addito pauco sale, & sorbentur. Ammoniaci

A moniaci Thymiamatis drachmæ duæ in aqua mulſa potæ, aquam ducunt. quidam ſplenicis ipſum cum poſca exhibent.

De medicamentis compoſitis purgantibus. Cap. V.

Purgantia compoſita

CAtapotia ex aloë. Colocynthidis medullę partem unam, ſucci abſinthij partem unam, aloes partē unā, ſcāmoniæ partes duas. Cum aqua in catapotia efformato ciceris magnitudine. Dantur ex his grana undecim.

Acetum mulſum Iuliani

Acetum mulſum Iuliani. Rutæ quadrantem, origani quadrantē, comæ thymi trientem, anethi ſeſquiunciam, iridis unciam unā, radicis Mandragoræ ſeſquiunciam, agarici ſextantem, tedarum pinguium unciæ. xij. grani Cnidij trientem, lathyridum quadrantem, alypiadis quadrantem, polypodij ſextantem, folij unciam unam, coſti unciam unam, ſpicæ nardi unciam unam, Rhei pontici ſeſquiunciam, ſcillæ quadrantem, ſambuci uirgultorum quadrantē, canopi, qui eſt ſambuci cortex, quadrantē, aſari unciā unam, pulegij quadrantem, epithymi ſextantem, ueratri ſextantē, acori ſextantē, ſij unciā unā, amomi unciā unā, hyperici unciam unā, cymini unciā unam, aniſi ſextantem, aceti ſextarios decem, mellis ſextarios quinq;. Herbas ad triduum in aceto macerato. Deinde facta coctura, donec plus quàm dimidiū inſumatur, mel adijcito: & facta colatura, lathyridas addito, coſtū item & granum Cnidium, & ſpicā nardi tritā. Aut ſi uoles, poſtquàm acetū mulſum perfectè fuerit coctum. Doſis perfecta eſt uncia una, aut pro uiribus. Facit ad podagricas affectiones, & ad comitiales, & in quibus euacuare ſimulq; ab obturatis amouere opus craſſos humores.

Canopum

Purgatoria uaria

Purgatorium aquam ducens ex Caryophyllo. Aloes, epithymi, caryophylli, grani cnidij, petroſelini, rhei pontici, ſingulorum ſemunciam, euphorbij ſcrupulos quatuor. Mellis quod ſatis eſt. Datur cochlearij mēſura.

Purgatorium ex Rhodomelite, Alexandri. Roſarum ſucci ſextar. duos, mellis ſextar. unum, ſcammoniæ trientem. Doſis perfecta cochlearia
B quinq; Minor cochle. duo. Media cochle. tria. Aliter. Mellis librā unā, Roſatū ſucci lib. unā, piperis drach. duas, ſcāmoniæ drach. octo, maſtiches drach. quatuor, zingiberis drach. duas. Aliter quo ego utor Spicę nardi, aſari, epithymi, ſingulorū ſemunciā in aquæ hemina per triduum macerato, & moderata facta coctura, roſarum ſucci ſextarium dimidium ad aquam adijcito, & mellis ſextar. dimidium, & facta ad compagem uſq; coctione, ſcammoniæ ſeſquiunciam addito.

Purgatorium ex malis cydonijs. Malorum cydoniorum aſſatorum trientem, piperis ſemiunciam, ſcammoniæ drach. j. Mellis quincuncem, ex tritis præbe cochlearium unum, aut pro uiribus.

Purgatorium ex malo citrio, ſtomacho gratū. Mali citrij corticis et carnis libram unam, in aquæ ſextario. j. s. ad tertias coquito, & mellis ſextar. s. adiecto, ad mellis ſpiſſitudinem coquito, & piperis longi unc. j. ſcammonię in fermento toſtæ unc. j. terito ac inſpergito.

Buccellatus purgatorius

Buccellatus purgatorius. Scammoniæ toſtæ unc. j. piperis & ſeminis apij, ſingulorum ſcrup. j. fœniculi, aniſi ſingulorum unc. i. mellis libr. j. De moderate toſtis dato unc. j. in condito.

Oliuæ purgatoriæ

Oliuæ purgatoriæ. Scammonię unc. j. piperis unc. j. epithymi, cymini torrefacti, petroſelini, foliorum rutæ, mentæ uiridis, ſingulorū drach. iiij. ſilphij drach. j. palmularū quincuncē, mellis quincuncē, aceti heminas. ij. oliuarū colymbadum muriæ innatantium fiſſarum uidelicet, ſextarium. j. Quidam etiam gari modicum addunt. Dantur ex his. v. aut. vij. aut viiij.

Paſtillus purgatorius. Scammoniæ drach. iiij. euphorbij drach. iiij. folij drach. ij. piperis drach. ij. Mellis libram. j. Datur uncia. j.

Poſca purgatoria

Poſca purgatoria, & ſtomacho grata. Cumini, fœniculi ſingulorum unc. j. pulegij, apij, aniſi, ſingulorum ſemunciam, epithymi, ſcammoniæ, ſingulorum unc. j. ſalis ſextantem. Doſis perfecta ſcrupuli. ij. in poſca. Quidam euphorbij ſcrup. iiij. adijciunt.

Vinū purgatorium Vinum purgatorium in hydropicis. Scillæ quadrantem, apij seminis sexuncem, piperis drach. j. capparis radicis drach. iiij. grani cnidij decorticati drach. j. folij malabathri globulos. ij. Vini heminas. xij. mellis sextar. iij. Scillam contusam in uino macerato. Reliqua trita ammisceto. A

Sal purgatorius Sal purgatorius. Salis communis torrefacti drach. vj. apij seminis, zingiberis, panis sicci, singulorum scrup. vj. anisi, piperis, singulo. semunciam. scammoniæ, epithymi, singulo. unc. j. Datur cochlea. j.

Purgatoria ex Hermodactylo podagricæ. Hermodactyli quadrantem, anisi, cumini Aethiopici, ameos, thymi corymborum, piperis albi, zingiberis, singulo. scrup. iij. epithymi semunciam. Dosis. scrup. iiij. Aliqui. vj. dant. Datur mane cum condito, aut aqua mulsa, aut mero feruefacto.

Aliter eadem purgatoria. Hermodactyli unc. j. cumini Aethiopici, anisi, agarici, zingiberis, singul. scrup. vj. masliches scrup. ij. spicæ nar/Moschus di scrup. ij. moschi siliquam. j. cnici scrup. ij. Dantur scrup. iiij. cum hydromelo. Scammoniam reprobamus, eo quòd stomacho noxia sit. Si uero ampliore euacuatione, opus sit, misce ad dosim scammoniæ siliquas. iij. datur loto.

Carapotia ex lapide Armenico, quæ in morbo articulari maxime dantur. Aloes trientem, scammoniæ sexuncem, agarici unc. j. epithymi unc. j. lapidis armenici scrup. xij. cassiæ unc. j. spicæ nardi unc. j. scillæ assatæ sexuncem, croci scrup. xij. Excipe rhodomelite. Dantur. scrup. ij.

Purgatoria ex cornopodio, faciens ad quæ etiam ea quæ ex hermodactylis, stomacho commoda. Zingiberis scrup. ij. piperis scrup. j. agarici scrup. x. cnici internæ partis scrup. iiij. cornopodij radicis scrup. vj. Dantur scrup. iij. His uero qui aluum ægre solubilem habent siliquæ. xxiij. quæ faciunt omnino. vij. aut propemodum. viij. obolos. Ea post euacuationem ubi lauisti, ex ouis & pane nutrito.

Purgatorium ex cyrenaico succo, ad febres quartanas. Succi cyrenaici, piperis, zingiberis, rutæ foliorum, singul. drach. j. datur nucis ponticæ magnitudine. B

Pulticula purgatoria Pulticula purgatoria, faciens ad tumefactos, elephantiacos præcipuè, et in quibus crassum ac uiscosum humorem quis exigere uelit. Colocynthidas. ij. resectas semine euacuato, & dimissa medulla, oleo dulci ipsas expleto, impositisque resectis ab ipsis operculis, per diem ac noctem sinito. Postera die euacuato oleo, colocynthidas in aqua donec flaccescant coquito. Deinde ipsas quidem reijcito, oleo uero ad aquam ammixto, ueratri nigri obolos. iij. adijcito, & scammoniæ drach. j. Cum his autem pulticulam ex similagine, aut panem siccum tritum coquito. Postea ex hac, ægro simplici antea uictu uso, dabis nucum ponticarum. viij. aut. x. magnitudinem, aut ad summum. xiij. & aquam calidam bibendam.

De custodia eorum qui purgantur, & quid sit faciendum his qui ex sumpta purgatione non purgantur. Ex philagrio. Cap. VI.

Ieiunis exhibēda purgatoria IN omnibus efficacibus in summa purgatorijs, homini simplici antea uictu uso, ieiuno & probe facta concoctione, medicamentum dato, et ut ad perfectam usque purgationem ne dormiat prohibeto. Motum etiam moderatum, si fieri potest, faciat, & ab omni cibo ac potu tūc abstineat, ad perfectā usque purgationem. Si uero inediam non ferant, aut propterea quòd os uentriculi in ipsis facile bilem concipit, ob longam inediam prægressam, aut aliam quandam eiusmodi causam, dandus est ipsis panis ex uino aquoso: aut ptisanæ aut alicæ succus, non ubi iam euacuatio incœpit, ut ne corrumpatur, sed statim post medicamenti potum. Sic enim aliquando etiam gratiæ sua, ad celerem medicamenti motum cooperatur. Si tamen quis pos/Non purgato rū afflictiones to quocunque tandem aluum subducente medicamento, non purgetur, neque euacuetur, si quidem nihil molesti adest, nihil sollicitum esse oportet. Si uero res urgeat, ob magnitudinem morbi, aut æger lancinetur, & disten datur

A datur, & uelut ſerra ſecetur, neceſſario ſtatim infuſum per clyſterem adhibetur Si uero neque ſic obediat aluus, ſi quidem corpus morſum ſentiat, & uelut euertatur, lauare & largo oleo illinire oportet: ſi uero repletum ſit, & grauetur, uenam ſecare: præſertim ſi multo ſanguine homo abundet, & oculos rubicundos ac prominentes, non naturaliter, ſed aduentitio modo, ob potum medicamentum habeat. At ſi nihil horum infeſtet, ſed morſus & lancinatio adſit, à balneo ſtatim nutrire oportet, & uinum largum bibendum exhibere, & interim clyſterem adhibere, ſi non ſedetur, & rurſus lauare. Sit autem oleum quod per clyſterem infunditur rutaceum, aut ex alio quopiam flatus diſcutiente paratum.

De his qui nimium purgantur. Cap. VII.

Nimium purgati

EOrum qui nimium purgantur cutis confricetur, & calida lauetur, ante balneum dato uino tenui fuluo ac flauo: Tale enim celerrime ad diſtributionē procedit: et pane madido, ac malis punicis. Quod ſi perſeueret euacuatio, artus deligentur, ita ut uincula ex ſupernis deorſum procedant, & adſtringant, & quid ſanguinis ac ſpiritus intercipiant. Detur etiam modicum de Theriaca ex carnibus uiperæ bibendum. Tranſilit enim ad cutem, & humorum in uentrem lationem breui reuellit, & quod uenenoſum ac medicatum eſt in purgatorijs medicamentis, id obtundit. Et ſi hæc deſit, de paſtillis Theriacis, & amplius de paſtillis ex ſeminibus, & de antidoto philonio appellato dabis. Sed & cucurbitis ad ſtomachum utendū eſt, & cataplaſmaris ex polenta & uino mulſo. Poſt hæc epithematis adſtringentibus utendum. Maxime autem utilitatem ſentiunt ex totius corporis frictionibus, & medicamentorum potionibus. Abſtineant præterea ab aere frigido ac calido ualde. Ille enim materias ab externis intrò compellit, & fluxum auget. Hic uero diſcutit & exoluit uires. Si uero ob morſum inteſtinis irritatis euacuatio augeatur, prædicta cataplaſmata imponā
B tur, & hebetantia per clyſterem infundantur, adeps nimirum anſerinus, & uinum dulce, oleum nardinum & ſimilia.

Aeris frigidi et calidi exceſſus nociuus

De Hieris Antidotis. Cap. VIII.

Hieræ uariæ

HIera Antiochi. Chamædryos, agarici, colocynthidis medullæ ſtœchadis, ſingulorum drachmas. x. opopanacis, ſagapeni, petroſelini, ariſtolochiæ clematidis, piperis albi, ſingulorum drachmas v. cinnamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ Troglodyticæ, croci, folij, ſingulorum drachmas iiij. Mellis quod ſatis eſt.

Alia Hiera. Colocynthidis medullæ drach. xx. ſcillæ aſſatæ, agarici, ammoniaci Thymiamatis, ueratri nigri corticis, ſcammoniæ, hyperici, ſingulorum drach. iij. epithymi polypodij ſicci, bdellij, aloes, chamædryos, marrubij, caſſiæ, ſingul. drach. viij. myrrhæ Troglodyticæ, opopanacis, ſagapeni, piperis communis, & longi, & albi, petroſelini, cinamomi, croci, caſtorij ariſtolochiæ longæ, ſingul. drach. iiij. Mellis quod ſatis eſt.

Hiera Iuſti. Epithymi drach. xij. marrubij, ſtœchadis, chamædryos, ueratri nigri, ſcammoniæ, agarici, piperis longi, ſcillæ aſſatæ, ſingul. drach. xvi. euphorbij, colocynthidis medullæ, aloes, croci, gentianæ, petroſelini, ammoniaci Thymimatis, ſagapeni, ſingul. drachmas. viij. opopanacis, polij, cinamomi, myrhæ, ſpicæ nardi, floris iunci rotundi odorati, pulegij, ſingul. drach. iiij. ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſingulorum drach. ij. Mellis quod ſatis eſt. Doſis ſcrup. ij. aut. iij. aut. iiij. cum aqua mulſa, & ſale.

Hiera Galeni. Chamædryos, piperis longi, piperis albi, ſtœchadis, ueratri nigri, ſcammoniæ, ſpicæ nardi, ſcillæ aſſatæ: Quidam etiam epithymi: ſingulorum drach. xvi. myrrhæ, croci, ammoniaci Thymiamatis, euphorbij, ſingulorum drach. viij. Excipe melle.

Sycionia eadē quæ Colocynthis

Hiera Ruſi. Sycioniæ ſiue colocynthidis medullæ drac. viii chamædryos drach. x. ſagapeni drach. viij. petroſelini drach. v. ariſtolochiæ ro

tundæ

tundæ drach.v.piperis albi drach.v.cinamomi drach.iiij.aut caſſię drach. viij.ſpicæ,croci,polij,myrrhæ,ſingul.drach.iiij.Mellis quod ſatis eſt. A

Hiera Archigenis. Marrubij,agarici,chamædryos,colocynthidis medullæ,ſtœchadis,ſinguli drach.x.opopanacis,ſagapeni,petroſelini,ariſtolochiæ rotundæ,piperis albi,ſingul.drach.v.cinamomi,ſpicæ nardi, myrrhę,folij,croci,ſingul.drach.iiij.Arida tundito ſimul ac cribrato.Opopanacem & ſagapenum,& myrrham contuſa,in pila cum aqua mulſa nocte una macerato,deinde terito,& arida adijcito,& melle optimo excepta, in uitreum aut plumbeum uas reponito. Hic modus communis eſt omnibus hieris. *Hierarum doſis* Doſis autem ipſarum perfecta drachmæ.iiij. Aſſumat autem & ſalis drach.j. & mellis cyath.ij. & aquæ quantum ſatis eſt. Quòd ſi magis purgatorias efficere uolumus eas quæ ſcammoniam non habent, ad has quoque ſingulas obolus.j.de ipſa ammiſceatur.

Illitiones ſedis & Vmbilici purgatoriæ. Cap. IX.

Illitiones ſedis ILlitio ſedis ad flatus prouocandos. Ruta cum melle conteritur,ut unus ſuccus fiat,& penitiſſime intra ſedem illinitur. Efficaciſſima fit,ſi parum cumini,& nitri,aut ſucci cyclamini aſſumpſerit. Sed & lanæ tomento excepta in ſedem inditur. Aut melle addito glans efformatur. Flatus enim prodeunt inde multi,qui alleuationem faciunt.

Chezananca Cacacoga Illitio ſedis uentrem mouens, appellatur Chezananca,id eſt Cacacoga. Alumen cum melle tritum concoquitur donec fuluum fiat. Et cum hoc ſedes illinitur. Facile enim multa quidem,ſed non citra laborem educit.

Vmbilicares illitiones Vmbilicaris illitio aluum ſubducens. Cyclamini drach.iiij. nitri drach.iij.ueratri nigri et albi,utriuſq; drach.ij.colocynthidis drach.iij.ſcammoniæ drach.ij. elaterij ſucci drach. iiij. grani Cnidij drach.iiij. caricarum pinguium ſextantem,fellis taurini unciam.i.

Alia optima.

Elaterij,lathyridum,galbani,cyclamini,ueratri nigri,ſingulo.drach. iiij.colocynthidis medullæ drach. viij. cucumeris ſylueſtris recentis,ſcammoniæ, grani cnidij,ſingul.drach.ij. Tithymalli drach. ij. terebinthinæ drach.iij. Excipe hæc felle taurino,& uelut unguento utere. Quidam ceręſeptunce addito,& olei ſicyonij quantũ eſt ſatis,uelut emplaſtrũ impoſuerũt. B

Medicamenta uomitoria,& ſumendi ueratri modi. Cap. X.

Vomitus uſus VOmitibus utuntur etiam ſani,ab alimenti aut humorum copia grauati. Sed & hi qui ex acuto morbo ægrotant,quum à pituita,aut tali quodam humore infeſtantur. *Vomitoriorũ medicamentorum uſus* Verum uomitorijs medicamentis ut utantur, neque ſanis,neq; ex acuto morbo ægrotantibus permittendum eſt: ſed in affectionibus diuturnis,& maxime induratis, & quæ forti exactione opus habent,uelut eſt podagra,morbus comitialis à ſtomacho oriens,elephas, hydrops,melancholia,& conſimiles. Contraria autem ſunt uomitoria medicamenta ſanguinis ſputis, & ſtomacho male affectis,& qui ſuffocari ſolẽt. Promptiſſimum itaq; ex uomitorijs medicamentis eſt oleum cyprinum, ſi digiti aut pennæ in ipſum tingantur, & in gurgulionem immittantur. Sed & nardi celticæ radicum drach.vij.in aqua mulſa potæ,fortiter ſurſum purgant. Similiter etiam ceſtri.v.aut.vi.drach.in aqua mulſa potæ. Et daphnoidis folia.iij.uiridia,trita ac comeſta.

Elaterij quoq; obolus.j.in aqua potus,pituitam & bilem ſurſum purgat. Et ſtaphidis ſylueſtris grana.xv. cum aqua mulſa craſſa. Ex bulbis item hi qui conſueto more eduntur,ſi crudi edantur,& narciſſi bulbi cocti,ſurſum purgant. *Apios Chamæraphanus* Apij quoq; radicis pars ea quæ ad aërem uergit, ſi edatur ſurſum purgat: Quidam ipſam chamæraphanum uocant: Quæ uero ad radicẽ eſt, deorſum purgat. Tota uero ſi edatur,ſurſum ac deorſum. Raphanides uero minus quidem prædictis purgant, ſed utilius. Oportet autem ipſas dũ acres ualde ac recentes ſunt in tenuia fruſta concidere, & duabus aut tribus horis antea in aceto mulſo maceratas quotquot poſſunt ſumant, ita ut

ter

A ter aut quater à cœna uomant, & semel ieiuni. Sæpe autem insuper sorbeat acetum mulsum. Vbi uero duabus horis obambulauerint, aquam tepidam bibentes, immissis digitis aut pinnis uomant.

Modi sumendi ueratri. Veratrum dandum est diutinè ægrotantibus, & ex forti morbo, & qui ex aliis auxiliis salutem desperarunt, eo quod morbus omnibus ipsis sit fortior. Dandum autem siue assiduè uexarit morbus, uelut hydrops, elephas, malus habitus, resolutio, & similes: siue per quosdã temporis circuitus repetat, uelut comitialis, & podagra. Quum autem multi sint sumendi ueratri modi, simplicior & potior præparatio ad sumendum ueratrum, hic modus est. Postquam raphanidas prius arundine perpunxeris, ueratri albi optimi radicum surculos festucaceos in fissuras impingito, & ubi noctem permanserint, ipsos tollito, raphanidas autem concisas cum aceto mulso dato iuxta relatum modũ, assueto nimirum antea ad uomitiones ægroto, & relatis horis interpositis, ut insuper ad uomendum cogatur. *Veratri sumendi Modi*

Præcipuus autem sumendi ueratri modus hic est. Veratri optimi sextantem in aquæ hemina, quinq; antea diebus maceratũ, coquito donec tertia aquæ pars restet. Expresso deinde ueratro, ad aquã, æqualem mellis modum ammisceto, & facta ad crassitudinẽ coctura, dato ægroto antea iuxta relatum modum ad uomitum exercitato, ita ut idem sit ieiunus, & bene concoxerit, & aluum deorsum exonerauerit, aut sua sponte, aut etiam semel atque iterum infuso per clysterem immisso pro uiribus.

Efficacissimus porrò omnium modus talis est. Radices ueratri ad sesami magnitudinem concidito. Nam in puluillum redactæ, actionis efficacia strangulant. Et debilioribus quidem cum ptisanæ, aut alicæ, aut eiusmodi cuiusdam succo, ueratri summum drach.ij. minimum drach.j. coquito, et bibendum dato. Robustioribus autem cum aqua calida, aut aqua mulsa. Incipit purgatio post tres aut quatuor horas. Quibus tardius incipit, hi meli-

B us purgantur. Si uero uomitiones tardè prodeant, aqua mulsa bibenda data, ad uomitum cogantur, immissis item pinnis in oleum tinctis. Si neq; sic uomant, in balneum abducantur. At ubi uomere incœperint, siquidem pro ratione euacuatio fiat, nihil amplius molestiæ exhibere oportet. Si uero lancinentur aut etiam conuellantur, aquam & oleum bibenda dato. Nam hinc & deorsum per uentrem subductio ipsis cõtingit, id quod etiam aliàs in his qui ueratrum sumunt aliquando contingere solet, & medicamenti coacervationem facilius ferunt. Quòd si animi deliquium ipsis accidat, odoramentis refocillentur. Sed & ad alia, uelut uerisimile, accedentia symptomata, similiter congrua adhibere oportet. Cæterum multa contingente euacuatione, nutriantur & dormire permittantur, aliàq; uelut in his qui minus purgantur dictum est fiant. Si uero perseueret adhuc, cucurbitæ stomacho affigantur, & artus deligetur. At si pro ratione euacuatio fiat, aqua mulsa ipsis bibenda detur moderatè, quo superfluitates ex medicamento eluat. Et paulò post cibus concoctu facilis exhibeatur. Porrò in his qui suspecta habent per os medicamenta, & tamẽ omnino ueratri usu opus habent, Antyllus tali quodã infuso per clysterem utitur. Veratri albi drach.ij. in aque sextar.j. maceramus, & per diem ac noctem manere sinimus. Sequẽte uero die ueratrum in aqua ad dimidiũs coquimus. Deinde hanc per sedem infundimus ut uomitum concitet. Sursum purgat paulò debilius quàm ueratri potio. Post sufficientem purgationem, glandula acri subdita excretionem irritamus, quo infusum reddatur, & ipsi non amplius uomant. Et pòst excretionem, aquam mulsam semel aut iterum infundimus, quo id extrahatur. Idem Antyllus ita dicit. Fit etiam glandula inquit, ex ueratro albo tuso ac cribrato, deinde melle coctio excepto, similiter purgans supernum uentrem, quemadmodum infusum ex ueratro purgat. At uero probatior est hic modus. Nam in nobis situm est ut moderemur purgationem. Sit itaque ueratri pondus drachmarum duarum ipsa uero glans lanæ tomento so lidiore *Infusa per sedem, sursum purgantia* *Glandulæ sursum purgantes*

lidiore obducatur aut obligetur. Et caput tomenti extrinsecus per sedem propendeat, quo post sufficientem purgationem, glandem extrahere nobis liceat. Hic modus perfectissimè purgat, & neq; suffocationem, neq; aliud quoddam periculum inducit. A

De diuersis Antidotis. Cap. XI.

Præfatio à Galeno libris de Antidotis præmissa.

Antidoti uaria

Compositiones medicamentorum quæ affectiones curant, & non foris imponũtur, sed intra corpus sumũtur, ueteres Medici Antidotos uocãt. Tres autem sunt ipsarum differentiæ. Quædam enim letalium medicamentorum gratia exhibentur. Quædam ob bestias uenenum eiaculantes. Quędam affectionibus ex malo uictu obortis auxiliantur. Aliquæ triplicem usum promittunt, quemadmodum etiam ea quæ Theriaca appellatur.

Hedychroi in Theriacam ingredientis præparatio.

Hedychroi præparatio

Aspalathi radicis corticis, calami aromatici, costi, asari, xylobalsami, phu, amaraci, mastiches, singul. drach. vi. carpobalsami drach. ij. Mari drac. xvi. floris iunci rotundi odorati drach. ij. cinamomi drach. xxiiij. amomi, cassiæ, Rhei, singul. viij. nardi Indicæ, folij, singul. drach. xij. myrrhę drach. xxiiij. croci drach. xij. Vino bono excipe, & pastillos efforma digitis opobalsamo tinctis.

Pastillorũ scilliticorum præparatio

Pastillorum scilliticorum præparatio. Scillam luto aut farinæ massa oblitam moderatè assato, & acceptis internę partis ipsius partibus duabus, & farinæ erui parte una, terito & similiter pastillos efformato.

Pastillorũ Theriacorum præparatio

Pastillorum Theriacorum præparatio. Viperas quatuor aut quinq; fuluiores ac recens captas sum̃ito, & de ipsis ad caput & ad caudã, quatuor digitorum magnitudinem amputato, & tota pelle interaneisq; ipsarum ablatis, reliqua in noua olla cum anetho & sale coquito, donec spinæ de carnibus discedant. Deinde ablatis ac diligenter à spinis purgatis carnibus, puri panis æqualem portionem ipsis ammisceto, & trita similiter in pastillos efformato digitis opobalsamo tinctis, & in umbra siccato. B

Theriacæ præparatio

Theriacæ Antidoti præparatio. Pastillorum scilliticorum drach. xlviij. Pastillorum Theriacorum drach. xxiiij. hedychroi drach. xxiiij. cinamomi drach. xxiiij. piperis communis drach. xxiiij. succi papaueris drach. xxiiij. rosarum siccarum drachmas. xij. scordij, buniadis seminis, iridis Illyricæ, agarici, glycyrrhizæ, opobalsami, singul. drach. xij. myrrhæ, croci, zingiberis, Rhei pontici, quinq; folij radicis, calaminthæ, marrubij, petroselini, stœchadis, costi, piperis albi & longi, dictamni, iunci rotundi odorati floris, thuris masculi, terebinthinæ, mastiches, cassiæ nigræ, spicæ nardi, singul. drach. vi. polij floris, styracis, apij seminis, seselis, Thlaspis, ammij, chamædryos, chamæpityos, hypocistidis succi, malabathri, nardi celticæ, mei, gentianæ, anisi, fœniculi seminis, lemniæ sphragidis, chalcitidis tostæ, amomi, acori, balsami, phu pontici, hyperici, acaciæ, gummi, cardamomi, singul. drach. iiij. dauci seminis, galbani, sagapeni, bituminis, opopanacis, castorij, centaurię, aristolochiæ clematidis, singul. drach. ij. Mellis Attici libras. x. uini falerni sextar. ij. Opium, hypocistidem, myrrham, sagapenũ, styracem, acaciam, opopanacem, in pilam mittito, & modico melle affuso, tundens dissoluito. Deinde uino adiecto ut superemineat, ad triduum macerato. Postea reliqua tusa unito. Mel ipsum despumetur. Reponitur in argentea aut uitræa uasa non ualdè plena. Et opercula singulis diebus demuntur.

Vsus Theriaces

Vsus ipsius est, si res urget, in morsis à bestijs uenenatis, & his qui uenenum acceperunt, post septimum à præparatione annum, nucis ponticę magnitudine, cum uini cyath. iij. ita ut bis in die bibatur. Similiter etiam his qui ab aliqua obscura periclitati sunt causa, ut corruptio in corpore letalis medicamenti qualitatem sit imitata, quemadmodum in pestilentibus constitutionibus maxime fieri solet, semel in die datur. At in alijs affectionibus post decennium ipsius usus est, & usq; ad uigesimum annum. In tussi uero, &

ro, & thoracis aut lateris doloribus, non febrientibus cum uino mulso, febrientibus cum aqua mulsa, datur ad noctem fabæ Aegyptiæ magnitudine. Sanguinem spuentibus, si recens est malum, in posca, si diuturnum, in symphyti decocto datur fabæ Aegyptiæ magnitudine mane & uesperi. Inflatis & torminosis, aut cœliacis datur mane ex aqua calida, fabæ ægyptiæ magnitudine. Appetentiam intensam excitat. A rigore, perfrigeratione, & bilis uomitu, ante accessiones pota liberat. Menses mouet, & mortuos fœtus eijcit, fabæ Aegyptiæ magnitudine pota cum aqua mulsa, aut passo, in quo ruta aut dictamnum coctum est. Facit etiam ad uocem abscissam, et per se, & cum dupla tragacantha, ex uino mulso aut passo pota, & sub lingua detenta, & eliquata. Splenicis et hepaticis datur ex posca. Si scirrhi duricia adsit, ex aceti mulsi, aut aceti scillitici sesquicyatho. Nephriticis cum aceto mulso fabę Aegyptiæ magnitudine. Dysentericis tantundem cum rhois decocto, mane & uesperi. Ad uisus quoq; hebetudinem summe facit hoc modo. Antidoti & opobalsami sextantem, cum mellis cyatho misceto, & paulatim illinito. Detergit etiam dentes. Plerią; etiam præseruationis gratia ipsam accipiunt, in nouiluuio fabæ græcæ magnitudine, ubi probe concoxerunt, cum mellis cochleario uno, & aquæ cyathis. ij. Similiter etiam in profectionibus ipsa utuntur, quum uitiatum aërem aliquem, aut aquas suspectas habent, in locis ubi iter faciunt.

Sales Theriaci.

Viperas sumito recens captas quatuor. Deinde salis ammoniaci aut communis modium Italicum. j. in pilam mittito, & cum ipso hæc in crassias partes contundito. Gentianę sesquilibram, aristolochiæ rotundæ sesquilibram, cētaurij tenuis comę lib. ij. cardamomi, matrubij, singulorum sexuncem, scordij, apij, chamædryos creticę, singul. lib. j. rutę satiuæ seminis sextar. ij. Mellis Attici mensura sufficiente hæc unito, & dimidiam ipsorum partem in ollam nouam dato, deinde quatuor uiperas uiuas adijcito, insuperq; ad ipsas, etiam scillas teneras recentes minutim concisas addito, atq; ita reliquam dimidiam partem superioris mixturæ superinijcito, & olla diligenter operta, tribus aut quatuor foraminibus operculum ipsius perforato, quo uapor per ipsa exhalans, assationis modum tibi significet. Primum enim apparebit fumus multus, exiens caliginosus ac ualdè turbatus, significans quòd ignis iam feras ipsas contingat. Atq; tunc tu diligenter caue, ne quid de hoc fumo inspires, dum aër à uiperarum exhalatione inficitur. Deinde quum cessauerit uapor, & flammam quandam exilem cōspexeris per foramina egredientem, tunc sanè quàm optime assatas putato, atq; sic ollā ab igne ablatam, per totam diem ac noctem perfrigerato: postea aperito, & exemptos carbones diligenter tundito & cribrato cum his mixturis. Rutæ syluestris seminis, hyssopi cretici, singul. dodrantem, seminis fœniculi, nardi celticæ, stachyos scythicæ, singulorum sexuncem, petroselini macedonici, malabathri, foliorum, singul. trientem, amomi, racemi, hormini seminis tosti, singul. quadrantem, origani cacuminum, thymi cacuminum, singul. sextantem, baccarum iuniperi, piperis albi, & longi, singul. libr. silphij radicis dextantem, seminis coriandri, zingiberis non perforati, satyrij seminis aut radicis, pulegij, seselis massiliensis, mentæ, singulorum sexuncem, cassię fistulæ sextantem, cinamomi unc. j. Cæterum ego præparaui ut bestias non exussęrim, sed pastillos ex ipsis paratos, uelut in Theriaca exposui, cum his quæ cum bestijs uruntur miscui, & hoc propterea, ut quam in se habent amaritudinem, eam in ustione deponant. Tantam autem mensuram pastillorum adieci, quantam coniectura assequi potui quatuor uiperas habere. Et euaserunt reuera optimi.

Antidotus Mithridatica ex Scinco. Myrrhæ Troglodyticæ, zingiberis, cinamomi, singul. drach. x. spicæ nardi, Thuris, thlaspeos, opobalsami, floris iunci odorati, costi, stœchadis, seselis, galbani, terebinthinæ, pi-

D peris

peris longi, castorij, succi hypocistidis, styracis, foliorum malabathri, sin- A
gul. drach. iiij. cassiæ nigræ, polij, piperis albi, scordij, dauci seminis, carpo-
balsami, cypheos, bdellij, nardi celticæ, gummi, petroselini, opij, cardamo-
mi, fœniculi seminis, gentianæ, foliorum rosarũ, singul. drach. viij. dictam-
ni, anisi, acori, phu, singulorum drachmas. iij. mei Athamantici, acaciæ, uen
tris scinci, hyperici seminis singul. j. s. Vini & mellis quantum satis est.
Præparato similiter ut Theriacam. Galenus dicit hanc ad eadem facere, ad
quæ etiam Theriaca, exceptis his qui à uipera morsi sunt. Nam ad hos The
riaca efficacior est.

Sanguinũ Antidotus

Antidotus ex sanguinibus, Faciens ad omnia uenenum eiaculantia,
& ad letalia medicamenta. Piperis albi & longi, costi, acori, phu, anisi, di
ctamni cretici, singul drach. ij. amomi, opobalsami, seminis rutæ syluestris
seminis fœniculi, cumini Aethiopici, anethi, sanguinis anatis masculi sic-
ci, sanguinis hœdi, sanguinis anseris, sanguinis anatis fœminæ, buniadis
syluestris seminis, singulorum, drachmas. ij. gentianæ radicis, trifolij, iun-
ci odorati floris, Thuris, rosarũ siccarũ, sing. drac. iiij. cinamomi drac. ij. scor
dij drach. viij. petroselini, polij, myrrhæ, nardi, singul. drach. vj. cassiæ drac.
iiij. succi cyrenaici drach. iij. stœchadis drach. v. asari drach. ij. ammoniaci
Thymiamatis drach. iij. mei Athamantici drac. ij. agarici drac. ij. carpobal-
sami grana xx. Mellis cocti quantum satis est.

Acetum mulsum simplex

Acetum mulsum simplex. Aceti acerrimi albi sextar. j. aquæ se-
xtar. ij. Mellis sextarium. j. Coquito ad liquidioris mellis compagem, mel
inter coquendum despumans.

Acetum scilliticum

Acetum scilliticum. Scillæ albæ concisæ, & in umbra siccatæ ad
dies quadraginta, rursusq; purgatæ, minam unam, aceti boni sextar. xij.
Hæc simul in uas mittito, idq; opertum ad dies sexaginta ad solem expo-
nito, post quas scillam expressam abijcito. Acetum autem excolatum in
aliud uas transfundito. Quidam scillæ minam. j. in aceti sextar. vj. mit- B
tunt. Alij uiridis scillæ idem pondus in acetum conijciunt, & ad menses
sex simul in uase esse sinunt. Et est hoc magis incisorium. Facit autem ad
fluxiones circa os, si colluatur, & ad multas internarum partium affe-
ctiones, si bibatur, exceptis his quæ cum ulceratione consistunt. Facit
item ad plura alia.

Acetum mulsum scilliticũ

Acetum mulsum scilliticum. Scillæ partium internarum tenera-
rum libr. ij. aceti acris albi sextar. xv. piperis, petroselini macedonici, sin-
gul. sextantem, dauci cretici, ammij, anisi, nardi celticæ, ligustici, asari,
cardamomi, spicæ nardi, amomi, rhei pontici, singul. semiunciam, semi-
nis fœniculi, cumini, silphij, zingiberis, pyrethri, hyssopi cretici, costi,
pulegij, singul. unc. j. mentæ uiridis fasciculum. j. rutæ uiridis ramulos. v.
Mellis Attici sextar. j. sapæ sextar. ij. apij uiridis fasciculum. j. Internas scil
læ partes albas contusas in acetum mittito, & ad dies septem sub caniculæ
ardoribus macerari sinito. Deinde exempta scilla, sicca quidem iam con-
tusa, uiridia autem non contusa, in acetum dato, & rursus post septem dies
omnibus excolatis, mel & sapam ad acetum addito, & ad cõpagẽ coquito,
uitreoq; uase excipito. Vtere hoc auxilio & ieiunus uelut potione quę ante
cibum sumi solet, & cum cibo ad intinctus. Est enim longè utilissimum.

Medicamentum Galeni ex scilla, faciens maxime ad comitiales. Scil-
lam in tenues partes manibus confractam, in uas quod mel habuit conijce,
& id probe opertum in loco ad meridiem conuerso, sub caniculæ ardori-
bus expone. Post quadraginta dies ab ortu caniculæ solue, & scillę corpus
effluxisse comperies. Exceptum itaq; succum ipsius optimo melle condito,
& his singulis diebus cochlear. j. præbeto, pueris paruum, perfectis ma-
gnum. Sed & ipsum scillæ corpus cum melle terito, indeq; cochlearium ex-
hibeto. Est autem hoc facultate posterius succo.

Philonis Antidotus

Philonis Antidotus. Piperis albi drach. xx. hyoscyami drac. xx. fuc-
ci pa-

A ci papaueris drac. x. croci drac. v. pyrethri, euphorbij, spicæ nardi, singul. drach. j. Mellis Attici, aut alterius boni probè cocti quod satis est. Dato perfectis nucis ponticæ magnitudinem, minoribus fabæ, pueris ciceris. Medicamentum est quod dolorem maxime sedat, & somnum inducit.

Athanasia dolorem sedans pleuritica, Oribasij. Cassię drach. viij. spicę nardi, amomi, croci, opij, styracis, myrrhę, costi, singul. drac. iiij. mellis despumati quod satis est. Dosis est eadem quæ philonis antidoti. *Athanasia*

Antidotus ex duobus piperis generibus, similem uim habens. Cardamomi. castorij, opij, singul. drach. iij. myrrhę, costi, piperis albi, & longi, galbani, singul. drach. iij. croci drach. iij. Excipe melle cocto, & præbe fabæ magnitudine.

Antidotus ex papaueris capitibus, & sapa. Capita papaueris uiridia non aquosa. viij. aut x. postridie ut decerpseris, cum glycyrrhizæ uncia una, in sapæ sextario uno, ad diem unum macerata, coquito donec flaccescant, & ubi moderatam habuerint hæc compagem, ab igne ablata uase excipito, acutitor in febrientibus qui uigilijs infestantur, & si de capite in thoracem tenuis fluxus fertur.

Antidotus ex papaueris capitibus, & melle. Capita papaueris ueluti dictum est, & glycyrrhizæ unc. j. in aquæ pluuialis aut fontanæ sextario. j donec flaccescāt coquito ac exprimito, & ad decoctum mellis sextarium dimidium adijcito, & ad spissitudinem coquito. Datur his qui eum doloris mitigatione, & somni inductione, insuper etiā expurgatione & extersione opus habēt, eorū quę in thorace, aut circa pulmonem et rhenes hęrēt. *Antidotus uaria ex papauerum capitibus*

Antidotus ex papaueris capitibus cōposita. Aquæ in qua capita papaueris iuxta relatum modum cocta sunt, sextar. j. uini dulcis heminas. ij. mellis libr. j. croci, hypocistidis succi, singul. drach. iiij. coquito ad compagem. Cęterum ea quæ ex melle, & capitibus papaueris, & malis cydonijs

B paratur, stomacho gratior est. Verum efficacior est, si unà cum papaueris capitibus, etiam melilotum & glycyrrhiza in aqua coquantur.

Eclegma ex marrubio simplex, ad tabescentes maxime. Comæ marrubij lib. j. in aquę heminis. vj. ad tertias coquito, & abiecta herba, parem mellis mensuram aquæ adijcito, & ad mellis spissitudinem coquito, indeq; cochlear. i. præbeto. *Eclegmata uaria*

Eclegma ex marrubio compositum.

Comæ marrubij, iridis Illyricæ, hyssopi, pulegij, glycyrrhizæ, apij, singulorum sextantem, caricarum pinguium quadrātem nucleorum nucis pineę resinatę quadrantem. Contundito in crassas partes sicca, & cum caricis in aquę sextar. iij. macerata, ad tertias decoquito. Deinde ad excolatam aquam mellis lib. ij. adijcito, & ad mellis compagem usq; coquito.

Eclegma ex eruo. Amygdalarum amararum sextantem, farinæ erui trientem, hyssopi trientem, iridis semiunciam, nucleorum pineorum torrefactorum sextantem, Mellis sextar. j. aut quod satis est.

Eclegma dodecatheon. Iridis Illyricę trientem, erui trientem, hyssopi sextantem, seminis urticę sextantem, glycyrrhizæ sextantem, fœni gręci sextantem, bulborum trientem, seminis lini torrefacti triētem, melanthij scrupul. xviij. pulegij scrup. vj. nucleorum pineorum torrefactorum sextantem, piperis scrup. vj. Mellis quod satis est. *Dodecatheon Eclegma*

Antidotus Sotira. Spicę nardi scrup. xxxix. myrrhę scrup. xxvij. croci scrup. xxxvij castorij scrup. xxxix. petroselini scrupul. xlv. anisi scrup. ix. apij scrup. vij. floris iunci odorati scrup. xxxvi. cassię scrup. xij. piperis longi scrup. xij. seminis sinonis scrup. vj. styracis scrup xviij. amomi scrup. xij. seselis scrup, xij. hedycroi scrupulos. xviij. costi scrup. xviij. Mellis quod satis est. *Sotira antidotus*

Medicamentum ad tussim ex styrace. Amomi, cassiæ, singul. sextantem, styracis, spicę nardi, singulo. sesquiunciam, croci, piperis albi, singul.

unc.i. Mellis sextar.i. Exhibe cochlearium unum.

Medicamentum Philoxeni, ad suppuratos, & fluxiones diuturnas. A

Terebinthinæ drach. xxviij. nardi drach. xvi. myrrhæ stactæ drach. vj. cardamomi, bulborum, singul. drach. vi. croci drach. xij. galbani drach. xvi. galbani drach. xvj. amygdala amara. lxxx. Mellis heminam. Bibitur ex aqua fabæ Aegyptiæ magnitudine.

Esdræ antidotus

Antidotus Esdræ multi usus. Est enim ex his quæ ualdè siccant, Amomi scru. vi. croci scrup. xviij. seminis dauci scrup. j. s. fœniculi seminis scru. iij. cassiæ scrup. j. s. floris iunci odorati scrup. iiij. s. cinamomi scrup. iij. hypocystidis succi scrup. iiij. s. sulphuris scrup. v. seminis papaueris scrup. v. pyrethri scrup. iij. petroselini scrup. j. s. iridis Illyricæ scrup. vij. s. hyoscyami seminis scrup. xiij. s. spicę nardi scrup. vij. s. seminis rutæ scrup. j. s. anethi scrup. iij. cardamomi scrup. iij. rosarum siccarum scrup. iiij. s. Floris nerij (Est autem uelut siliqua, ex qua rosa rododaphnes emergit) & rosę ipsius, singul. scrup. iij. Rhei scrup. vj. gentianæ scrup. vj. hedychroi scrup. j. s. tragacanthæ scrup. xv. Lycij scrup. vj. foliorum citrij scrup. vj. seminis ocimi scrup. j. s. anisi scrup. iij. costi, myrrhę, singul. scrup. vj. bdellij scrup. xvi. succi artemisię scrup. xiij. rhois syriaci scrup. xxv. s. asari, uentris mergi, lapidis Iaspidis, singulorum scrup. iij. piperis scrup. xv. castorij scrup. j. s. cimoliæ scrup. vj. sisonis scrup. jx. styracis scrup. jx. opobalsami scrup. xij. seselis herbæ scrup. j. s. Mellis uncias. xxviij. Vini quod satis est.

Medicamentum ex malorum cotoneorum carnibus. Malorum cotoneorum purorum lib. iij. concoquuntur in uini ueteris sextar. iij. deinde teruntur, & adijciuntur ipsis trita hæc, piperis, anisi, ligustici, singulo. unc. j. Quidam etiam zingiberis unciæ dimidium addunt. Qui pro uino acetum sumunt.

Ex malis cotoneis medicamenta uaria

Medicamentum ex malorum cotoneorum succo. Ad prostratam appetentiam & ægrè concoquentes commodum. Malorum cotoneorum maturorum succi sextar. ij. mellis boni sextar. ij. aceti sextar. j. zingiberis quadrantem, piperis albi sextantem. Ad spissitudinem coquito. Hoc ad perfrigeratos præparat Galenus. In quibus autem, inquit, bilis abundat, citra piperis & zingiberis ammistionem præparato. B

Meloplacuntion

Meloplacuntij id est placentæ ex malis cotoneis præparatio.

Malorum cotoneorum purorum lib. vj. coquuntur in uino donec flaccescant. Deinde ad excolata ac trita quidam adijciunt Mellis lib. viij. & ad lentum ignem coquunt, mouentes subinde ferula, donec rotum manus nō inquinet, & tunc contusa hæc adijciunt, piperis quadrantem, anisi quadrantem, petroselini unc. j. Quidam etiam zingiberis unc. j. & mastiches unc. j. Deinde mixta in placentas semunciales efformant, & cum lauri folijs componunt.

Cydonatum

Cydonatum friabile frusta integra habens. Malorū cydoniorū purorum in frusta concisorum libræ. viij. coquuntur in uini sextarijs. viij. moderatè, ut non dissoluantur. Deinde ammiscentur ipsis, mellis despumati lib. viij. piperis bessis, petroselini, anisi, singulorum quadrans, zingiberis quincunx, spicę nardi sescuncia, caryophylli uncia una. Omnia hęc contusa, & moderatè cocta ad iusculi spissitudinem tollito, & ubi perfrigerata sunt, frusta simul cum iusculo componito.

Antidotus ex tribus piperis generibus. Piperis communis, albi, longi, singulo. drach. vij. zingiberis, anisi, cacuminum thymi, singulo. drac. ij. Mellis quod satis est.

Alia oribasij.

Piperis albi sextantem, piperis nigri, longi, spicę nardi, cinamomi, ammij, caroi, hyssopi, seselis, dauci, petroselini, singul. unc. j. zingiberis drac. iiij. Mellis libr. iij.

Alia.

Piperis communis quadrantem, albi unc. j. longi unc. j. petroselini, Cinamomi

namomi

namomi, aut cassiæ duplum, zingiberis, singul. unc. j. Mellis unc. xxi. Aut quantum satis est. Ego etiam Thymi cacuminum unc. j. ammiscui.

Diospolites

Diospolites. Cumini accto macerati ac torrefacti unc. j. piperis, zingiberis singulo, sextantem, rutę uiridis unc. j. s. nitri drac. ij. s. Excipe melle.

Medicamentum ex calamintha, Petroselini pulegij, seselis, calaminthæ, singulorum quadrantem. apij seminis unc. j. cacuminum thymi unc. i. ligustici trientem. Piperis unc. xij. Mellis quod satis est.

Medicamentum ex citrio, ad ægre concoquentes.

Aceti heminas. iij. citrij siue medici mali carnis lib. j. hyssopi, rutæ, origani, singul. fasciculum. Hæc per diem ac noctem macerata in aceto coquuntur ad tertias, et expressa abijciuntur. Ad acetum autem mellis sextar. j. ammiscetur, et rursus ad mellis spissitudinem coquitur. Quod ubi factum est, asari, mei, piperis albi singul. sextans infarcitur. Datur inde cochlear. j. mane, & ad somnum.

Picra Galeni

Picra Galeni. Aloes drach. c. xylobalsami, mastiches, croci, spicæ nardi, asari, cinamomi, singul. drach. vi. Quidam etiam floris iunci odorati, & cassiæ, singul. drach. vi. addunt. Datur ex aqua mulsa drach. j.

Picra ex aceto mulso. Ad stomachicos, uterum, & hydropem Aloes trientem, folij sextantem, costi, casiæ, amomi, iridis, singul drach. j. corticis radicis fœniculi libr. j. mastiches, nardi celticæ, zingiberis, singulorum drach. j. piperis drach. j. mei. drac j. aceti sextar. j. s. Mellis. sextar. j s. Fœniculum in aceto ubi prius coctum est abijciiur. Deinde mel adijcitur, & facta ad mellis compagem coctura, reliqua trita inspergantur.

Lupini hepatis medicamentum

Medicamentum optimum ex hepate lupino. Gentianæ, chamæpityos, petroselini, marrubij, fellis ursini, sinapis, scolopendrij, radicis pastinacis minij. rubiæ, seminis brassicæ, aristolochiæ longæ, piperis albi, spicæ nardi, costi, erucę seminis, eryngij radicis, polij, echij, eupatorij, baccarum iuniperi, hepatis lupini, enulæ, singulorum ęquales partes melle cocto excipe. Datur nucis ponticæ magnitudo, cum uino mulso cocto.

Theodoretus

Theodoretus ex Anacardijs. Anacardiorum unc. j. s. croci, cassiæ, folij, spicæ nardi, caryophylli, mei, agarici, floris iunci odorati, rhei, epithymi, singul. drach. iiij. acori, piperis singul. unc. j s. aloes quadrantem, saxifragæ, mastiches, iridis Illyricæ, singul. unc. j. s. myrobalanorum unc. j. Mellis libr. j. aut quod satis est.

Anacardia

Theodoretus absque anacatdijs. Aloes drach. lx. agarici drach. xxiiij. croci, cassiæ, rhei pontici, acori, cinamomi, mastiches, singul drach. x. costi, seminis rutæ, piperis albi, singul. drach. viij. spicæ nardi drach. iij. xylobalsami, asari, chamædryos, mei, singul. drach. iiij. Mellis quod satis est. Quidam etiam his addunt anacardia. ij. Dosis est drachmæ. ij. cum aqua mulsa.

Cyphoides

Cyphoides. Ad Hepaticos, & thoracis affectiones. Vuæ passæ carnis drachmas. xxv. croci drach. j. calami drachmas. ij. bdellij drachmas. ij. s. cinamomi obol iij. nardi obol. iij. iunci odorati drachmas. ij. myrrhæ drach. iiij. terebinthinæ drachmas. iiij. aspalathi ramenti obol. xij. Mellis drachmas. xvi. Vini quod satis est.

Cyphoides aliter. Alexandri. Croci, cinamomi, bdellij, singul. drachmas. iiij. myrrhæ, calami, singul. drachmas ij. aspalathi, floris iunci odorati, singul. drachmas. iij. cassiæ, nardi, singul. drachmam. j. terebinthinæ drachmas. xvi. uuæ passæ carnis drachmas. clx. Mellis heminam. j. s. Vini Chij quod satis est,

Ex cacano medicamentum

Medicamentum ex Cacano hepaticum.

Cacani unc. j. costi unc. j. folij scrup. viij. piperis albi scrup. vi. spicæ nardi scrup. vi. Mellis quod satis est. Datur cochlear. j. eum conditi potione.

Zopyrus

Zopyrius. Myrrhæ drach. v. croci, cassię singulorum drach. iiij. cinamomi drach. iij. spicæ nardi drach. ij. floris iunci odorati drach. ij. piperis al

bi drach. j. s. thuris drach. j. costi drach. j. Mellis quod satis est.

Peonia Antidotus

A Peonia. Styracis calamitę drach. vi. thuris, amomi, croci, singul. unc. j. s spicænardi drach. vi. folij drach. ij. piperis albi drach. vi. piperis communis drach viij. myrrhæ unc. j. costi unc. j. Mellis quod satis est.

Catapotia hepatica, dosithei. Aloes unc. j. spicæ nardi, folij, costi, singul. scrup. ij. agarici scrup. viij. mastiches scrup. xiij. epithymi scrup. iiij. Rhei scrup. j.

Acetum mulsum ad splenem. Capparis radicis corticis, scolopẽdrij, spicæ nardi, asari, iridis, floris iunci odorati, floris iunci quadrati, anisi, cumini, fœniculi, acori, fructus ericæ, singulo. unc. j. foliorum myricæ, foliorum salicis, radicis apij, dendrolibani, scillæ, singulorum sextantem, aceti sextar. iij. Mellis sextar. ij. ammoniaci Thymiamatis, quadrantem. Præparato uelut scilliticum. Dato cochlear. ij.

Acetum mulsum faciẽs ad calculosos. Saxifragæ, betonicæ, graminis, adianti, spicænardi, carpesiæ, asari, eryngij, singulorum unc. j. petroselini macedonici, rutæ seminis, singul. unc. s. fœniculi uiridis, scillæ assatæ, chamædaphnes, singul. sextantem. Capparis radicis corticis quadrantem, sij sextantem, aquæ, aceti, mellis, singul. sextantem.

Posca calculos atterens

Posca calculos atterens. Pulegij, mastiches, seminis apij, mentæ siccæ, singulorum unc. j. salis communis torrefacti, lib. j. seminis coriandri, spicæ nardi, anisi, ammij, singul. scrup. vi. folij scrup. iiij. piperis albi unc. s. aut communis unc. j lithospermatis sexuncem, betonicę sexuncem, aceti boni sextar. v. Omnia tusa, cribrata ac leuissime trita, per triduum aceto ammisceto, & per dies xl. insolato. Vsus autem tempore, ex cicere nigro, & asparagorum radice, apioq; & adianto decoctũ parato, & ad ipsius temperaturam aceti heminas. ij. adijcito, ægroq; in calido balnei solio bibendum prębeto. Quidam uero relatarum specierum puluilli scrup. xij. cum posca ex prædictorum relatarum herbarum decocto mixta exhibent, & nihilominus efficax est medicamentum. B

Conditum Vinum Ascalonites

Conditum calculos atterens. Piperis albi. saxifragæ, spicę nardi, lithospermi, betonicę, singul. unc. j. petroselini, folij, singul. unc. j. s. seminis rutæ syluestris unc. s. Mellis sextar. j. Vini Ascalonitæ sextar. xvi.

Hircini sanguinis medicamẽtum

Medicamentum ex hircino sanguine. Quum uua inceperit maturescere, hirci ætate uigentis sanguinem accipe, & in sole sicca, deq; ipso cochlea. ij. præbe calculosis cum passo cretico. Quidam etiam amomi & folij singulo, quadrantem ammiscent. Alij etiam myrrhæ scrup. iiij.

Cicadarum medicamentum

Antidotus Rhenalis ex cicadis. Lithospermi, acus piscis usti, seselis, singul unc. j. ammij, cucumeris satiui seminis, saxifragæ, uuarum passarum exemptis uinaceis, seminis, altheæ, phaseoli albi, lyncurij, singulorum unc s. spicæ nardi, phu, mei, lapidum ex spongijs, singul. drachmas. j. adianti, seminis paliuri internæ partis, sij sicci, radicis rubi, graminis, polypodij singul. drachmas. ij. hircini sanguinis siccati uelut dictum est, scrup. vi. cicadarum siccarum, ademptis capite, alis ac pedibus, trientem, piperis albi drach vi. Mellis cocti quod satis est. Datur nucis ponticæ magnitudine, in condito, aut decocto tribuli, aut saxifragæ aut sinonis, aut radicis asparagorum, aut graminis, aut quinquefolij, aut radicis herbæ lanariæ.

Antidotus ex lithospermo. Lithospermi, betonicæ, saxifragæ, petroselini, piperis albi, æquales portiones. Excipe melle.

Antidotus ex semine porri. Piperis albi ac nigri, dauci cretici, cucumeris satiui seminis, fœniculi seminis, porri seminis, petroselini Macedonici, Pyrethri, zingiberis, folij singul. unc. j. Mellis quod satis est.

Antidotus ex Tecolitho. Spicænardi, hyssopi, tecolithi, singulorum scrup. viij. piperis scrup. xij. zingiberis, petroselini, costi, saxifragæ, singul. scru. vi. cassiæ, seminis apij sing. scru. iij. cyperi scru. vi. ramẽti eboris scrup. iiij. cardamomi ligni scru. vi. lithospermi scru. iiij. Mellis quantum satis est.

Antidotus

A Antidotus ex semine maluæ syluestris. Cucumeris satiui seminis drachmas. xij. hyoscyami seminis drachmas. vi. cicutæ seminis drachmas. iij. alij vi. habent. opij, fœniculi maluæ syluestris seminis, croci, singulorum drachmas. iij. seminis apij, drachmas. vi. cassiæ drachmas. iiij. amygdalas. x. nuces regias. x. nuces ponticas. x. asari drach. iiij. Excipe passo Cretico, & obolos. iij. præbe non febrientibus cum sapa. Quidā melle excipiūt.

Bellariorum medicamentū

Medicamentum Rhenale ex bellarijs. Ad uesicæ ac rhenum ulcerationem. Vuę passę albæ uinaccis exemptis, nucleorum pineorum recentium singul. sextantem, cucumeris seminis decorticati, baccarum myrti exempto osse, amygdalarum amararum, palmularum pinguium, seminis apij, seminis papaueris, croci. singulorum drachmam. j. myrrhę sextantem. Ex passo drachmam. j. ieiuno bibendam præbe.

Satyriaca

Antidotus Satyriaca. Zingiberis, satyrij superioris, singulorum drachmas, viij. scinci caudæ, mei, alati, petroselini, cardamomi, seselis, singulorum drachmas. iiij. seminis crucæ, cinamomi, singulorum drachmas. iij. hormini, piperis albi, seminis cnici, singulorum drachmas. ij. floris iunci odorati, spicę nardi, singulorū. drach. j. sanguinis hircini mystrum. Datur drach. j. cum uino, debilioribus cum lacte.

Catapotia ex xylomacere, ad dysentericos.

Xylomaceris catapotia

Xylomaceris, opij, rhei, singul. scrup. vi. gallæ, myrrhæ, singulorum unc. j. Excipe uino spathite.

Podagricæ antidoti

Corallium and gallis

Antidotus ex corallio, podagrica. Rhei barbarici, pęonię, myrrhę Troglodyticæ, spicæ nardi, singulorum sextantem, folij unc. j. caryophylli grana. xv. anagallidis russeum id est puniceum florem habentis, quam uocant corallium, unc. S. aristolochiæ longæ trientem, & rotundæ trientem. Datur scrupulus. j. quotidie concoctione probe facta. Incipere uero oportet ab æquinoctio autumnali, quod est circa. xxiiij. diem mēsis septembris, B & sumere deinceps ad dies quinquaginta, & intermittere diebus. xix. Atque ita facito donec impleti fuerint dies quibus sumis. ccclxv. Sub cane porro in totum uacato, hoc est à xxiij Iulij usque ad Augustum completum. Abstinendum est à uenere, carnibus maxime porcinis, salsamento, garo, beta, dauco, menta, lactucis coctis, & peponibus: A' piscibus capitonibus, gobijs, mollibus & testa intectis: & ab omnibus leguminibus, & ab omnibus simpliciter crassum succum habentibus, & à uino nigro ac uberiore. Lauent autem quotidie, & exerceant se aut pedibus, aut equo, aut uehiculo. At uero qui strictiore habitu præditi sunt, hi etiamsi pleniore uictu usi fuerint, non læduntur.

Anni temporum ratio

Antidotus podagrica, Agapeti.

Rheon barbaricum

Folij, rhei barbarici, croci, spicæ nardi, myrrhæ Troglodyticæ, costi, chamędryos singul. sextantē, aloes hepaticę quincuncem, hyperici, pęonię, singulorum quadrantem, aristolochiæ longæ, phu, mei, damasonij, anagallidis, sing. trientē. Vtendi modus idē est qui eius quæ ex corallio constat.

Atactos antidotus

Antidotus Atactos podagrica. Folij, mei, damasonij, anagallidis ceruleum florem habentis, rubiæ, mastiches, croci, cassiæ, aloes hepaticæ, gētianæ, chamędryos, singul. unc. j. caryophylli, asari, piperis albi, & nigri, singul. unc. S. spicæ nardi, myrrhæ, Rhei barbarici, pæoniæ radicis, aristolochiæ longæ, & rotundæ, singul. sextantem. Vsus idem est.

Procli antidotus

Antidotus procli podagrica. Facit etiam ad coxendices. Chamędryos dodrantem, centaurij bessem, aristolochiæ septuncem, gentianæ sexuncem, hyperici quincuncem, petroselini Macedonici trientem, mei quadrantem, agarici sextantem, phu unc. j. Mellis Attici heminas. ij.

Medicamentum ex. vij. rebus constans, ad eadem. Hyperici, aristolochiæ longæ, singul. unc. j. centaurij, chamæpityos, agarici, singul. quadrantem, chamædryos sexuncem, gentianæ quincuncem. Quidam etiam petroselini unc. j. Mellis heminam. j. Datur drach. j.

De Pastillis. Cap. XII.

Pastillorum 3. species

PAstilli ab orbiculari figura Trochisci nominantur. Species ipsorum iij. sunt. Quidam enim bibuntur, quidam per sedem infundũtur, quidam illinuntur. Ex his igitur qui bibuntur, quidam sistunt aluum, aut sanguinem, aut alium quendam fluxum, perfrigerando, aut adstringendo, aut meatus obducendo, aut siccando cohibentes, uelut est is qui ex spina Aegyptia cõstat, & qui ex seminibus, & consimiles. Quidã dolorem eximunt, aut quòd sensum torpefaciunt, uelut est croceus: aut quòd diffundunt, uelut hi qui ex aromatibus constant. Quidam splenem, aut thenes, aut hepar ab obturatione liberant, uelut est is qui ex amygdalis amaris paratur. Ex his autem qui per sedem infunduntur, quidam acres humores obtũdunt, ut in dysenteria, uelut sunt qui ex pompholyge, & amylo, & terra samia constant, & per ptisanæ, aut huiusmodi alicuius succum infunduntur. Quidam alui aut sanguinis fluxiones sistunt, uelut qui ex alumine, acacia, & omphacio, parantur, qualis est pastillus Philippi, aut ex spina Aegyptia constans, qui cum succo rosarum aut plantaginis infunduntur. Quidam urunt, in dysenrerijs depascendo proserpentibus conuenientes, ex sandaracha, arsenico, calce, charta usta compositi, qui cum lentium aut oryzæ succo infunduntur, intestino prius muria infusa eloto, ita ut ægroti prius cibum ac potum acceperint, ut ne quid de medicamentorum facultate ad stomachum rapiatur. Vtiles autem sunt maxime pastilli qui infunduntur, in affectionibus infra umbilicũ. Altius enim uis ipsorum non progreditur. At uero qui illinuntur similem quidem uim habent cum his qui infunduntur. Verum qui adstringunt, ad herpetas faciũt, pustulas, intertrigines, sanguinis eruptiones, ulcera fluida, quemadmodum pastillus Andronis, & polyidæ. Qui uero obtundunt, carbunculis & malignis ulceribus conueniunt, uelut est albus, & qui ex lotarijs constat. Qui uero urunt, uelut relati, & qui faustiani appellantur, in depascentibus in pudendis ac ano ulceribus, In pterygijs item, & carne excrescente conducunt.

Aster pastillus

Pastillus aster. Croci, opij, castorij, spicę nardi, cassiæ, myrrhæ, sigilli lemnij, corticis mandragoræ, singul. trientem, dauci, apij, anisi, seselis, seminis hyoscyami, styracis singul. drac. viij. Terito cum uino.

Trigonus pastillus

Pastillus trigonus. Seminis apij, seminis hyoscyami, singul. drach. ij. anisi drach. iiij opij. drach. iij. cum aqua terito.

Pastillus ex seminibus. Anisi, ammij, fœniculi seminis, singul. drach. iiij. seminis apij, opij, seminis hyoscyami, singulo. drac. ij. Excipe aqua trita.

Pastillus croceus. Anisi, dauci cretici seminis sing. drac. iiij. myrrhæ, castorij, singul. drach. ij. croci, opij, singul. drach. iij. seminis apij, styracis, singul. drach. iiij. hyoscyami seminis drach. vj. terito cum aqua.

Pastillus ex rosis. Acaciæ, gummi, floris rosarum, balaustiorum, succi hypocystidis, gallarum, singul. drach. iij. rosatum uiridium succi, seminis plantaginis, singul. drach. j. Lycij Indici drach. j.

Pastillus ex corallio. Seminis hioscyami, thuris, singulorum drach. viij. terræ samiæ, corallij, minij sinopici, opij, singul. drach. iiij. amyli, balaustiorum, singul. drach. ij. Excipe succo polygoni.

Pastillus ex succino. Phyllij quincuncem, mastiches triẽtem, ramenti electri, iridis, croci, singul. trientem, opij sextantem.

Pastillus ex spina Aegyptia. Spinæ Aegyptiæ, Rhois, thuris, acacię, aluminis scissi, succi hypocystidis, gallæ, lemnij sigilli, corallij, symphyti, terræ samiæ asteris appellatæ, aloes, ladani, æquales partes, uino excipe.

Aphrodisiasticon Clidion

Pastillus quem Galenus Aphrodisiasticum Clidion inscribit.

Cytinotum mali punici, spinæ Aegyptiæ, balaustiorum, hypocystidis succi, acacię, singul. drach. vj. Lycij, rhei pontici, opij, singul. drach. iiij. myrrhæ drach. ij. Excipe uino myrtitæ, aut decocto rosarum aut myrti baccarũ.

Clidion oribasij

Clidion Oribasij, Ad dysentericos, & cœliacos. Gallę omphacitidis

drach

A drac. viij. opij drac. iiij. cũ aqua efformato catapotia, & ij. aut iiij. præbeto.

Pastillus ex cornu ceruino, Ad dysentericos, & sanguinem spuentes.

Cochlearum drach. xij, cornu ceruini usti, gallæ tostæ, acaciæ tostæ, singul. drach. v. obol. xij. baccarum myrti nigrarum drach. xv. opij torrefacti, succi hypocisthidis, singul. drach. v. œnanthes drach. vj. mandragoræ radicis succi, terræ samiæ asteris, singul. drac. xij. Rhois obsoniorum drac. xiiij. malicorij tosti drach. vij. thuris drac. viij. piceæ corticis torrefacti drac. xiiij. hyoscyami seminis tosti drach. x. Rhois coriarij sextar. ij. uini nigri quantũ satis est ad coquendum rhoem, quo uinum crassissimũ fiat. Hoc autem percolato reliqua excipiantur, & pastilli formentur.

Pastillus Amazonum. Seminis apij, anisi, singul. drach. vj. absinthij comæ drach. iiij. myrrhæ, piperis, opij, castorij, singul. drach. ij. cinamomi drach. vj. Excipe aqua. *Amazonũ pastillus*

Pastillus ex amygdalis amaris. Anisi, apij seminis, asari, amygdalarum amararum, absinthij comæ, æquales singulorum partes aqua excipe, & pastillos drach. j. efforma. Dato non febrientibus cum uino mulso. Febricitantibus cum aqua mulsa.

Pastillus ex erica splenicus. Ericæ fructus drach. iiij piperis albi, nardi Syriacæ, ammoniaci Thymiamatis, singul. drach. ij. Ammoniacum aceto dissoluitur, & siccis adijcitur, & efformantur pastilli drach. j. Datur autem pastillus unus, cum aceti cyath. j.

Pastillus ex uesicarijs. Seminis cucumeris satiui decorticati trientẽ, hyoscyami seminis, cicutæ, singul. sextãrem, fœniculi, rumicis seminis, croci, nucleorum pineorum, amygdalarum amararum, opij, singul. unc. j. Physalidum hoc est uesicariorum sextar. iij. uini quod satis est. *Physalides*

Pastillus Philippi, ad dysentericos. Balaustiorum, acaciæ, succi hypocistidis, opij, rhois, thuris, myrrhæ, croci, gallæ, aloes, rhei pontici, ma- *Philippi pastillus*
B licorij, baccarum myrti, singul. drac. iiij. excipe uino austero, & efforma pastillos. obol. iij. Dato non febrientib. cum uino, febriẽtibus, cũ aqua mulsa.

Pastillus Musæ. Aluminis, aloes, myrrhæ, atramenti sutorij, singul. unc. j. s. malicorij, crocomagmatis, singul. drach. vj. excipe uino. *Musæ pastillus*

Crocomagmatis præparatio. Croci sextantem, rosarum, amyli, myrrhæ, aloes, thuris, gummi, singul. unc. j. costi, spicæ nardi, singul. drach. j. excipe uino In crocino oleo etiam alia crocomagmatis præparatio habetur. *Crocomagmatis præparatio*

Pastillus Nere, ex libris Heræ. Myrrhæ, aloes, croci, singul. drach. viij. aluminis scissi drach. c. excipe aqua. *Nere pastillus*

Polyidæ sphragis. Aluminis scissi drach. iiij. thuris drach. iiij. myrrhæ drach. viij. atramenti sutorij drach. ij. cytinorum drach. xij fellis taurini drach. vj. alij drac. xvj. habent, aloes unc. j. uino austero excipe. *Sphragis polyidæ*

Pastillus pasionis. Squamæ æris drach. xij. æris usti, salis ammoniaci, aluminis rotundi, æruginis rasæ, thuris, singul. drach. viij. uini q. satis est.

Pastillus Andronius. Cytinorum drac. x. myrrhæ drach. iiij. gallarũ drac. viij. aristolochiæ rotundæ drach. iiij. atramenti sutorij, croci, aluminis scissi, crocomagmatis, Misyos, thuris, singul. drachm. ij. Cum uino acerbo, aut aceto terito. *Andronius pastillus*

Pastillus faustini. Auripigmenti drac. xij. sandarachæ drach. vj. calcis uiuæ drach. viij. chartæ ustæ drac. j. Cum baccarum myrti succo, aut decocto excipe, & forma pastillos, & per clysterẽ in sedem infunde, cum baccarum myrti, & lentium, & radicum rubi decocto.

Pastillus ex charta. Chartæ ustæ lib. ij. calcis, auripigmenti, sandarachæ, singul. unc. j. excipe succo plantaginis.

Pastillus thronus Marcellius dictus. Chartæ ustæ drach. x. sandarachæ, auripigmenti, squamæ æris. aluminis scissi, singul. drach. iiij. balaustij drac. iij. opij drac. ij. calcis uiuæ drac. xx. omphacij drach. j. succi hypocistidis drac. iij. uino myrtitæ excipe, & efforma pastillos ponderis drac. iiij. Et *Thronus marcellius*

ubi

ubi coxeris in uino malicorium, & myrti baccas, & rosas, ad tertiæ partis consumptionẽ, præbe in vj. cyath. uini pastillum. j. aut simpliciter drac. iiij. A

Pastillus ex subere. Gallarum ustarum, chartæ ustæ, suberis usti, panis usti, singul. drac. x. In alio exemplari habentur etiam cornu ceruini usti drach. xv. auripigmenti drac. ij. sandarachæ, calcis, singul drac. xv. acaciæ, cerussæ, singul. drac. v. spumę argenti drac. iij. Vino terito.

Bithynus pastillus

Pastillus Bithynus. Malicorij drac. x. cadmiæ quadrantem, aristolochiæ, gallarum, radicis panacis, iridis, atramenti sutorij, aluminis scissi, chalcitidis, misyos, squamæ æris, mannæ thuris: Aliqui etiam costi, singulorum unc. j. ß. Excipe aceto.

Pastillus ex castorio. Ad ulcera, & nomas depascentes, & fluxiones. Croci, aloes, thuris, singul. unc. j. cytinorum, aluminis scissi, castorij, mannę thuris, æruginis rasæ singul. unc. j. minij Sinopici lib. j. Excipe uino ueteri.

Pastillus ex castorio, ad colicos. Myrrhæ, castorij, sing. scrup. vj. croci, opij, singul. scrup. ix. anisi, seminis apij, seminis dauci, sing. unc. ß. seminis hyoscyami drach. xviij.

Pastillus ex uino & oleo, Ad sedem & pudenda. Cerusę dextantem, spumę argenti quincuncem, thuris, recrementi plumbi, aluminis scissi singul. sextantem. Vino matis experte terito. Vsus autem tempore uino & rosaceo, aut uino & myrteo oleo dissoluito.

Pastillus ex lapide phrygio, ad pudenda. Lapidis phrygij usti & extincti ter, primum butyro aut rosaceo, secundo uino, tertio melle, sextãtem, florum rosarum trientem, malicorij unc. j.

Pastillus ex Lotarijs, Ad sedem & pudenda. Cerusę, amyli, glaucij, croci, aluminis, æquales portiones terito cum succo lotariorum, aut uino.

Pastillus albus. Terræ asteris trientem, pompholygis, cerusæ, amyli, singul. sextantem, opij scrup. iij. Excipe aqua.

Pastillus ex Halicacabo. Spumæ argẽti drac. xxiiij. cerusæ drac. xij. aut xxj. halicacabi drac. viij. atramenti sutorij drac. iiij. aluminis scissi drach. iiij. Minij ad colorem quod satis est. Excipe aqua. B

Pastillus ex duplici ueratro, qui idem etiam ex duplici Acacia. Acaciæ nigræ & fuluæ, glutinis fabrilis, in alio glutinis piscium, singulorũ trientem, ammoniaci Thymiamatis, glaucij, aloes, singul. sextantem, thuris masculi, ueratri nigri & albi singul. unc. j. Excipe aceto scillitico, usus autẽ tempore eodem, aut communi dissoluito. Illinito que ante & post balneum.

Criogenes pastillus

Pastillus Criogenes. Myrrhę, æris usti, aristolochię rotundę, ęruginis rasę, squamæ stomomatis ferri, uerbenacæ rectæ, aluminis rotundi, singul. unc. j. Aceti quod satis est. Verbenacam colligere oportet, quum Sol est in Ariete. Fit etiam Emplastrum hoc modo. Pastilli, ceræ, colophonię, olei, ęquales portiones, aceti quod satis est ad terendum pastillum.

Melanchlorus

Pastillus Melanchlorus. Myrrhę, aloes, squamæ æris ustæ, auripigmenti, aluminis scissi & rotũdi, iridis, chalcitidis, misyos, salis fossilis, atramenti sutorij, cerusę, nitri, spumę argenti, panacis radicis, cadmię, malicorij, gallarum, aristolochiæ rotundę, squamę stomomatis ferri, ęruginis rasę, singul. unc. j. Aceti quod satis est. Fit etiam Emplastrum hoc modo. Pastilli sextantem, colophoniæ, cerę, olei, singulorum sexuncem, aceti quod satis est ad terendum pastillum.

Pantolmius

Pastillus Pantolmius. Ad chironia & maligna ulcera, Itemq́ ad fluxiones. Cassię, ęris usti, cerusę, spumę argenti, ęruginis rasæ, aluminis scissi, rotundi, liquidi, & lateritij, panacis radicis, aristolochię longæ & rotundæ, malicorij, atramenti sutorij, portulacæ, iridis astragalitidis, chalcitidis, misyos, ammoniaci Thymiamatis, salis ammoniaci, rubiginis ferri, squamæ ęris, aloes, diphrygis, thuris, gallarũ, sarcocollæ, plũbi usti, foliorũ oleæ, foreos, myrrhæ, melanterię liquidæ, balaustiorũ, spinę Aegyptię, sulphuris uiui, nitri, rhois rubri, rhois Syriaci, chrysocollæ, rhois coriarij, acacię, salis spumę,

spumę, omphacij, auripigmenti, æquales singulorum portiones. Cum aceto terito sub canis ardoribus, ad dies xxx.

Pastillus Nymphodoti. Aphronitri unc. j. nitri Alexandrini, sapo⸗nis gallici, sing. unc. j. salis Cappadocici, mastiches, gallarum, singul. drac. iiij. foliorum rosarum, amomi, amyli, singul. unc. j. folij drac. j. aluminis scis⸗si, costi, singul. drac. ij. uini myrtitæ quod satis est. *Nymphodoti pastillus*

Pastillus ex Thapsia, Ad Hemicraniam. Succi Thapsiæ drach. xvj. myrrhæ drac. viij. opopanacis, euphorbij, singul. drach. vj. nitri, succi parthe⸗nij, singul. drac. iiij. piperis, sagapeni, singul. drac. ij. Aceti quod satis est. Vsus ex petente, aceto illinito, & post horas vj. lauato. Si uero remissiore uti ue⸗lis, æquali cerato excipe, illine, & per diem ac noctem sine.

Pastillus subdititius, Ad dysenteriam, & ani dolores. Terræ Aste⸗ris, amyli, singul. quadrantem, croci sextantem, acaciæ, tragacanthæ, sing. unc. j. castorij, thuris, lycij, singul. unc. s. In calidioribus etiam opij. unc. s. Excipe succo psyllij, & pastillos oblongos efforma.

De puluillis qui inspergunturer de Smegmatis. Cap. XIII.

Arida medicamenta quæ & puluilli, & catapasmata ab inspersione uo⸗cantur, partim ulceribus conueniunt, partim cuti adhibentur. Et ex his quæ ulceribus conueniunt, quædam caua ulcera incarnant: quædam carnē superexcrescentem deprimunt: quædam cicatricem inducunt: quædam u⸗runt ac erodunt: quædam sanguinem sistunt. Quæ igitur incarnant, aut sor⸗dida purgando id faciunt, uelut sunt quæ constant ex eruo, aristolochia, iri⸗de, panace, myrrha, thure, aloe: aut superfluam humiditatem resiccando, ue⸗lut sunt quæ ex ære, diphryge, squama æris, charta usta, piceę cortice, & spi⸗na confiant. Hæc autem etiam cicatricem inducunt: aut acrimonias & mor⸗dacitatem obtundendo, uelut quæ parantur ex pompholyge, amylo, cerus⸗sa, fece uini usta, lapide speculari, ostreis ustis, terra Samia, & similibus, & quæ ex his compositorum uires habent. At ex his quæ super excrescentem carnem deprimunt, mitia quidem sunt, quæ ex squama æris, misyi, chalciti, de ustis, & galla fiunt. Fortiora autem quæ ex atramento sutorio, ærugine, misyi, chalcitide non ustis. Vrentia uero & erodentia, ex calce, & auripig⸗mento, & sandaracha, & fecula, quæ est fex uini usta, componuntur. Om⸗nia uero hæc si in tenuissimum puluillum redacta ulceribus inspergantur, minus mordacia fiunt. Quanto uero magis crassas partes habent, tanto ma⸗gis mordent. Quæ uero sanguinem sistunt, aut adstringendo, aut perfrige⸗rando, aut siccando, aut meatus obducendo, aut urendo, aut crustum indu⸗cendo sistunt, quorum materiam in capite de pastillis tradidimus. Porrò ex his quæ cuti adhibentur, quædam extergunt & exterunt uelut quę ex cimo⸗li, apumice, faba, lomento, ordeaceo fermento, peponum carne, salis flore constant: quædam attenuant ac discutiunt, uelut ex ueratro, alcyonio, sul⸗phure, staphide syluestri, sinapi, pyrethro, rorismarini semine, limnitide si⸗ue adarce, & sepiæ testa parata. Sed & hæc ubi calcem & auripigmentum assumunt cum aliquo humore, pilos abolent, & smegmata fiunt: quædam uero capiti adhibentur, ut fluxionem quæ ex ipso defertur reficcent, uelut sunt quæ ex nitro, sale, galla, malicorio & similibus fiūt. Omnia autem sme⸗gmata cuti non illitæ adhibere oportet. *Puluilli inspersiles* *Catapasmata* *Fecula* *Smegmata*

Puluillus Capitalis. Erui quincuncem, iridis unc. j. s. mannæ unc. j. s. aristolochiæ, squamæ æris, singul. unc. j. s.

Alius. Piceæ corticis drac. vj. thuris drach. iiij. pumicis drach. iiij. iri⸗dis drach. ij. resinę siccæ drach. vj. aristolochiæ drach. ij.

Puluillus ex aloe. Aloes drac. vj. erui drach. viij. mannæ drac. iiij. gal⸗læ drac. iij. aluminis scissi drach. xij.

Puluillus ex fece uini usta, Manethonis. Cadmiæ ustæ & lotæ unc. j. terræ Asteris unc. j. fecis uini ustæ trientem, lapidis specularis trien⸗tem, thuris trientem. Quidam etiam amyli trientem addunt.

Melitera

Melitera Oribasij Melitera. Oribasij. Chalcitidis, squamæ æris, gallæ, balaustiorum, erui, singul. quadrantem, aristolochiæ longæ unc. j. malicorij, aluminis scissi, singul. unc. s. A

Puluillus ex ostreis. Cadmiæ, thuris, singulorum unciam unam, ostreorum ustorum quadrantem.

Rhoidarium Puluillus ex thure. Spumæ argenti, thuris, squamæ æris, Rhoidarij, amyli, cerusæ, singul. æquales portiones.

Aphroditarius pastillus Aphroditarius puluillus. Thuris, squamæ æris, Rhoidarij, amyli, cerussæ, singulorum æquales partes.

Rodia sistens sanguinem Rhodia sanguinem sistens, & ad nomas, & carnem superexcrescētem. Gallæ crudæ drac. vj. gallæ ustæ & extinctæ uino siccæ drac. xij. squamæ æris nigri, sin minus, rubri drach. viij. atramenti sutorij drac. xxiiij. aluminis scissi drach. xxvj. terito ad dies sufficientes.

Puluillus flauus. Chalcitidis ustæ drach. xl. atramenti sutorij drach. viij. Misyos usti drach. x. æris usti drac. v.

Psarus puluillus Puluillus psarus. Misyos quincuncem, gallarum trientem, chalcitidis sextantem, squamæ æris sextantem, atramenti sutorij unciam unam, ærug inis rasæ sextantem.

Heliocaes Puluillus heliocaes, id est sole ustus, adurens. Auripigmenti libræ ʃ. calcis uiuæ lib. ij. terito cum aqua in diebus sub cane, deinde siccatis utitor.

Floridum Puluillus floridus. Cyperi drach. viij. myrrhæ drach. xij. sandarachæ drac. iij. florum rosarum drac. ij. croci drac. j. crocomagmatis, aluminis scissi, iridis Illyricæ, singul. drach. ij.

Puluillus ex charta. Ad nomas oris maxime, & ulcera in pudendis. Squamæ æris, chartæ ustæ, singul. drac. viij auripigmenti, sulphuris uiui, singul. drac. xij. plumbi usti drach. vj. Ad humectiores putredines utere sicco. Verum ad siccas rosaceo subacto. Quandoque etiam melle cum rosaceo.

Puluillus ex oxymyrsine, Ad eadem. Rhois coriarij sextantem, foliorum oxymyrsines, sandarachæ, singul. drach. viij. foliorum salicis siccorum, malicorij, singul. drach. vj. aluminis scissi, chrysocollæ, aloes, chalcitidis crudæ, squamæ æris, auripigmenti, salis communis, sing. drach. iiij. B

Puluillus Massaliotæ. Nitri tosti, chrysocollæ, lapidis Asij, sandarachæ, misyos, chalcitidis, aluminis scissi, diphrygis, singulorum æquales partes. Vtere sicco.

Aesculapius puluillus Smegma aridum puluillus Aesculapius. Baccarum lauri, nitri Alexandrini, salis fricti, salis cappadocici, ammoniaci Thymiamatis, aphronitri, pumicis, sing. lib. j. ueratri nigri, herbæ lanariæ, pyrethri, feculæ, quæ est ex uini usti, staphidis syluestris, sinapis, cyperi, aluminis scissi, floris iunci odorati, iridis, gallarum, singul. sexuncem, sampsuchi lib. j. seminis urticis, pulegij, farinæ fabaceæ, & lupinorum, singul. sexuncem, chamæleonis nigri, sulphuris, gummi, thuris, piperis, cucumeris syluestris radicis, marrubij, cimoliæ, pæoniæ, testæ sepiæ, fœni græci, folij, costi, cumini, euphorbij, spicæ nardi, singulorum quadrantem. At Alexander etiam hæc addit.

Alexander medicus Salis ex nitri fontibus, salis tragasij, sing. lib. j. adarces unc. j. aluminis liquidi, celticæ, cnici, grani Cnidij, graminis sicci, bryoniæ siccæ, sing. quadrātē.

Peponaton smegma Smegma peponaton. Thuris, mastiches, ammoniaci thymiamatis, singulorum unc. j. tragacanthæ unc. j. s. succi uuæ acerbæ, dodrantem, peponis seminis recentis, quadrātem, semidalis sextar. v. ouorum albumina. xxi. iridis trientem. Quidam etiam ueratri nigri sextantem.

Aliter, Critonis.

Lomenti modium. j. similaginis sextar. iiij. trifolij, myrobalani, iridis Illyricæ, singul. lib. iiij. ammoniaci Thymiamatis lib. j. costi. lib. j. ouorum albumina. vij. peponum carnis sextar. ij. succi uuæ acerbæ sextar. ij. Misce & efformatos pastillos sicca. Deinde tusis cribratis utere.

Aliter. Tragacanthæ, thuris, mastiches, ammoniaci Thymiamatis, singul.

singulorum drach. x. succi uuæ acerbæ drach. v. semiliaginis sextar. v. albuminis ouorum unc j. peponum carnis dextrantem. Præparatur ut dictum est.

A

Smegma caput fluidum resiccans. Nitri Alexandrini fului quincuncem, salis communis tosti unc. j. s. salis cappadocici unc. j. Hæc aceto acerrimo subacta in sacculum lineum mittito, & urito in camino, donec ad carbones redigantur, deinde refrigeratis ac tritis affricando utere, utinum adsit lans in balneo.

Sapo Constantini. Rosarum siccarum, aloes, gallarum, malicorij, malabathri, sarcocollæ, singulorum, quadrantem, balaustiorum, myrrhæ, sandarachæ, spicæ nardi, singul. sextantem, costi unc. j. saponis Gallici lib. unã Excipe decocto lupinorum. *Sapo Constantini*

Puluillus depilatorius, podagricus. Mastiches, thuris masculi, staphidis syluestris, ueratri albi, spumæ argenti, singul. quadrantem, folij, amyli, ueratri nigri, floris lapidis Asij, singul. unc. j. halcyonij, punicis tosti, cimoliæ, sampsuchi, singulorum quadrantem, spicæ nardi unciam unam, Quidã etiam aloes unciam unam. His cõtusis, puluillum in uase adseruato. Vsu autem expetente, oryzæ & ptisanæ succum in ollam mitte, & postquam efferbuerint iniice puluilli unc. j. s. saponis Gallici unc. j. s. auripigmenti, aluminis scissi, singul. unciam unã, s. sandarachæ unciam unam, s. calcis uiuæ recentis libram unam, Vtatur illitione ter in mense, die lunæ nono, decimo nono, & uigesimo nono, per annum unum. Post hunc semel in mense, xxix. lunæ die. *Podagricus puluis depilatorius*

Illitiones oris. Cap. XIIII.

QVanto rarior ac mollior cute, est superficies tunicæ in ore, in tantum etiam stomaticorum quæ ori illinuntur medicamentorum usus euariat. Ab initio igitur inflammationis, medicamentis id quod influit repellentibus opus est, qualia sunt arida quidem, omphacium, galla omphacitis, rhois succus & hypocystidis, alumen, piceæ & thuris cortex, balaustia, & in summa omnia adstringentia, excepta iniucunda & uenenosa facultate. Liquida uero, succus mororum tum rubi, tum eorum quæ sycamina appellantur. Nucum item uiridium corticis succus, & malorum punicorum maxime acidorum, & malorum cydoniorum, & mustum aminæum. Mel autẽ in principio, ut permaneant ac durent solum medicamenta miscetur. Quũ uero constiterit humor, concoquentia & moderatè discutientia ammiscenda sunt, qualia sunt crocus, & myrrha, & radicis dulcis succus. At per totũ hoc tempus quod inter uigorem ac declinationem intercedit, mixto quodã ex ambobus opus est, quod & repellat, & discutiat, ac primum quidem prævaleant repellentia, deinde discutientia. Verum in declinatione solis discutientibus citra adstrictionem utendum est, qualia sunt nitrum, & aphronitrum, origanum, hyssopum, Thymus, calamintha, iris, beta, & similia. Liquor autem tunc sireon, id est sapa sit, tum quæ ex musto cocto, tum quæ ex caricis & palmulis fit, & ipsum mustum dulce cum melle. Quum uero uelut reliquiæ superfuerint inflammationis, etiam sulphur uiuum ammiscendum est. Coquere aũt primum oportet liquorem cum melle, ad mellis liquidioris spissitudinẽ. deinde sic arida leuissime trita inspergere, & postea moderatè coquere, donec oĩa exactè unita fuerint, & tũc uitreis uasis excipere. *Stomatica quæ sint* *Mellis usus ratio* *Sireon, sapa duplex*

B

Illitio stomatica ex moris, simplex. Mororum succi sextar. iij. præcoquito ut tertia pars consumatur, & mellis sextari. j. adijcito, ac coquito ad crassitudinem mellis. *Stomaticæ illitiones uariæ*

Stomatica ex moris, composita. Mororum succi heminas vj. coquito ad stigmentitiam spissitudinem, deinde trita ammisceto, croci drach. j. myrrhæ drach. ij. succi uuæ acerbæ drach. j. aluminis scissi obol. uj. mellis heminam. j. Et ad spissitudinem coquito.

Stomatica ex moris rubi. Sed & ex rubi moris illitio stomatica simi liter præparatur, & magis adstringit.

Stomatica ex nucibus simplex. Nucum uiridium corticis cõtusi suc ci hemi.v. Mellis hemi.j. Coquitur uelut ea quæ ex moris fit. A

Stomatica ex nucibus composita. In principio quidem & uigore inflammationum in ore, ad prædictas mensuras succi ac mellis, ammiscere oportet croci & aluminis, singul. drach j. myrrhę drach.ij. Verum in declinatione ad discutiendum nitri drach.j. sulphuris drach.j.

Stomatica ex succo mali punici. Malorum punicorum nucleos non habentium dulcium succi sextar.iij. malorum punicorum acidorum succi sextar ij. mellis sextar.j. myrrhę Minnęę drach. viij. crocomagmatis, gallæ, singul. drach. viij. aluminis scissi drach.iij. iridis Illyricæ drach. viij ompha cij drach. vi. præpara uelut eam quæ ex moris fit.

Eadem aliter. Malorum punicorum unà cum putamine contusorũ succi sextar.vi. Mellis boni sextar.j aluminis scissi unc. unam, myrræ unc. s.

Stomatica ex musto. Musti sextar vj. gallę, aluminis scissi, sing. drac. ij. croci, myrrhæ, singul. drach. j. Siquidẽ mitigare uoles, dulce sit mustum. Si uero repellere, austerum. Quod uero medium est, mediam quodammodo inter hæc uim habet.

Stomatica Aegyptia. Mellis lib.j. olei bessem, terebinthinæ sextantem, croci drach.iiij. in duplici liquantur uase.

Besasa quid sit
Harmala

Stomatica ex besasa. Seminis anisi, seminis apij, floris iunci odorati, seminis ammij aluminis scissi, iridis Illyricæ, besasa quod aliqui harmala uocant, Est autem ruta syluestris, cinamomi, myrrhæ Troglodyticæ, croci, gallæ, sing unciam unam, aristolochiæ longæ, cassiæ, crocomagmatis, rosatũ siccatum, sing. unciã unã, costi, cineris hirundinũ recentis, sing. quadrantẽ, nardi Indicæ, amomi, sing. unc. s. Mellis quantum satis est.

Iucundæ & utiles potiones. Cap. XV.

Potiões utiles & iucundæ

IVcundæ simulq; utiles potiones, partim ex uino componuntur, *infectis* in ipsum speciebus quibusdam, uelut pipere, absinthio, cassamo, & pluribus alijs ex quibus etiam aliquãdo appellationes accipiunt, quandoq; melle ammixto, quandoq; non: partim ex aqua, in qua decoquuntur mala aut rosę, cum quibusdam succis, uelut uuæ acerbę, malorum punicorum, myrti baccarum. Ammiscetur his mel optimum despumatum, & conseruationis, & iucunditatis gratia, quandoq; etiam utilitatis. Excepto austero & uinoso hydromelo, quod in paruis uasis à Cebyra affertur. Hoc enim noui etiam citra mel parari, quemadmodum rursus Apomeli ex melle solo & aqua, citra aliam aliquam substantiam. Sed & quæ ex uino componuntur, quæ sane propomata appellantur, mellis despumati sextar j. ad quatuor uini sextarios accipiunt, & componuntur ita ut non coquantur. Quę uero ex aqua & succo parantur, si quidem coquantur, unum mellis ad tres liquoris accipiũt cuius duę ferè partes in coctura consumuntur Si uero non coquãtur, unum mellis ad duos liquoris accipiunt. Quę uero non coquũtur, eas omnino insolare satis diu oportet, & maxime omphacomeli. Coquere porrò eas quæ ex aquis fiunt conuenit, eo quòd propter debilitatem facile mutantur. Omnes aũt testaceis uasis paruis picatis excipere oportet, eaq; probe cooperta reponere in locis supra terrã, usq; ad concoctionẽ. Vtendũ aũt est attenuantibus, et aqua probe permixtis. Omphacomeli uero postq; efferbuerit uelut mustũ, & rursus quieuerit, tunc operire oportet. His igitur quę ex uino cõponuntur, in non febrientibus utimur maxime, aut solius uoluptatis gratia: exceptis his quę ex scammonia, aut grano cnidio, aut huiusmodi purgatorijs parantur: aut etiã gratia affectionũ eiusmodi, in quibus etiam medicamenta ipsis infecta per os sumere quis possit. Quæ uero ex aquis aut succis quibusdam, in febricitantibus: quandoq; uelut iucundis condimentis, quũ morbus non permittat ipsis ut uino utantur: quandoq; etiã prout affectionibus conuenit, quemadmodũ Apomelite, ad educendum sputũ, aut mouendum urinã, aut molliẽdam aluum, aut attenuandũ humorem: hydromelo & hydro-

Hydromelum ex cebyra — *Apomeli* — *Propomata* — *Apomelitis utilitas*

B

hydrorosato, in siticulosis & febre ardete, & exolutis ac stomacho male ha-
A bentibus: omphacomelite & myrtite, & rhodo stacto, & rhoite, in cœlia-
cis & dysentericis, uomentibus item ac alijs fluidis affectionibus. His autē
etiam pro collutionibus sœpe utimur in oris affectionibus.

Hydromelon ex succo malorum. Malorum cydoniorum purorum contusorum succi sextar. ij. Mellis sextar. iij. aquæ sextar. vj. Coquito despumans ad tertiæ partis consumptionem. Hydromelon

Aliud. Malorum cydoniorum concisorum purorum lib. v. in aquæ fontanæ sextar. x. coquito donec flaccida fiant, & ablata ab igne Vbi frigefacta fuerint colato, & expressa mala abijcito. Aquam aūt mensurato, & ad ipsam mellis dimidium mensuræ amisceto, rursusq; coquito despumās, donec octaua pars fuerit consumpta. Quidam etiam ex dulcibus malis similiter componunt hydromelum.

Hydrorosati compositio. Rosatum ablatis unguibus lib. iiij. aquæ sextarios. v. Mellis sextar. ij. Hydrorosaton

Rhodomeli præparatio. Succi malorum cydoniorum sextar. j. rosarum lib. iij. Mellis sextar. iij. aquæ sextar. v. Quandoquidem uero mala eodem quo rosæ tempore non inueniuntur, oportet ipsas rosas suo tempore cum melle componere, & ubi mala apparuerint, totā compositionē facere. Rhodomeli

Omphacomelitis præparatio. Succi uuæ acerbæ sextar. iij. mellis sextar. j. permixta insolato ad dies quadraginta, aut coquito. Omphacomeli

Myrtitæ præparatio. Succi baccarum myrti sextar. iij. mellis sextar. j. Coquito donec tertia pars fuerit consumpta.

Apomeli ex philagrio. Fauorum melle plenorum albotum lib. j. aquæ fontanæ lib. iij. S. Confracto fauo aquam cum melle unitam coquito, donec spuma ipsius, & quod uelut cetosum super natat, particulatim ablatum fuerit, & tunc refrigerata diligenter ualis excipito. Apomeli

B Rhodostacti compositio. Rosatum ademptis unguibus succi sextar. ij. Mellis sex. j. Coquito despumans ad quartæ partis consumptionem. Rhodostacton

Rhoitæ præparatio. Malorum punicorū succi sextar. iij. Mellis sex. j. Coquito ad tertiæ partis consumptionem.

Collyria & adglutinatoria. Cap. XVI.

VAria est medicamentorum oculatium materia. Nam & spissi & liquidi succi, & semina & fructus, & plantarum partes, & metallica his inijciuntur. Ex quibus quædam acria mitigant, & uelut meatus obducunt, ut est pompholyx, spodium, amylum, plumbum, famius aster, cadmia, omnia lota, & oui candidum, quibus præ cuacuato capite utendum est. Si enim repletum fuerit, periculum est ne præ distentione rumpantur tunicæ oculorū. Quæ uero his contraria, & acris naturæ sunt, ea ab obstructione liberant, & diu adstricta euacuant, quemad modum succi, Cyrenaicus & Medicus, & sagapenum & Euphorbium, & similia. Quædam uero sordida ulcera extergunt, uelut squama æris, æs, chalcitis, misy, sori, flos æris, & stibium, usta omnia. Quædam his uicina extersoria appellantur, uelut est auripigmētum, sandaracha, lapidis Asij flos. Quædam adstringunt. Et quæ quidem moderate hoc faciunt, multiplici usu lippitudinibus, & ulceribus, & fluxionib. conueniunt, uelut rosarū folia, & flores, & semen, spica nardi, foliū, crocus, glaucium, & hypocistis. Quæ uero adstrictionem fortiorem habent, in compositiones usum acuentes maxime miscentur, uelut omphaciū, acacia, balaustia, cytini, gallæ. Quædam concoquunt & discuciunt, uelut myrrha, castorium, thus, fœni greci succus. Ex compositis porrò ocularibus medicamentis, quędam effinguntur, et plasta simpliciter appellantur: quędam arida collyria, quædam liquida existunt. Quæ igitur in massas coacta effinguntur, omnes prædictas materias suscipiūt, & omnibus affectionibus conueniunt. Præparanda igitur sunt maxime uete, Aestate enim uis ipsorum transpirat, hyeme uero dum horridæ ac rigidæ sunt species, non permiscen-

Collyria uaria oculorum

Plasta ocularia

Collyria arida

Collyria liquida

E 2 tur.

tur. Conterere autem oportet affuso humore non aceruanti, ut ne metallica subsidant, aromata autem supernatent, sed paulatim ut ad strigmentorum modum conterantur. Sit autem aqua pluuialis, tum ob partium tenuitatem tum ob moderatam ipsius adstrictionem: si non uino aut succo quodam teruntur. Et rursus conterere oportet metallica quidem multo tempore. Quæ uero ex succis constant, modico. Postremum uero post sufficientem leuigationem, adijciendum est gummi, & efformatæ massæ reponendæ in æneis aut uitreis uasis. Vtendum autem his quæ ex succis constant statim. Metallica uero temporis tractu meliora fiunt. At uero arida collyria quædam consumunt ac extergũt callos, ficus, pterygia, & scabricias, quæ ex chalcitide & ærugine, & misy cõponuntur. Quædam lachrymas ducũt, obturationibus & hebetudinibus uisus conueniẽtia, quæ & ex his, & ex pipere ac spica nardi constant. Quædam præseruant, eo quòd influxiones ab oculis arceãt, uelut sunt quæ ex phrygio lapide, & sarcocolla, glaucio, aloe, cadmia, stibio & croco parantur. Atq; hęc omnia in tenuissimum puluisculum trita ac leuigata oculis adponantur. Cæterum liquida collyria parantur quidem ex melle Attico, opobalsamo, oleo quod tenuium partium est ob uetustatem, foeniculi succo, felle diuersorum animalium, succo cyrenaico, & pluribus alijs. Commodant autem ad uisus hebetudinem, & suffusiones incipientes, attenuantia, calefaciẽtia, & purgãtia. Vtendum aũt & his, & omnibus acribus, capite nõ repleto, in sereno, puro, boreali, non ualde frigido, neq; minus calido aere nos ambiente. Porò quæ agglutinatoria appellantur, parantur quidem ex meatus obducentibus, & glutinantibus, & cõstringentibus, aut frigefacientibus, aut adstringentibus, aut siccantibus, uelut est pollen, manna, terra samia, mirrha, cochleæ, acacia, opium, cum oui candido. Agglutinantur aũt fronti, in quibus nõ sub caluaria humor, sed extrinsecus cõsistit. A

Aqua pluuialis

Agglutinatoria

Collyrium Monohemeron, Ad incipientes & ueteres lippitudines. Acaciæ drach. xxxvi. gummi drach. xxxij. cadmiæ drach. xxiiij. æris usti & loti drach viij. opij drach. j. Vino austero terito, discutit & siccat. B

Collyrium Chiacum. Minij sinopici, gallæ omphacitidis, croci, rosarum nouarum exunguiũ floris, quem thylaca uocamus, gummi, singul. quadrantem, opij, unc. i. Vino Aminœo aut phalerno, aut chio austero terito. Sit autem uinum maris exors.

Thylax in rosis

Collyrium Cygnarium. Cadmiæ ustæ & lotæ sexuncem, cerussæ lotæ trientem, pomphyligis trientem, amyli sextantem, tragancanthæ, opij torrefacti, gummi singul. sextantem. Aqua pluuia terito.

Cygnus Fuluus. Cadmiæ ustæ & lotæ sextantem, terræ asteris sextantem, cerussę trientem, pompholygis bessem, amyli sextantem, opij sextantẽ acaciæ, tragacanthæ, singul. unc. j. gummi trientem. Aqua pluuia,

Cignus albus. Cadmiæ unc xv. cerussæ unc xvij. opij drach. viij. thuris drach vij. amyli septũcem, gummi drach. xiij. Aqua pluuia.

Pelarion

Pelarion ad ulcera. Cadmiæ, cerussæ, singul. drach. xxiiij. acaciæ, opij, singul. drach. xviij. gummi, tragacanthæ, amyli, singul. drach. ix. amyrrhæ, drach. iij. ęris, croci, singul. drach. j. s. Aqua terito.

Collyrium Fuscũ Ad suppuratos oculos, & magnas affectiones. Cadmię tenerę drach. xxiiij. cerussę drach. xvi ęruginis rasę drac. xij. stibij drac. viij. aluminis scissi drac. iij. chalcitidis ustę drach. iij. nardi Indicę drach. iiij. omphacij drach. ij. æris drac. j. squamæ æris drach viij. fructus ericæ drach. xiij succi papaueris drach. xxiiij. croci drach. iiij. castorij drach. iij. mirrhæ drach. vi. lycij Indici, acacię, gummi singul. drac. iiij rosarum recentiũ drac. ij. s. Vino Falerno aut Surrentino, aut Amineo, aut Chiõ austero terito. Illinitur ter in die, aquosum cum foeni gręci succo dilutum, deinde cũ ouo aut lacte. Postremò cum aqua, crassius.

Collyrium ex decoctis. Cadmiæ unc. xvi. cerussæ bessem, amyli, opij, tragacanthæ, acaciæ, singul. sextantẽ, gũmi sexuncẽ, Tetito cũ decocto

rosarum

rosarũ ſiccarũ, meliloti, capitum papaueris, glycyrrhizæ, pari ſing. mẽſura.

A Collyrium ex hydria, id eſt uaſe aquario, Repulſorium. Tofi qui in uaſis calefactorijs æneis reperitur lib. iij. cadmiæ uſtæ & lotæ lib. j. ceruſſæ lotæ, pompholygis lotæ, terræ aſteris lotæ, ſingul. ſexuncẽ. thuris unc. j. myrrhæ unc. j. ſucci ſeminis lini, pſyllij, ptiſanæ, fœni græci, ſingul. lib. j. tragacanthæ. ſexuncem. gummi libr. j.

Collyrium Nilamonis. Cadmiæ unc. j. pompholygis trientem, ceruſſæ lib. j. tragacanthæ, gummi, opij, ſingul. trientem. Aqua pluuia.

Collyrium Spodiacum. Ad inflammationes, fluxiones, & Chemoſes. Thuris, ſtibij, ſingul. drach. c. cadmiæ, ceruſſæ, ſingul. drach. xxiiij. terræ Samiæ, ſucci papaueris, ſingul. drach. iij. gummi drach. xv. Terito cum oleæ ramulorũ ſucco. Hunc autem ſuccum ſic facito. Teneriora oleæ folia lota, in mortario moderata aqua effuſa tundito, & per linteolum exprimito.

Collyrium ex oleæ ramulis tenerum. Thuris drach. iiij. ſtibij drac. xv. cadmiæ drac. xxviij. ceruſſæ drac. xlix. terræ Samiæ drach. xviij. opij drac. vi. gũmi drac. j. plumbi uſti & loti drach. viij. Excipe ſucco ramulorũ oleæ.

Collyrium ex oleæ ramulis fuluum. Aeris uſti drach. xij. ſandycis unc. xxiiij. Foliorum oleæ ſextantem, opij ſextantem, gummi dextantem. Vino ſpathite aut Amineo excipe.

Collyrium ex myrrha Claudiacum. Glaucij, ſarcocollæ, ſingul. drach. xlviij. croci drach. xxiiij. opij, myrrhæ, lapidis hematitæ, ſingulorum drachmas. vi. tragacanthæ drachmas xlviij. gummi drachmas xvi. Vino Italico excipe. Vius eſt cum ouo. *Claudiacum collyrium.*

Aliud ex myrrha. Ad Rhyadas & Aegylopas. Cadmiæ lotæ, lapidis hæmatitæ loti, ſingul. drach. xxviij. myrrhæ, ſpodij cyprij, ſingul. drachmas. xxiiij. opij drach. viij. croci drach. iiij. Alij drach. viij. habent. Piperis albi grana. xxx. gummi drac. xvi. Vino Italico excipe. Vius eſt cum ouo. In recentibus aquoſum adhibetur.

B Collyrium Stacticon, proſechij. Cadmiæ, gummi ſingul. drach. xx. ſtibij, atramenti ſutorij, ſingul. drach. viij. opij drach. xiiij. æruginis raſæ drach. x. piperis albi drach. vi. croci drach. viij. myſios crudi drach. viij. opobalſami. drach. iiij. Aqua. *Stacticon collyrium*

Collyrium Hygidiũ, Ammonij. Cadmiæ, æris ſingulorũ drach. xvi. ceruſſæ, caſtorij, aloes, croci, ſingul. drach. iiij. ſquamæ drac. v. roſarum floris, plumbi uſti, ſingul. drach. viij. lycij drach. ij. lapidis ſciſſi drach. iiij. opij drach x. acaciæ drach. xl. gummi drach. xlviij. Aqua. *Hygidium*

Collyrium Olympiacum, aut Olympus. Acaciæ, ſpicænardi, thuris, ſingul. drach. viij. æris uſti ac loti, ſtibij uſti ac loti, ceruſſæ uſtæ ac lotæ, cadmiæ, ſingul. drach. xij. myrrhæ, opij torrefacti, ſingul. drach. iiij croci drach. v. æruginis raſæ drach. ij lapidis ſchiſti, ſquamæ rubræ, lycij Indici, omphacij, ſingul. drach. j. caſtorij, floris roſarum, ſingul. drach. ij. palmularum drac. iiij. oſſa palmularum uſta numero. v. gummi quincuncem, Aqua pluuia. Verum in aqua macerentur per tres dies ac noctes, calami aromatici, ſeminis hyoſcyami, roſarum ſiccarum, ſingul. drach. iiij. folij drac. j. *Olympiacum collyrium*

Collyrium Nardinum. Cadmiæ, croci, gummi, ſingul. drach. xxxvi. æris uſti drach. xviij. ſtibij, acaciæ, ſingul. drach. xxx. nardi Syriacæ drach. xij. opij, myrrhæ, ſingulorum drach. xvi. Aqua.

Collyrium Theodotium paruum. Stibij, acaciæ, ſingul. drach. xx. æris uſti drach. viij. ceruſſæ drach. iiij. myrrhæ drach. iiij. æruginis drac. ij. aloes, ſucci papaueris, lycij ſingul. drach. j. Aqua pluuia. *Theodotion*

Collyrium Rhinarion. Lapidis hematitæ, lapidis ſchiſti, ſingul. drac. xvi. æris uſti, cadmiæ, æruginis, ſingul. drach. viij. opij drach. v. chalcitidis drach ij gummi drach. viij. Vino. *Rhinarion*

Xyſter. Pumicis uſti, miſyos uſti, oſtreorum uſtorum, ſingul. ſexuncem, cadmiæ, opij, chalcitidis uſtæ, croci, aloes hepaticæ, caſtorij, folij, ſingul. *Xyſter collyrium*

gul.drach.ij.stibij,acaciæ singul.unc.j.æris usti trientem,myrrhæ Troglodyticæ drach.iiij.spicænardi drach.j.cerussæ drach.viij.gummi drach.iiij. Aqua pluuia. Quidam etiam uinum miscent. A

Hecatombe Hecatombe. Ad cicatrices crassas. Cadmiæ ustæ & lotæ, æris usti ac loti,singul.drach.viij.stibij usti,acaciæ fuluę,gummi.singul.drach.xv.aloes, gallæ, æruginis uermiculatæ, castorij, lycij,spicæ nardi, croci, opij, myrrhæ,cerussæ,ramenti oheni,chalcitidis,singul.drachmam.j.rosarum drach. lx. Aqua pluuia.

Collyrium ex cornu. Ex Galeno. Plumbi usti,cornu ceruini usti, singul.sextantem,cerussæ,squamæ æris,amyli, thuris, testæ sepiæ ustæ,ęrugiginis,myrrhæ,gummi,singul.unc.j.Aqua pluuia.

Collyrium ex thure. Thuris sexuncem,cadmiæ,pompholygis, terræ asteris,amyli,gummi,singul. quadrantem,cerussæ sexuncem,squamæ æris trientem,tragacanthæ trientem,opij sexuncem, Aqua pluuia.

Libyanum Collyrium Libyanum. Cadmiælotę,amyli,singul.drach.xij.cerussę drach.xij.spodij,pompholygis, terræ asteris, plumbi usti ac loti,tragacanthæ,singul.drach.viij.opij drach.xij.gummi drach.iiij.Aqua pluuia & ouorum.xx.albumina,Quidam etiam myrrhæ drach.iiij.addunt.

Aster Collyrium Aster, Magni. Pompholygis,cadmię,cerussę,singul.drach.xvi,plũbi drach.viij.amyli drach.xviij.thuris drach.x.terræ asteris drach. xij. myrrhæ drach.ij.tragacanthæ,gummi,singul. drach. viij. Aqua.

Vranium Collyrium Vranium. Terræ Asteris lotæ quadrantem, spodij loti, unc.j.gummi trientem,stibij usti ac loti sextantem,squamæ lotæ unc.j. opij drach.vi.cadmiæ ustæ & lotæ drach ij.Aqua pluuia.Incarnar & repellit.

Collyriũ ex fœni græci succo. Cadmię, Tragacanthę,singul. bessem, cerussæ unc.xxx.amyli unc xxx. opij unc.j.cum succo fœni græci terito.

Collyrium Cleonis. Pompholygis, plumbi singul. quincuncem, croci unc.j.s.squamę stomomatis ferri unc.j.gummi sextantem. Aqua pluuia.Illinitur aquosum. B

Collyrium ex rosis unciatum.lxxij.

Rosarum uiridium unc.lxxij cadmię ustæ & lotæ drach. xxiiij.æruginis rasæ drach.ij.spicæ nardi drach.j.squamæ æris lotæ drach.ij.stibij usti ac loti,opij,myrrhæ,singul.drach.iij.croci drach. viij. amyli drach. ij. gummi drach.xxiiij. Aqua pluuia.

Collyrium album ex rosis. Cadmiæ ustæ & lotæ,cerussę lotę,singul. lib.j.amyli,opij tragacanthæ,singul.quadrantem,aloes unc.j.s.gummi quadrantem,croci unc.j.s.rosarum exunguium sexuncem.Aqua.

Collyrium ex aloe.Cadmiæ,cerussę,aloes singul. dextantem, rosarum uiridium sexuncem,amyli quadrantem,opij unc.j.tragacanthę sextantem, gummi quadrantem,Aqua pluuia.

Crocinum collyrium Collyrium Crocinum ex rosis. Spicæ nardi,rosarum siccarum,aloes.singul.drach.ij hyoscyami albi drach.j.s.croci drach.iiij s glaucij sexuncem, sarcocollæ sexuncem, opij drachmas ij. tragacanthæ unciam. j. Aqua pluiua.

Collyrium Nili ex Rosis. Rosarum tenerarum drach.iiij.croci drach. ij papaueris obol.j.gummi drach.iiij.Aqua pluuia.

Lynceus Lynceus uisum acuens. Cadmiæ,æris usti, ammoniaci Thymiamatis,singulorum drachmas.xij.myrthæ,lapidis hematitæ,opij Thebaici, singulorũ sexuncem, aloes hepatitidis,fellis taurini,galbani,sagapeni,singul. drach.iiij.æruginis rasæ,opopanacis salis ammoniaci, singulorum drach. j.gummi drach.vi Aqua pluuia.

Proteus Proteus ad eadem,& cicatrices attenuat. Cadmiæ,cerussæ, chalcitidis crudæ,singul.drach.xl.piperis drach.j.s.succi Cyrenaici drach.viij.croci drach.xij.opij Thebaici drach. x. sagapeni drach. xij.oleæ Aethiopicæ drach.xij.auripigmenti,aluminis scissi,singul.drach.viij.myrrhę drach.xij.

ammo-

ammoniaci Thymiamatis drach. xx. opopanacis drach. xvi. opobalsami
A drach. x. gummi drach. xx. Aqua pluuia.

Collyrium ex succo fœniculi. Cadmiæ drac. xvij. atramẽti Indici drac. xvi. piperis longi drach. xiij. & albi drac. xij. succi cyrenaici drach. viij. opobalsami drach. vi. spicæ nardi drach. vi. sagapeni, opopanacis, singul. drach. v. opij drach. iiij. euphorbij drach. j. gummi drac. j. Terito cũ succo fœniculi.

Collyrium ex opobalsamo. Cadmiæ, cerussæ, singul. drach. viij. omphacij drach. iiij. piperis albi drach. xvi. opij drach. iiij. opobalsami, gummi singul. drach. xvi. Aqua pluuia.

Thalasserus. Cadmiæ bessem, æruginis sextantem, atramenti Indici bessem, piperis albi trientem, succi Medici unc. j. opobalsami sextantem, gummi sexuncem. Aqua. *Thalasserus*

Collyriũ Harmatiõ. Ammoniaci Thymiamatis, æris usti, corticis thuris, singul. drach. iiij. æruginis drach. j. gummi drachmas. iiij. Aqua pluuia. *Harmation*

Collyrium Malabathrinum, quod & Isotheon. Cadmiæ drach. xvi. æris usti & loti drach. xiiij. opij, lycij Indici, malabathri, nardi Indicæ, croci, aloes, singul. drach. ij. castorij drach. viij. mirrhæ drach. iiij. acaciæ stibij, singul. drach. xl Aqua. Vsus cum ouo est. *Isotheon Collyrium*

Collyrium crassius ex uino. Cadmię, lapidis hęmatitæ & schisti, singul. drach. iiij. æris usti drach. xxx. chalcitidis drach. xxxij. seminis papaueris drach. xiij. papauer aqua feruefacito, & expressum succũ adijcito, & uino spathitæ aut Amminæo terito.

Aliud ex uino. Aeris usti, cadmiæ placitidis, singul. drodrantem, lapidis hæmatitæ loti sexuncem. croci, mirrhæ, aloes, ammoniaci Thymiamatis singulorum quadrantem. lycij Indici, spicæ nardi, singul. unc. s. piperis albi grana. cl. acaciæ fuluę drodrantem, gummi quadrantem, Vino falerno aut Aminæo terito.

Collyrium ex duobus lapidibus, ad asperitudines. Lapidis hæ-
B matitæ, & schisti, cassiæ, sing. drach. xviij. æris, cadmiæ, opij, æruginis rasæ, singul. drach. ix. gummi drach. ix. chalcitidis ustæ drach. vj. Aqua.

Collyrium aridum præseruatiuũ, Galeni. Lapidis phrygij in tenues partes concisi, & usti in ollula donec partes ignescant, & butyro non ueteri extincti, deinde rursus similiter usti & uino falerno extincti: & tertiò usti & melle extincti ac siccati lib. j. æris usti, piperis albi, folij, singulo. unc. j. stibij unc. j. s. Et ubi omnia leuigata fuerint, & reponere pharmacum uoles, succi balsami nõ crassi: prohibet enim hic aridũ fieri medicamẽtũ: sed lucidissimi unc. j. adijcito. Vtendum autem est ipso, solis palpebris inducto specillo, ita ut tunicæ non attingantur, sed solas palpebras apertas medicamentum contingat. Sublinendumq; est non semel, sed sępe, antè & post cibum, & magis ubi iam sensu percipitur lippitudo. Mirũ enim est quomodo præseruet præ omnibus alijs medicamentis. *Collyrium ex lapide phrygio, Galeni*

Collyrium aridum ex croco.

Sarcocollæ drach. viij. croci drach. iiij. glaucij drach. iiij. Sæpe in die illinito. Quidam etiam aloen addunt.

Aliud aridum. Ad lippitudinem siccam, sycosin, putredines & super excrescentem carnem. Cadmiæ drachmas. x. chalcitidis drachmas. xx. piperis grana xv. nardi celticæ drachmam. j. Cadmiam & chalcitidem terito cum uino, & ubi resiccata fuerint, reliqua adijcito, & in tenuissimum puluillum redigito.

Collyrium liquidum ex Caucalide. Succi caucalidis, chamædryos, coronopodis, quandoq; etiam othonnæ, æquales singulorum portiones. Est autem othonna chelidonium magnum. *Othonna quid sit*

Aliud Ad Sycoses, & ulcera in angulo oculi magno, & carnẽ excrescentem. Misyos tosti drach. vi. atramenti sutorij drach. iiij. mellis Attici sextar. j. *Panchrestos*

Collyrium liquidum panchrestos Erasistrati, admirandam uim habẽs *Erasistrati*

ad oculorum affectiones, tonsillas, pudenda, & aures pure manantes. Aeris drach. vi. misyos tosti, myrrhæ, singul. drach. iij. croci drac. j. s. piperis drac. j. Vini chij & passi cretici, singul. heminam. j. s. Omnia cum uino terito donec arida euaserint, & infuso passo coquito ad mellis spissitudinem. A

Adglutinatoria oculorum fluxione infestatorum. Terræ Samiæ, mannæ, thuris, myrrhę, æquales partes oui candido exceptas, & linteolo inductas, fronti imponito.

Aliud. Hyoscyami seminis drachmam. j. opij drachmam. j. myrrhæ drach. ij. croci drach. j. pollinis drach. iij. ouorum assatorum uitellos duos. Oui albumine excipito.

De Emplastris, & his quæ in cocturas ipsorum mittuntur, Ex Antylo: & de ceræ ad oleum addendæ modo. Cap. XVII.

EX medicamentis quæ in emplastra mittuntur, quædam sunt Terrea, ueluti sunt metallica, & lapidũ ac terrę species, feces, cinis, cõchylia. Quędam oleosa: quædam lachrymæ, quædam liquabilia: quædam succi, partim spissi, partim liquidi. Semina uero, & herbas, & radices paucas recipiunt. *Emplastra uaria.* Ipsa autem Emplastra partim sunt uulneraria, quæ inde quòd cruentis uulneribus competunt, cruenta appellamus, itemq; glutinatoria, & fracturaria. Hæc ex siccantibus non summè, sed secundi ordinis completi, & tertij incipiẽtis componere oportet. Qualia sunt salix, quercus, cupressus, piceæ ac pini cortex, myrrha, thus, bitumen, aloe, aristolochia, cinis sarmentorum uitis, cerussa, spuma argẽti, & plura ex metallicis. Coquũtur aũt ad cõpagẽ manus non inquinantem, partim uero cicatricem inducunt, quæ etiam ipsa ex siccantibus componuntur, efficacioribus quam glutinatoria habent, uelut sunt æs ustum, & squama ipsius, & ferri ærugo, chalcitis, flos æris ustus, alumen, galla, plumbago, cadmia, pumex, & ostreacea. Partim discussoria, ex calefacientibus ac siccantibus moderatè, uelut est Aristolochia, thapsia, oleũ uetus & raphaninum, mel, opobalsamum, pix, terebinthina, galbanũ, sal ustus, salis flos. Partim mollitoria, ex spuma argenti, & adipibus, medullis, oleo ueteri, propoli, ammoniaco, styrace, galbano, bdellio, mastiche, terebinthina, altheæ & cucumeris syluestris radice. Partim siccantia, ex sulphure, nitro, sale, cinere, et bitumine. Partim attractoria, ex sale, nitro, propoli, ærugine, fermento stercoribus, sulphure, terebinthina. Partim concoctoria, ex cera laudano, uua passa, amomo, croco, thure, pice, mastiche Aegyptia, styrace, myrrha, galbano, butyro, œsypo, adipe, ærugine. Partim suppuratoria, ex aqua & oleo, polline, pane triticeo, alica, butyro, adipe suillo ac uitulino, thure, pice, resina. Partim mitigatoria, ex spuma argenti, cerussa, oleo, anetho, chamæmelo, amylo, cera alba. Porrò cruenta emplastra recentibus adhuc uulneribus ac fracturis imponere oportet, ita ut auxilium insuper ipsis feramus, spongijs posca madidis supra ipsa splenia deligatis: & tertio quoq; die soluamus, rursusq; eadem splenia, & non alia imponamus. At mollitoria, attractoria, discussoria, insuperq; concoctoria, & suppuratoria, post cataplasmatum & ceratorum usum adhibentur. Mitigatoria uero etiam ab initio statim in summis doloribus commodant. Cæterum de coctura ipsorum consequenter dicemus. B

Cruentorum Emplastrorũ usus

Tetrapharmacum Emplastrum Regium Tetrapharmacum. Ceræ colophoniæ, picis, adipis taurini, singulorum pares portiones.

Emplastrum ex semine lini. Discutit & rumpit.

Olei ueteris lib. ij. ceræ unc. xx. colophoniæ, adipis porcini, singul. lib. j. s. spumæ argenti lib. j. cerussæ sexuncem, succi seminis lini sexuncem, pollinis unc. j. Thuris trientem.

Emplastrum ex melle. Spumæ argenti, cerę, olei, singul. lib. iij, terebinthinę, lib. ij. mellis, adipis taurini, singul. lib. i.

Aliud. Spumæ argenti lib. vi. olei lib. v. s. colophoniæ lib. vij. s. ceræ lib iij. s. mellis lib. iij.

Empl.

Emplastrum ex succo. Spumæ argenti lib. vi. Olei æstate lib. vij. hyeme lib. ix. fœni græci sextar. s. seminis lini sextar. s. altheæ lib. iij. Althæam & semina coquito in aquæ sextat. xx. donec parum restiterit, & ex ipsa lib. iiij. ad oleum misceto ac coquito donec bullæ quieuerint. Deinde argenti spuma leuissime trita inspersa, lẽto igne coquito donec manus nõ inquinet.

Empl. ex polline. Pollinis ammoniaci Thymiamatis, sing. lib. j. resinæ piceæ, ceræ, adipis porcini, singul. lib. ij. succi seminis lini quantum satis est.

Anchusa Choeros pelethrum

Emplastrum ex herbis. Rumicis, olei strigmentitij, anchusæ quæ choros pelethrum uocatur, id est iugerum porcinum: Est autem Onoclea: septem neruos habentis plantaginis, singul. quadrantem, olei lib. vi. adipis porcini lib. vi. Herbæ in oleo coctæ abijciuntur, Reliqua cũ oleo eliquãtur.

Emplastrũ ex asphodelis. Radicis asphodeli succi li. j. rosacci, chamæmelini, adipis anserini, sing. sextantẽ, adipis porcini quadrantẽ, ceræ triẽtẽ.

Emplastrum ex fermento, rumpens abscessus. Fermenti, axungiæ, singul. sexuncẽ, salis triẽtẽ, resinæ piceæ quadrantẽ, ceræ trientẽ, aphronitri unc. j. ammoniaci Thymiamatis sextantem, mellis sexuncem, saponis sextantẽ.

Dothiene emplastrum

Dothiene Emplastrum. Ammoniaci Thymiamatis lib. j. nitri Alexandrini sexuncem, aphronitri sexuncem, adipis taurini lib. ij. ceræ lib. ij. terebinthinæ lib. j. olei ueteris unc. j. aceti quod satis est.

Emplastrum ex Struthio, discutiens strumas. Spumæ argenti, struthij, aristolochiæ, singul. trientem, galbani, squamæ æris, aloes, singul. unc. j. mannæ sextantem, ammoniaci Thymiamatis sexuncem, resinæ piceæ unc. xvi. aceti scillitici sexta. iiij. ad sica terenda.

Similium Emplastrum

Emplastrum Similium, ad Abscessus. Olei ueteris lib. j. s. spumæ argenti, nitri rubri, salis ammoniaci, lixiuij ficulnei protostacti, resinæ singul. lib. j. galbani, ammoniaci Thymiamatis, singul. quadrantem, atramenti sutorij trientem, ceræ sexuncem, æruginis, opopanacis, singul. unc. j. Aceti B quod satis est. Spumam argenti & æruginem in oleo coquito donec non inquinet. Deinde ita reliqua adijcito.

Emplastrum ex allijs ruptorium. Ceræ sexuncem, colophoniæ trientem, resinæ piceæ quadrantem, adipis taurini trientem, nitri fului unc. j. s. allij capita pura. xx. Olei sextar. s. Alliũ in oleo coctũ abijce, & reliqua misce.

Apryani radix

Emplastrum ex Apyrano discussorium. Adipis anserini & phasianorũ, sing. quadrantẽ, olei ueteris unc. xxvi. psylli quadrantẽ, seminis urticæ, radicis apyrani uiridis, sing. lib. j. ceræ albæ dextantẽ, emplastri ex succo sextantẽ, terebinthine unc. j. Radicẽ in tenuia frusta cõcisam, cũ psyllio in oleo macerato, itemq; urticæ semen per diem ac noctem, & tunc ubi coxeris, ipsa quidem abijcito, liquabilia uero resoluta ad oleum ammisceto.

Nicolai palmulæ

Emplastrum Pyrinon idest Triticeum, Ad duricias & scirrhomata.

Althææ, palmularũ siue Nicolaorum, singul. lib. ij. fœni græci, seminis lini, sing. sextar. s. chamæmeli, meliloti, elates, sing. sexuncem, uini Aminæi sextar. vi. spumæ argenti lib. j. cerusæ, colophoniæ, singul. lib. ij. ceræ terebinthinæ, singul. lib. j. olei ueteris lib. v. aquæ lib. ij. panis sicci tusi & cribrati li. v. Herbæ in uino coctæ exprimuntur, & in expresso succo panis maceratur. Sequenti die spuma argenti & cerussa in aqua teritur, deinde adiecto oleo donec non inquinet coquitur. Postea adijciuntur reliqua. Ablatis ab igne adijciuur panis, & fortiter spathula agitatur. Additur insuper & æruginis rasæ, & floris salis, singulorum sexunx, iridis, aristolochiæ singul. sexunx, terebinthinæ lib. j.

Pelarium

Pelarium ex recremento argenti. Ad desquamata & alia similia. Ceræ, adipis taurini, singul. quincuncem, recrementi argenti sexuncem, colophoniæ trientem, picis, olei, singul. sextantem, Argenti recrementum siccũ teritur cum uino aut fœni græci succo. Quod si recrementum argenti non adsit, plumbagine utimur.

Emplastrum ex althæa. In podagricis & alijs duricijs, Succi fœni græci

ci, & seminis lini, & althææ, singul. lib. iij. olei lib. ij. Coquito donec succus fuerit consumptus, & adijce colophoniæ lib. j. terebinthinæ lib. j. lachrymæ A hederæ quadrantẽ, Postq́ uero hęc soluta fuerit, ablatis ab igne, inijce cerę lib. j. galbani trientem, ambo simul contusa, & dissoluta sphatula agitato.

Emplastrum cissinum id est hederaceũ. Ad sauciatos neruos, & punctures maxime diuturnas. Squamæ rubrę trientem & unc. s. thuris unciam. j. mysios unc. j. s. chalcitidis drach. iiij. aceti heminas. vi. Terito in Sole æstiuo, donec acetum fuerit consumptum. Deinde soluta ammisce, cerę bessem olei unc. xviij. lachrymę hederę, galbani singulorum quadrãtem. Si uero diuisus & nudus sit neruus, pro galbano terebinthinæ sextantem adijce.

Melanchlorũ Emplastrum Melanchlorum, Ad eadẽm, & ad cruenta uulnera.

Malicorij, æris usti, gallæ, aristolochiæ rotundæ, salis ammoniaci, squamę æris, aluminis scissi & liquidi: Alij pro liquido rotundum habent, iridis, misyos, atramenti sutorij, chalcitidis, æruginis rasæ, cadmiæ, aloes, myrrhæ, thuris, radicis panacis, spumæ argenti, cerusæ, omnia æquis portionibus teruntur æstate in Sole cum aceto ad dies sufficientes, & in pastillos effinguntur. Emplastrum autem fit hoc modo. Medicamenti huius sumitur sextans, ceræ sexunx, olei bessis. Si sauciati sunt nerui, oleum sit uetus. In alijs autem commune.

Emplastrum ex Senecione. Succi senecionis lib. ij. olei ueteris lib. j. s. olei cyprini trientem, axungiæ ueteris lib. j. terebinthinæ unc. j. galbani unc. s. resinæ piceæ unc. s. æruginis, thuris, œsypi medicamenti, singul. unc. j. squamæ æris scrup. viij. cerę dextantem, picis naualis unc. xiiij. Oleum cũ succo adstrigmentitiam compagem coquito, addito etiam adipe porcino. Arida uero cum cyprino terito. Galbanum cum cera tundito, & in ollam adijcito. Picem naualem si arida fuerit, tritam ac cribratam ponderato ac inspergito. Si uero conteri non possit, cum parte olei dissoluta coletur, & tunc omnia misceantur.

Emplastrum Mnasææ discussorium. Ceræ, axungiæ porcinæ singul. B lib. j. colophoniæ sexuncem, spumæ argenti lib. ij. Vini boni lib. iiij.

Ariobarzaniũ Emplastrum Ariobarzanium, ad easdem affectiones. Spumæ argenti unc. j. s. cerussæ lib. j. & quincuncem, aquæ marinæ unc. xxv. olei ueteris lib. j. s. buccinorum ustorum septuncem, & unc. s. cerę fuluę dodrantẽ, terebinthinæ sexuncem, thuris quadrantem, & scrup. iij. s.

Emplastrum ex dracunculo. Ceræ colophoniæ, picis siccę, axungię, resinæ, singul. lib. iiij. ammoniaci Thymiamatis lib. ij. radicis dracunculi li. v. Radix arida trita, reliquis dissolutis inspergitur.

Psittacium emplastrum Emplastrum psittacion. Ceræ, colophoniæ, adipis porcini, hyoscyami foliorum tenerorum, aut succi eorundem, singulorum æquas portiones. Verum in Alexandria sumuntur cerę lib. ij. s. hyoscyami lib. ij. axungiæ lib. ij. s. colophoniæ lib. j. & magis discutit.

Empl. Myrsinatũ. Argẽti spumæ, cerussæ, sandycis, plumbi usti & loti, singul. unc. j. ceræ sexuncem, olei myrtei lib. j. uini quod satis est.

Emplastrum ex cerussa aut ex ouis. Ceræ albæ sexuncem, rosacei lib. j. s spumæ argenti sextantem, cerussæ sextantem, amyli quadrantem, albumina ouorum. v.

Parhygron Emplastrum parhygron, Oribasij. Spumæ argenti unc. j. s. cerussæ unc. j. s. ceræ trientem, pinguedinis suillæ septuncem, colophoniæ dodrantem, succi seminis lini, olei, singul. dextãtem, Mirifice facit ad calcaneorum rimas. In ulceribus autem inquit, uitant, Nam graueolens euadit.

Emplastrum ex cadmia, Cicatricem inducens. Chalcitidis ustæ sextantem, cadmiæ mannæ, singul. unc. j. ceræ, colophoniæ, olei myrti, singul. lib. j. Vini quantum satis est.

Emplastrum phoenicinum id est palmulatum. Axungiæ ueteris lib. ij. olei lib. iij. spumę argenti lib. iij. chalcitidis crudæ sexuncem, Chalcitis pri

m um

mum cum oleo præleuigetur in pila commoda, aut etiã in Sole. Postquàm
A autem frigmenti spissitudinem acceperit, etiam spumæ argenti prius trita adijciatur. Postea etiam adeps, & ubi probe contriueris, ad lentum ignem coquito, donec non inquinet, palmarum ramis uelut sphatula agitans.

Emplastrum ex Anchusca, ad ambusta. Ceræ albæ dodrantem, rosacei unc. xviij. His liquatis anchuscæ purpureæ radicis siccæ leuissime tritæ triens inspergatur. Aliud.

Anchuscæ radicis uiridis, matrubij comæ, singul. quadrantem, Coquito in olei dodrante, & abiecito, Ad oleum autem ceræ albæ quincuncem adijcito, ac dissoluito.

Emplastrum pompholygerum. *Pompholygerum*

Pompholygis sextantem, spumæ argenti quadrantem, cum succo seminis lini terito, & ad hæc liquata ac frigefacta, ceræ sexuncem, adipis anserini aut gallinati sextantem, olei chamæmelini sexuncem adijcito.

Emplastrum phycotyche, dolorem eximēs, ad sedem destinatum. Thuris unc. xvij. myrrhæ septuncem, opij drac. iiij. aluminis scissi drac. ij. butyri drac. iiij. ouorum assatorum uitelli. iiij. cadmiæ ustæ & lotæ drac. iiij pompholygis drach. vi ceræ Tyrrhenicæ drac. viij adipis anserini drac. xvi medullæ ceruinæ drac. xi. plumbi usti & loti drac. viij. lapidis hæmatitæ drac. j. cesypi liquidi drac. iiij. Arida terito cum uino Italico, & liquata misceto. *Phycotyche*

Emplastrum Amythaonis, Ad distortos ac conuulsos articulos. Est etiam attractorium, Ammoniaci, ceræ bdellij, singul. drach. viij. terebinthinæ iridis Illyricæ, galbani, singul. drach xx. *Aristophaniū*

Emplastrum Aristophanium, Mollitorium. Picis lib. iiij. picis naualis lib. ij. ceræ lib. j. opopanacis unc. j. Aceti heminam. j.

Emplastrum ex plumbagine, ad calidas affectiones. Plumbaginis trientem, spumæ argenti sextantem, cerussæ sextantem, ceræ bessem, olei myrtei lib. ij. Arida cum uino terunto.

B Empla. Coracum ex aceto mulso ad pudenda destinatū, & ad nomas Gallæ sextantem, squamæ unc. j. s. chalcitidis, thuris, singul. unc. j. Terito cum aceto ad dies sufficiētes, deinde mellis quincuncem misceto. Seorsum autem ceratum parato, ex myrtei aut rosacei sextante, & adipis taurini besse, ceræ triente, terebinthinæ unc. j. Misceto ac simul conterito & utitor, uelut eo quod ex charta constat, tum per instrumentum ad pus trahendum aptatum, tum per linamentum. *Coracum Emplastrum*

Emplastrum ex aceto & oleo. Spumæ argenti partem. j. olei, aceti, singul. partes. ij. Quidam uero. iij accipiunt.

Emplastrum ex Achate discutiens ac molliens. Lapidis Achatæ semiuncia. unc j. s. ceræ quincuncem, resinæ frictæ quadrantem, olei unc. j.

Emplastrum Isis, ad cruenta uulnera, glutinans, incarnans, & purgans. *Isis emplastrum*

Squamæ æris, æris usti, aristolochiæ rotundæ, singul. drach. viij aluminis scissi drach. vi. salis ammonici drach. viij. thuris drac. viij. ammoniaci Thymiamatis drac. viij. myrrhæ drach. xij. aloes drach. xij. galbani drachmas. xij. succi radicis dracunculi drach. viij. ceræ lib. j. colophoniæ lib. ij. olei ueteris quadrantem, aceti quod satis est.

Emplastrum Athena, ad ulcera sordida, impacta & neruos sauciatos: Malicorij, æris usti, gallarum, aristolochiæ rotundæ & longe, salis ammoniaci, ammoniaci Thymiamatis, squamæ æris, aluminis scissi & rotundi, iridis, misyos, atramenti sutorij, chalcitidis, æruginis rasæ, thuris, aloes, myrrhæ, propolis, galbani, singul. unc. j. ceræ drach. cc. picis drach. cc. colophoniæ drach. c. olei sexuncem. Aceti quod satis est. *Athena emplastrum*

Emplastrum ex dictamno, glutinans, ad canum morsus, & ulcera omnigena. Spumæ argēti lib. ij. squamę æris unc. j. s. olei ueteris sextan. ij. diphryge quadrantem, gentianæ unc. j. s. aristolochię, æruginis rasæ, sing. unc. ij. s. dictamni, ęris usti, singulorū unc. ij. s. colophonię lib. j. mannæ galbani, aloes, singulorum

ſingulorum quadrantem, ammoniaci Thymiamatis ſexuncem, propolis ſextantem, ceræ ſexuncem & unc.s. Oleum cũ ſpuma argenti primũ coquere oportet, donec non inquinet, deinde ab igne ablatis inijcere ęruginem & ſquamam æris, & rurſus coquere donec non inquinet, & rurſus ablatis reſinam & ammoniacum cribratum adijcere, & mouere donec feruere deſinat, ad ignemq́; apponere, & ubi parum efferbuerint, æs & diphryges immittere, & rurſus coquere donec ſpiſſentur. Deinde ceram indere, eaq́; donec non inquinet cocta, propolim adijcere, & paulò poſt aloen, mannam, dictamnum, ariſtolochiam, gentianam, ſingula trita inſpergere, ubi parum ſunt perfrigerata. A

Barbarum Emplaſtrum Emplaſtrum Barbarum, ad cruenta uulnera, & fracturis callos obducit. Bituminis Iudaici, picis ſiccæ, ceræ, reſinæ, ſingul. lib. j. terebinthinæ ſextantem, ſpumæ argenti unc. j. ceruſſæ unc. j s. mannę ſextantem, opopanacis ſextantem, myrrhæ ſextantem, olei quadrantem. Aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex ſalicibus, glutinatorium, & quod ſanguinem ſpuentibus, & pectore ſuppuratis in thoracem imponitur. Miſyos, chalcitidis, ceruſſæ æruginis, gallæ, aluminis ſciſſi & rotundi, melanteriæ, ſingul. ſexuncem, ceræ lib ij. reſinę piceę lib. ij. picis lib ij. malicorij ſexuncem, bituminis lib ij. foliorum ſalicis lib. ij. olei roſacei trientem, atramenti ſutorij ſexuncẽ, Aceti quod ſatis eſt. Quidam etiam terebinthinæ dodrantem.

Emplaſtrum Nicolai, ad cruenta uulnera, ſinus glutinans. Squamę æris trientem, æruginis raſæ unc. j. ſpumę argenti unc. j. s. ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſingul. unc. j. aluminis ſciſſi & rotundi, ſingul, unc. j. atramẽti ſutorij unc. j. ſulphuris uiui unc. j. gallæ omphacitidis trientem, ſalis ammoniaci unc. j. miſyos unc. j. origani unc. j. chamæleonis unc. j. cadmiæ racemoſę unc. j. ueratri albi unc. j. peucedani quadrantem, ſeminis apij ſextantem, radices ſymphyti unc. j. s. ceruſſę unc. j. s. ſucci Mandragorę unc. s. chalcitidis. unc. j. s. ſamij aſteris unc. i. Thuris maſculi unc. j. aloes unc. j. bdellij ſextantem, opij Thebaici ſextantem, myrrhæ Troglodyticæ unc. s. ammoniaci Thymiamatis unc. j. fœni græci ſexuncem. ſucci perdiciadis ſexuncem, ceræ flauæ lib. iij. colophoniæ lib. ij. reſinæ piceæ lib. j. bituminis lib. j. maſtiches ſexuncem, picis nigræ lib. ij. olei ueteris lib. j. ſtyracis unc. j. opopanacis unc. j s. Aceti quod ſatis eſt. B

Iceſiũ emplaſtrum Emplaſtrum Iceſium, ad ſtrumas, & abſceſſus, & ſplenem, & articulos, & ad coxendicum morbum Spumæ argenti drach. cxx. olei ueteris ſextar. ij. aceti ſextar. j. ęruginis drach. j. s. corticis picee drach. viij chamęleonis cum radice drachmas. xvi. euphorbij drach. xvi. ſucci hypociſthidis drach. xvi. propolis drach. xvi. myrrhæ drachmas. xvi. helenij drach. xvi. pyrethri drachmas xvi. ceræ lib. ij.

Neronis emplaſtrum Emplaſtrum. Neronis. Ad plagas, & omnem carnoſarum partium dolorem. Olei ueteris lib. j. s. ſpumæ argenti lib. j. ceræ, reſinæ piceæ, ſingul. ſeptuncem & unc. s. ammoniaci Thymiamatis trientem, ceruſſæ trientem, galbani, mannæ thuris, myrrhæ, thuris, ſing. unc. j.

Emplaſtrum oxerum multiplicis uſus. Picis ſiccæ lib. ij. ceræ lib. j. ammoniaci Thymiamatis unc. j. terebinthinę lib. s galbani ſextantem, mannæ ſextantem, Aceti ſextar. j. s.

Aceratum Emplaſtrum aceratum id eſt ſine cera, Galeni. Glutinat & concoquit, ſuppurans ulcera, cum ricinino aut ueteri oleo diſſolutum, uelut medicamentum quod linamentis illinitur. Spumæ argenti lib. iij. olei ricinini aut ueteris lib. iiij. aceti acerrimi lib. ij. ſquamę æris nigræ, chalcitidis, æruginis, ſingul. ſextantem. Spumam argenti cum oleo coquito ad ſtrigmenti ſpiſſitudinem. Deinde metallica pluribus diebus cum aceto trita adijcito.

Emplaſtrum ex Metallicis. Chalcitidis unc. j. miſyos ſextantem, ſquamæ ęris quadrantem, thuris quadrantem, colophonię ſextantem, galbani unc. j. s. cerę lib. j. olei unc. xv. Aceti quod ſatis eſt.

Empla-

Emplaſtrum Harmonia, ad fracturas Chalcitidis trientem, ſquamæ *Harmonia*
A æris ſextantem, & unciæ. s. æris uſti unciam. j. Thuris ſextantem, olei *Emplaſtrum*
lib.j. Aceti lib.j. Coquito metallica in aceto & oleo donec non inquinent.
Deinde thus adijce.

Empla. Melinū, Serapionis. Spumæ argēti lib.j. ceræ ſeptuncē, am-
moniaci Thymiamatis quadrantē, & unc. s. galbani, ęruginis, ſingul. drach.
ix. colophoniæ ſeptuncē. myrrhæ drach. j. olei heminā. j. s. Spumam argen-
ti coquito cum oleo, donec non inquinet. Deinde reliqua adijcito.

Emplaſtrum Anicetum, glutinans diſcutiens, ſquamas ſeparans, & ad *Anicetum*
diſtortiones. Baccarum lauri, iridis ſiccæ, thuris, ſingul. drach. lx. ęris uſti
drach. xx. nitri, ſalis, ammoniaci Thymiamatis. ſingul. drach. xx. pyrethri,
ſtaphidis ſylueſtris, ſeminis Roſmarini, grani Cnidij, ſinapis, ſtercoris co-
lumbini, ariſtolochiæ, cumini, æruginis, cyperi, ſeminis crucæ, ſingul. drac.
viij. Aceti heminas. xij. Terito ſub canis ardoribus donec acetum fuerit
conſumptum. Deinde decocti caricarū craſſiſſimi dodrantem adijce, & ex
petuniſtis paſtillos finge & exſicca. Vſu uero expetente ex ipſis paſtillis ſe-
xtantem cum aceto tere, & reſinæ quadrantem, ceræ Tyrrhenicæ ſextan-
tem, olei ſextantem ammiſce.

Emplaſtrum ex lolio. Picis lib. ij. reſinæ piceæ dodrantem, ceræ Tyr-
rhenicæ quincuncem, olei quadrantem, bituminis cribrati ſextantem, fari-
næ lolij ſextar. j. Aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex ſucco Sycamini. Spumæ argenti, picis aridæ, adipis,
ſingul. beſſem, terebinthinæ quadrantem, ceræ quincuncem, æruginis ra-
ſæ, opopanacis, galbani, ſingul. unc. j. olei ricinini, aut ſuſini, aut uetetis ual-
de, heminam. j. picis liquidæ hemin. j. ſucci ſycamini cuius fructus ſycomo- *Sycomora fru*
ra uocantur hemi. j. *ctus Sycamini*

Emplaſtrum duplicis coloris. Aeris uſti, aluminis ſciſſi, ammoniaci
B Thymiamatis, ſingul. unc. j. ceræ lib. j. colophoniæ lib. j. adipis porcini lib.
j. Aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum Indicum. Ad nomas & ſanguinem ſpuentes. Ceræ, reſi-
næ frictæ, picis ſiccæ, bituminis, liquidi zacynthij, ſingul. lib. j. ceruſſæ, chal
citidis, miſyos, melanteriæ, aluminis ſciſſi & rotundi, gallæ omphacitidis,
malicorij. ſingul. ſexuncem, Aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex cinere Aſpidum. Diſcutit ſtrumas & podagras. Tere-
binthinæ, lapidis Aſij, bituminis Iudaici, ſingul. drac. cc clx. ceræ, baccarū
lauri, ammoniaci Thymiamatis, aphronitri, adipis uitulini, ſingulorum
drach. cccxl. lapidis pyritæ, calcis uiuæ, ſingul. drach. cxl. cineris Aſpidum
drach. cxl. olei ueteris heminas. ij. Medicamento perfrigerato cinerem in-
ſpergito. Paratur etiam ſine cinere, eo quòd aliqui ipſum auerſentur, & nihi-
lo minus efficax eſt propter Aſium lapidem.

Emplaſtrum Leæna ſiccans & diſcutiens. Ammoniaci Thymiama- *Leæna Empla*
tis, plumbaginis, ſingul. drach. c. ſinapis drac. viij. radicis chamæleonis drac. *ſtrum*
xvi. colophoniæ drach. c. ſquamæ æris, radicis herbæ lanariæ, euphorbij, æ-
ruginis, ſingul. drach. viij. ariſtolochiæ drach. xvi. pyrethri drach. viij. Olei
ueteris hemi. j. & raphanini quod ſatis eſt.

Aliud, Leæna ex alto euocans, & humores euacuans. Atramenti ſuto-
rij ſextātē, auripigmēti unc. j. ueratri nigri, Thoracū cantharidū, ſing. drac.
j. s. ſandarachæ quadrantem, ceræ lib. j. s. reſinæ frictæ lib. j. olei hemi. ij.

Emplaſtrum Macedonicum. Ceræ, colophonię, picis, adipis taurini,
thuris, ſing. æquales partes liquefacito, & ab igne ablatis thus inſpergito.

Emplaſtrum Sphærion. Ad Feruida. Ceruſſæ, ſpumæ argenti, calcis *Sphærion Em*
uiuæ, ſingul. quadrantem, ceræ unc. j. s. nitri Berenicarij, roſacei, ſingul. unc. *plaſtrum*
j. Liquefacta aridis affundito & pilulas formato. Vſu uero expetente, olei
ſexuncem cum ceræ ſextante liquefacito, & medicamenti unc. j. addito, &
ſpathula agitato. Frigefactum autem cum aquæ dodrante collidito. Ego ue-

F ro

ro etiam rosacei quadrantem addo.

Emplastrum ex ochra, Inflammationes arcet, tum his qui sua sponte, tum qui in iudicio torti sunt. Ochræ Atticæ lib. ij. cretæ lib. j. spumæ argenti, bessem, uino terito, ceræ, colophoniæ, picis, resinæ piceæ, singul. lib. j. terebinthinæ bessem, olei lib. ij. Hæc simul in massas formato. Resoluuntur autem hoc modo. Ceræ lib. j. olei ueteris lib. iij. medicamenti lib. j. cum uino conquassato. A

Emplastrum ex cedria, glutinans, discutiens, exterens. Ceræ, picis siccæ, singul. lib. j. colophoniæ bessem, cedriæ sexuncem, liquefacta simul coquito donec non inquinent.

Aliud mollitorium. Ceræ, picis, singul. bessem, colophoniæ drach. xxv. propolis drach. xvij. cedriæ drach. xx.

Emplastrum è pumice cicatricem inducens. Olei myrthei lib. ij. ceræ lib. j. pumicis usti & uino extincti drach. vi. squamæ stomomatis drach. vi. æris usti, cimoliæ, singul. drach. v. Supra linamenta adhibetur, & spongia ex aqua superimponitur.

Paula Empla. Emplastrum paula id est Quies, ad strumas & inguinum tumores. Ceræ, colophoniæ, nitri singulorum lib. j.

Emplastrum ex nitro, ad carbunculos. Nitri torrefacti quadrantem, ceræ, olei, colophoniæ, sing. unci. j. s. succi cyrenaici aut Medici drach. x. imponitur linamentis exceptum dilutum.

Emplastrum ex Anemona. Anemonæ exunguis sextantem, ceræ quincuncem, olei trientem, resinæ quincuncem & unc. s. colophoniæ lib. ij. s.

Macharionis emplastrum. Emplastrum. Macharionis, Viride. Ad coxendicum morbum, articulos compactos, abscessus. Opopanacis, galbani, æruginis, myrrhæ, itidis, ammoniaci Thymiamatis, aristolochiæ, singul. unc. j. terebinthinæ, ceræ, olei omphacini, singulorum septuncem.

Aliud uiride simplex. Resinæ lib. iij. ceræ lib. j. æruginis rasæ lib. s. thuris drach. xxv. Aceti quod satis est. B

Aliud Viride. Faciens ad ulcera humecta, et carnem superexcrescentē. Colophoniæ sexuncem, æruginis rasæ unc. j. s. ceræ sextantem, salis Cappadocici unc. j. rosacei sextantem. Aceti quantum satis est.

Empl. Rutaceū, ad pleuriticos. Rutæ uiridis lib. j. butyri li. j. s. terebinthinæ unc. xv. opopanacis quadrantē, galbani quadrantem olei anethini lib. j.

Emplastrum ex Lixiuio. Ad coxendicum & articulorum morbum, & ad tumorem laxum. Ceræ, olei ueteris, lixiuij per calcem excolati, sing. lib. j. resinæ frictæ, nitri Alexandrini, nitri albi, terebinthinæ, singul. sexuncem, Nitra cum lixiuio terito.

Empla. ex nitro. Ad abscessus, & tumores induratos. Olei ueteris, ceræ, aphronitri, saponis, lixiuij. singul. li. j. terebinthinæ sexuncem, galbani, propolis, ammoniaci Thymiamatis, singul. unc. j. præpara uelut præcedens.

Emplastrum ex sale. Ceræ trientem, olei lib. j. salis communis trientem, aphronitri trientem, cerussæ bessem, aceti sextantē ad arida conterēda.

Aliter Salis communis, nitri singulorum trientem, ceræ, olei ueteris, singul. sexuncem, aquæ marinæ quod satis est.

Apochyma. Empla. ex perna. Soluit tophos. Pinguedinis pernæ, suillæ ueteris, ammoniaci Thymiamatis, casei ueteris bubuli aut caprini, adipis taurini, picis naualis quæ de nauibus deraditur, & apochyma appellatur, singu. lib. j. medullæ ceruinæ bessem, œsypi cerati quadrantem, olei cyprini sexuncem. Vini Aegyptij quantum satis est.

Cinnabarinū Emplastrum Pamphates. Empla. ex Cinnabari. Ad tophos & alios omnis generis induratos tumores. Appellatur pampathes. Spumæ argenti lib. j. olei ueteris sextar. j. squamæ æris unc. j. æris usti unciam. j. cinnabaris scrup. xviij. magnetis uiuentis unciam. j. lapidis phrygij drach. vi. lapidis pyritæ, cadmiæ, æruginis rasæ, thuris, singul. unc. j. diphrygis sextantem, aloes. unc. j. s. galbani

in

ni unc.j.s.lapidis onitę Schythici scrup.xviij.lapidis hęmatitæ unc.j.propo lis lib.j.scrup.xxviij ceræ unc.xvij.lapidis perdicitæ unc.j. Aliud exemplar pęlliciatæ habet:betonicæ unc.j.scrup.viij.gentianæ unc.j.aristolochiæ lógæ & rotundæ,sing.drach.iiij.chameleonis nigri unc.j.dictamni scrup.xlij resinæ siccę lib.j. adipis struthocameli lib.j. lapides cum spuma argēti terito, adijciens floris salis lib.ij. particulatim, donec totum fuerit leuigatum.

Emplast.ex nucibus auellanis. Ad tophos articulorum approbatum.

Lixiuij per calcem excolati sexuncę, nuclei nucū auellanarū sextantē, aphronitri sexuncę, olei ueteris lib.j. saponis gallici trientē, mellis bessem, candida ouorū.vi.cerę dextantē, terebinthinæ sextantē. Terito cū lixiuio.

Ceratum ex Torpedine. Ad podagram, dolorem eximens, admirandū. Quinto mensis Martij die, in domo subterranea, in ollam olei communis sextarij.mittito, & cum lignis uitis coquito, ubi ebullierit, torpedinis piscis marini lib.j. inijcito, & sanguinis talpæ animalis, quod à quibusdam asphalax, ab alijs Madaniudan dicitur, trientem. Et simul coquito donec carnes piscis dissolutæ fuerint aut fricte. Deinde ad excolatum oleum, adijce ceræ moderatum modum, quo spissitudo quàm tenerrima cerati fiat, quod in linteolum infractum imponito. *Torpedinis Ceratum Asphalax Madaniudan*

Emplastrum ex urina muli podagricum. Vrinæ muli masculi sextar. iiij. spumę argenti lib.ij. olei ueteris minam.j. Diu omnia terito ut strigmentitia euadant, & coquito donec non inquinent.

Emplastrum ex lapidis Asij flore, philagrij. Ad tumores duos. Peucedani radicis, floris lapidis Asij. qui non si non adsit, salis, ammoniaci Thymiamatis, lanarum succidarum ustarum, singul.unc.j. aristolochię rotundę, pumicis, stercoris canini, ærruginis rasæ, squamæ æris, misyos, singul. scrup. xviij. castorij scrup.xviij. myrrhæ quadrantem, aceti acerrimi quadrantem, ceræ unc.xij.s. resinæ piceæ, picis brutiæ, singul. unc. xviij. s. scrup.vi. Olei ueteris quantum satis est.

B Aliud ex eadem Galeni. Ceræ, terebinthinæ, singulorum libram.j. lapidis Asij, mannæ, singulorum quadrantem, olei cyprini sextantem, aquę pileatoris quantum sufficit. *Aqua pileatoris*

Emplastrum ex flore salis. Ad arthriticos in declinationibus. Terebinthinæ, resinæ frictæ, resinę piceæ, ceræ, singul.lib.j. picis siccę, aluminis scissi, floris salis, singul.lib.s. Coquito in duplici uase.

Emplastrum nutrix, carnem in ulceribus generans. Rosacei, terebinthinæ, mellis singulorum sextantem, ceræ, cerussæ, butyri, singulorum unciam.j. Alij etiam thuris unc.j. *Nutrix emplastrum*

Emplastrum Italicum, purgans sordida ulcera, & incarnans. Ficisylue stris tenerum corticem in oleo coquito & abijcito, & in oleo ceræ fuluæ quantum sufficit liquato. Vtere, linamentis illito. *Italicū empla.*

Emplastrum arrigendi uim habens. Satirij pudendi ceruini, caudæ scinici, singul. drach.ij. seminis erucæ, pyrethri, seminis rorismarini, ceręsingul. drach.ij. terebinthinæ drach.j. oua passerum trogloditarum tria, stelliones, olei laurini aut irini quod satis est. Stelliones uiui in aceto macerantur ad dies. xl. uase infimo defosso.

Emplastrum aureum, ad cruenta uulnera. Thuris, aluminis scissi, singul. sextantem, colophoniæ, resinæ, singul.lib.j. olei quadrantem, auripigmenti sextantem, Auripigmentum cum aceto teritur.

Emplastrum ad Fracturas, Oribasij. Picis brutiæ lib.j. & trientē, Spumæ argenti libram.j. & trientem, thuris bessem, terebinthinę quincuncem, adipis taurini lib.j. & trientem. galbani, opopanacis, sing.unc.j. ceræ trientem, olei ueteris lib.j. Aceti quincuncem.

Empla. ad Fracturas, & cum uulnere, & sine uulnere. Ex heraclida. Picis aridæ minam.j. spumæ argenti minam.j. mannæ minam.s. adipis uitulini minam.j. ceræ Tyrrhenicę unc.xxvi. opopanacis drach. viij. ærruginis ra

 sæ,

fæ,æris cypri, singul. quintam & decimam minæ partem, Terebinthinæ minam.j.s.olei ricinini aut uetetis heminam.j. Aceti hemi.s. A

Oesypi liquidi præparatio Oesypi liquidi Medicamenti præparatio. Meliloti trientem, cardamomi sextantem, lanarum ualde sordidarum sexuncem, in uini sextar.ij. ad triduum macerata coquito donec parum supersit, & facta collatura, adiunum olei quadrantem misceto, et coquito donec parū de uino restet, & tūc Pinos iniice colophoniæ dextantem, terebinthinæ dextantem. Quidam etiam ceræ dextantem miscent, & hyssopi herbæ unc.j. cum aliis coquunt. Alij lanas uino lauant, & uinum cum sorde, quā etiam pinon uocant, siccant. Vsu ueto exigente, ex ipso quadrantem conijciunt, & reliqua ut dictū est.

De Ceræ ad oleum addendæ modo.

Ceræ & olei in compositionibus modus Si uelis unguenta præparare uelut ea quæ acopa uocātur, quadruplum oleum ad ceram immittes. Si uero quemadmodum in fracturis, molle ceratum efficimus, duplum. At si medicamentum emplastri forma facere uoluerimus, tunc æqualem olei modum ad ceram miscebimus, si aer ambiens moderatus fuerit. Sin cera uetus sit aut squallida, & aer ambiēs frigidus, paulò plus olei sit quàm ceræ: quemadmodum ubi cera pinguis fuerit, & aer ambiens calidus, paulò copiosior cera quàm oleum sit. Hoc autem paulò plus, duodecima pars sit, in utramq; à medio & æquali modo partem. Nam tunc. xi. aut. xiij. olei uncias, ad ceræ lib.j. miscebis.

Ex antylo, de coctura medicamentorum, quæ in Emplastra mittuntur.

Spuma argenti in medicamentorum cocturis cum oleo coquitur. Oportet autē ipsam tritam, rursusq; oleo leuigare, ut strigmentosa euadat. Et postea sic coquere ad lentum ignem indesinenter mouendo. Principio igitur intumescit, & in bullas exurgit. Vbi uero prope accessit ad sufficientem cocturam, colore feculentior sit. Modū aūt cocturæ accipit, quū ex tumore considet, et non amplius manus inquinat. Plumbago similiter ut spuma argēti coquitur. Modus cocturæ ipsius est nō solum ut non inquinet, sed etiam ut exigneo colore, in fuluum & ualdè floridum transeat. B

Aes ustum coquitur nō à principio immissum, sed ubi semicoctum iam est emplastrum. Modus cocturæ est, si non ualde modicum immittatur, ut colore præualeat, & emplastrum fuluum efficiat.

Squama æris coquitur ut æs, & eodem tempore immittitur, & eandem cocturæ ratione habet. Nisi n. color eius præualuerit, & emplastrū fuluū effecerit, nondum iustam cocturam habet. Sed & ferri Squama eodem tempore iniicitur, & fuluum colorem inducit. Sori & diphryges immittuntur etiā ipsa in medio cocturæ. Modus aūt diphrygis idē est qui squamæ æris, ut colore præualeat. Sori uero nullum proprium habet modum. Omnibus autem communis modus est, ut non inquinans fiat emplastrum.

Chalcitis similiter ut æs coquitur, & cocturę ipsius modus est ut fuluius quodammodo & magis puniceam faciat emplastrum. Flos æris similiter ut æs coquitur. Modus autem cocturę communis est. Atramentum sutorium in media coctura immittitur. Et dum coquitur, liuidiorem emplastri colorē facit. Si uero non sint alia quæ ipsi te lucēantur, nigrū emplastrū facit.

Misy in fine iniicitur. Proprium autem modum nullum habet.

Auripigmentum & Sandaracha in fine cocturæ immittuntur.

Plumbum ustum in media coctura iniicitur. Cerussa in alba emplastra in fine inditur. Sic enim colorem conseruat, & magis albefacit. Verum in nigra à principio. Dum enim amplius coquitur, nigrum euadit.

Aerugo in uiridia em plastra post cocturam iniicitur. In quibusdam uero omnino non in ollā immittitur, sed ad ipsam in pila leuigatam & manentem reliqua euacuantur. At in melini coloris emplastris, ubi semicocta est præparatio iniicitur. Moderatam enim cocturam adepta, melinum colorem inducit. Verum in his quæ duplicem faciem, ac geminum colorem præferunt, statim ab initio æruginem incoquimus. Perseuerans enim in coctura

primum

A primum melinum colorem inducit. Deinde duplicem faciē repræsentans, postremò fuluum colorem efficit.

Alumē plerūq; post cocturā inijcitur. Propriū cocturæ modū nullū habet. Minium immittitur in fine. Cadmia & Pompholyx inijciuntur in principio. Sal & Nitrū in medio cocturæ. Sulphur in fine. Coctura uero ipsius emplastra nigrefacit. Terra omnis & lapides immittūtur plerūq; in fine. Pumex itē in fine. Conchylia quoq; usta in fine inijciūtur. Oleū si in principijs iniectū fuerit ad resinā aut picē liquidā, emplastrū nō spissat. Oportet igitur ubi spissata fuerint quę coquūtur, ita oleū inijcere. Pinguedines reliquas nō salsas circa mediā cocturā immittere oportet. Ex unguētis Irinū cocturā fert, Cyprinū & Rosaceū minus. Reliqua penitus nō. Quare in fine cocturę immittēda sunt. Cera nō coquitur per se sola. Cōburitur n. Neq; cū resina liquida, aut pice liquida Inspissata. n. manet. Sed aut oleo puro, aut oleoso alicui, cū quodā metallico cocto super inijcitur, aut resinę, aut pici præcoctæ, & prius spissatę cū alijs quæ inijci debēt. Resina sicca cū cera inijcitur. Liquida uero præ omnibus alijs ipsa per se ipsam coquitur, si nō ualde modica assumatur. Pix prę alijs omnib. immittitur. Modus aūt liquidæ est, ut dū coquitur spissetur. Siccæ uero maxime cū aceto, ut nō amplius bullas emittat, neq; intumescat. Pix naualis trita, & superfluitatib. quę in ipsa sunt per cribrū separatis, cocto emplastro inspergitur. Si uero mollis fuerit, cū oleo dissoluitur. Verū prior ratio exactior est, eo q in posteriore pōdus nō seruetur. Bitumē coquitur à principio immissum. Nō aūt oportet ipsum leuigare, quoniā aspretudines ficus granis similes habet. Quare in crassas partes frāgatur, & in aceto coquat̄, ita ut ne moueatur, donec nō amplius bullas emittat. Ego uero inquit Timocrates, in oleo coxi, & successit.

Propolim mollire oportet & coquere. Nā ex coctura penitus nō confunditur. Si uero etiā cerā Emplastrū suscipiat, cū cera propolim, quēadmodū etiā Galbanū cōtusum inijcere oportet. Ammoniacū circa mediā cocturā inijcitur. Oportet aūt, si teri ac cribrari potest, tenue hoc inspergere. Sin minus, cū humore aliq leuigare, & sic inijcere. Si quidē ad cruēta uulnera idest natū sit emplastrū, cū aceto aut uino: Si uero fistulare sit, aut strumis dicatū omnino cū aceto. Si uero molle, qualia sunt ea quę ad annum parātur, cū aqua. Deinde ita leuigatū alijs perfrigeratis affūdere, ut ne effetuescāt. Opopanax inijcitur lōgè posterius ammoniaco. Omnino uero modica coctura opus habet. Galbanū cocturā omnino nō fert. Sed ubi nō inquinās factū fuerit emplastrū, tolle ab igne oportet, & ipsum mollitū inijcere. Sagapenū in mortario tūditur, & ubi tenerū fit cū emplastro emollitur, postq; ab igne fuerit ablatū. Aloe inspergitur post cocturā. Papaueris succus pridie in modica aqua maceratur, Deinde in pila teritur, atq; sic ad ipsum infunditur etiam Emplastrū. Thapsia postrema inspergitur, Aut cū humore aliquo teritur. Bdelliū leuigatū inspergitur. Postq; ab igne ablatū est emplastrum. Si uero pinguesit, & leuigari nō possit, similiter ut sagapenō cōtusum ipsum, & ad emplastri formā redactū, cū emplastro molliemus post cocturā. Thus & Manna in fine cocturæ inspergūtur, trita cū modico melle, aut aceto, aut aqua, aut uino, si humorem suscipiat emplastrum. Myrrha perfecta iam coctura inijcitur. Semina, Radices & herbæ nullam cocturam sustinent. Ad trita igitur, & in pila permanentia, liquata affunduntur.

De *Malagmatis & Epithematis.* Cap. XVIII.

Malagmata

MAlagmata appellata partim medijs corporis partibus imponuntur diu iā inflāmatis, aut induratis, aut feruētib. aut perfrigeratis, aut fluxione laborātibus: partim articulis cōpactis, aut neruis perfrigeratis, aut etiā alijs in scirrhū induratis partibus cōueniunt. De his igitur & in capite de emplastris dictū est, & in capite de Acopis dicetur. Ex his aūt quæ medijs partibus conueniūt, quæ sanè etiā propriè Epithemata appellantur, ea quidem quę stomacho et hepati adhibētur, qualiacūq; tandē fuerint, etiā corrobran- Epithemata

te facultate per adstrigmentia opus habent. Nam sine his periculum uitæ sequitur, quum illa communia ad uitã conseruandã opera habeant. Vnde ex aromatibus maximè conponuntur. Stomacho igitur aut non concoquẽti, aut debili, aut inflato, epithemata ex seminibus, & meliloto, & aloe, & absinthio, & sampsucho, & nardo, & mastiche imponuntur. Hepati uero, ex myrobalano, ammoniaco, adipibus, & chamæmelino. Spleni autẽ, quæ ex calce, auripigmento, cappari, salicibus, cardamomo, ęrugine, ammoniaco, & aceto parantur. Quòd si fluxione laborent partes circa uentrem, quæ ex œnanthe, alumine, melino, et alijs adstringẽtibus componũtur. Nam et hęc per abusum in cõmuni Malagmata appellant, etiamsi contrariam his quæ mollire possunt facultatẽ habeant. At ubi feruẽt uiscera, uelut in febribus ardentibus malagmata ex croco, rosaceo, succo seminis lini, aut soridis aut polygoni, adipe suillo, & spuma argenti cõueniunt. Perfrigeratis uero quæ ex opobalsamo, folio, cassamo, pipere, parantur. Thoraci aũt in sanguinis reiectionibus, adstrigmẽtia & siccantia, ex alumine, & salice, & bitumine cõposita cõueniũt. In tabe uero, ea quæ ex baccis lauri, marrubio, cardamomo, & calce fiunt. Malagma ex Meliloto. Croci, nardi celticæ, cyperi, cardamomi, iridis, myrrhæ, singul. sextantẽ, meliloti lib. j. ammoniaci Thymiamatis lib. j. ceræ lib. iij. terebinthinæ lib. j. cyprini lib. iij. gleucini lib. ij. bdellij sexuncem. Quidam etiam cypheos sextantem, Vini quod satis est. A

Polyarchium

Malagma polyarchion, ex libris de compositione medicamentorum secundũ locos Galeni. Ceræ, terebinthinæ, bdellij, ammoniaci Thymiamatis, cardamomi, cyperi, singul. minã. j. meliloti, amomi, nardi Indicæ, croci, myrrhę, thuris xylocinnamomi, sing. drac. xxv. olei cyprini hemi. j. Vini Italici quantum satis est. Præpara & utere quãq; meraco, quãq; resoluto cũ cerato cyprino. Polyarchion aliter. Xylobalsami, costi, iridis, cyperi, myrrhæ, floris iunci odorati, cardamomi, thuris, spicę nardi, masticheS, styracis, bdellij, amomi, folij, croci, cassiæ, pyrethri, aristolochiæ longę, singul. unc. j. ammoniaci Thymiamatis unc. j. s. resinæ frictæ quadrantẽ, terebinthinæ li. j. medullæ ceruinę sextantẽ, cerę lib. ij. opobalsami sexuncem, Vini bessem. B

Phylagrianũ

Malagma Philagrianũ. Croci unc. j. s. aloes, ammoniaci Thymiamatis, bdellij styracis singulorum. unc. j. adipis anseris sextantem, œsypi medicamenti trientem, palmularum sextantem, libram. j. nardini sexuncẽ, melini sexuncem. Vini quantum satis est ad arida terenda. Malagma odoratũ. Croci, aloes, mastiches, absinthij, styracis, œnãtes, cassami, caryophylli, sing. quadrantẽ, nardini li. j. ceræ lib. j. melini sexuncẽ, palmulas. xij. Vini q satis est. Malagma Baion. Cardamomi, cassiæ, œnãthes, celticæ, balaustiorũ, propolis, singul. scru. viij. herbæ sabinæ, cassami, amomi, sing. scrup. vi. floris iunci odorati scru. xviij. iridis scru. iiij. caryophylli scrup. j. s. suffimẽti liliacei sextantẽ, thuris, myrrhæ, sing. unc. j. ladani sexuncẽ, bdellij, mastiches, aloes, nardini, lẽtiscini, sing. unc. s. resinæ aceris, resinæ picęę, terebinthinæ, sing. quadrantẽ, opobalsami unc. j. ammoniaci Thymiamatis scru. vi. ceræ sextantẽ. Succulẽta & arida cõtusa oleo œnãthino terito. In alio exẽplari etiã piperis scru. xviij. habẽtur. Quidã etiã moschi scru. j. habẽt.

Baion malagma

Malagma Galenium. Croci unc. s. aloes unc. j. mastiches quadrantem, seminis absinthij scrup. viij. œnanthes scrup. viij. palmulas magnas. iij. ceræ quadrantem, olei melini sexuncem.

Malagma Brythrion. Styracis quincuncem, malorum cydoniorum unc. xx. masuchœ aut masuaphij, croci, singul. drach. x. micarum panis, cypheos, singul. drach. v. œnanthes sextantem & unc. s. cassami, absinthij, singulorum drach. x. caryophylli scrup. xv. ammoniaci Thymiamatis scrup. x. opobalsami scrup. vi s. nardini quincuncem, colophonię, gleucini, melini, singul. dextantem, rosacei drach. x. propolis quincuncem, terebinthinæ dextantem, mellis cochlea. x. folij drach. x. spicæ nardi drach. x. ceræ septuncem & unc. s. Vino falerno aut Aminæo terito.

Malagma

A Malagma Nili Splenicum. Et ad omnem duriciam. Cerę lib.j. ammoniaci thymiamatis lib.j. olei cyprini lib.j. croci unc.s. Alij unc.j. habent. Aceti quod satis est.

Malagma Citrinũ. Ceræ, colophoniæ, sing. li.j. ammoniaci thymiamatis, auripigmẽti, calcis, aluminis, aceti, sing. cyath. viij. Arida terito cũ aceto.

Tonsoris Malagma

Malagma Tonsoris. Picis siccæ libram.j. ceræ, resinæ piceæ, ammoniaci Thymiamatis, nitri, baccarum lauri siccarum, adipis taurini, singulorum. libras. ij. farinæ fœni græci sextar. j. pollinis sextar. j. radicis chamæleonis nigri aridæ libram.j.

Stercoris caprini malagma

Malagma ex stercore caprino, Oribasij. Ad splenicos, hydropicos, hepar induratum. Cyprini aut uetustissimi olei lib.iij. ceræ lib. ij.s Pilularum stercoris caprini, baccarum lauri decorticatarum, iridis Illyricæ, sing. sextar. x. terebinthinæ lib.j. sinapis, nitri, cyperi, seminis raphani, corticis radicis capparis, singul. quadrantem, colocynthidis medullæ sextantem, fœni gręci unc.j. Quandoq; arida excipiuntur liquatis. Quandoq; aceto subacta. Si uero fluat uenter, colocynthis non addatur.

Spongiola

Malagma ex stercore caprino, Spongiola, Ad hydropicos. Picis bruttiæ lib.ij.s. nitri lib.j. colocynthidis medullæ, pyrethri, opopanacis, grani, Cnidij, singul, quadrãtẽ, corticis radicis capparis, thuris, iridis, adipis taurini, elaterij, squamæ æris, seminis apij, lathyridum, singul sexũcem. baccarũ lauri, sextar.s. farinæ fœni græci, unc.s. fellis taurini sextantem, olei cyprini sextar.s ceræ lib.j resinæ frictæ lib.iij. caprini stercoris montani, seminis rorismarini, cyperi, cardamomi, singul. sexuncem Malagma ex baccis lauri. Ceræ, resinæ, picis, baccarũ lauri, adipis taurini. singul. lib.j. nitri, ammoniaci Thymiamatis, singul. sexuncem, Aceti quod satis est. Malagma ex seminibus. Cardamomi, cyperi, herbæ sabinæ, nitri, baccarum lauri, cassiæ, meliloti, fœni græci, nardi celticæ, seminis apij, sampsuchi, anisi, radicis panacis, thuris, ammoniaci Thymiamatis, terebinthinæ, singulo.
B quadrantem, mellis, ceræ, nardini, singul. lib.j. adipis taurini lib.j.

Fœtidum malagma

Malagma fœtidum, pleuriticum. Resinæ picęę lib.j. ceræ, rutæ, uiridis, cyprini, singul. sexuncem, silphuris uiui opopanacis, sagapeni, singul. drac. iiij. Quidam etiam galbani drac.iiij. Malagma ex Sampsucho. Ceræ lib.j terebinthinæ lib.ij. sampsuchi, baccarũ lauri, fœni gręci, singul. sextar.j. Nardini quod satis est. Malagma Apollophanis. Ad hepaticos.

Copton Malagma

Ceræ drach. lxxx terebinthinæ, mannæ, singul. drach. xl Irini fece conquassato, & pilam illinito. Malagma Copton, id est quod contunditur. Ad stomachi & hepatis duriciam. Propolis sexuncem, styracis sextantem, mastiches unc.j. terebinthinæ unc.s. fecis nardini quantum sufficit.

Antylium Malagma

Malagma ex œnanthe. Oenanthes, aloes, croci, acaciæ, aluminis scissi, rosarum siccarum, succi absinthij, gallæ, omphacij, rhois Syriaci mannæ, singul drac.j. olei myrtei, ceræ, singul. lib.j. palmulas magnas. v. uini amminœi quod satis est. Malagma Antylium. Aluminis scissi unc.s. aloes unc.j. mastiches scrup.j. œnanthes scru. vi. omphacij. scrup. viij. rosarũ siccarum scru. viij rhois Syriaci scrup. x. spinę Aegyptiæ scrup. x. balaustiorum scrup. xx. gallarum scrup. xv. ceræ quincuncem, olei melini quod satis est. Malagma ex uinaceis. Croci, sandicis, œnanthes, singul. unc. j. aluminis sicci trientem, balaustiorum, omphacij, rosarum floris, baccarũ myrti aridarum, singul. sextantem, ceræ albæ lib.j. olei melini lib. ij. malorũ cydoniorum trientem, palmulas Nicolaos. x. uini Aminœi quod satis est, Vinaceorum aridorum bessem. In usu medicamenti quadrantem, cum cerę unc.j. permisceto. Malagma Anethinum. Anethi uiridis sexuncẽ, meliloti sextantem, chamæmeli sextantem, papaueris capita uiridia. x. Coquito, & decocti lib.iij. & totidem olei misceto ac coquito. Et ubi consumptum fuerit decoctum, adipis porcini recẽtis li. ij. adijcito. et seorsum scillæ assatæ internæ partis sextantem, & medullæ ceruinæ sextantẽ terito, ac om-

Nicolai, palmulæ

nia misceto. Malagma Ambrosia, finiens febrem. Spumæ argenti lib.j. adipis porcini recentis sexuncem, succi seminis lini sexuncem, ceræ albæ dodrantem, rosacei lib.j. mellis quadrantem, croci unc.j. Quidam etiam uitellos ouorum crudos .x. A

De Acopis, Illitionibus, dropacibus ac Sinapismis. Cap. XIX.

Acopa unde dicta ACopa dicuntur ex eo quod primario ad lassitudinis sensum inuẽta sunt, uelut est Tensiuus, ulcerosus, & is sensus qui ossa lassare uidetur. Verum etiam alijs pluribus conueniunt. Quædam enim ex ipsis calfactoria sunt: quædam mollitoria: quædam lancinantia. Calefactoria igitur ex pipere, pirethro, rorismarini semine, & similibus parantur, neruorumq́ affectionibus conducunt, & perfrigerationibus uehementibus, & quæ difficulter recalescunt. Mollitoria uero ad duricias & scirrhos, & compactos articulos, quorum materiam in capite de emplastris indicauimus. At lancinantibus, quæ ex adarce, & rorismarini seminẽ, & euphorbio, & grano Cnidio similibusq́ componuntur, in diuturnis affectionibus, & quæ ægrè exigi possunt, & in quibus Sinapismus etiam conuenit, utimur. Cæterum omnia Acopa spissitudinem inter cerata & emplastra mediam habere conuenit. *Illitionum ratio* Sed & Illitiones acopis consimiles, liquidiorem quodam modo compagem habent. *Dropacis præparatio & usus* At Dropax duplici modo præparatur, altero uelut emplastrum, altero uelut malagma. Quidam etiam calidum ipsum illinũt. Verum materiam acopis & emplastris similem recipit. Vsum autem exhibet cataplasmatis, diuturnis conueniens affectionibus, ijsdem quibus & Sinapismus. *Sinapismi materia* Sed & ante Sinapismũ adhibetur, ut corpus ad sinapim præparet: & post Sinapismũ, ut affectionis reliquias excindat. Sinapismus porrò materiã nõ habet uariã, sed efficacissimus est in diuturnis maxime affectionib. post deuictam aliorum auxiliorum facultatem competens. Commodat autem maxime Cephaleæ, alterius capitis partis affectioni, comitiali morbo, uertiginibus, insaniæ, capiti adhibitus. Verum in anhelatione, rectæ ceruicis spiratione, & tussi ueteri, thoraci. At in diuturna destillatione, etiam caput cum thorace sinapismo integendum est. Sed & stomachum & uentrem, in diuturnis ipsorum affectionibus, sinapismo integimus. Est & conueniens auxilium coxendicibus & podagris, & omni parti resolutę, aut alias perfrigeratæ, ut ægrè recalfieri possit. Modus autem operationis medicamenti sit, ut æger quidem uehementer doleat, caro uero liuidior ac altior fiat, & ut post balneum leniter pustulæ erumpant. Si uero etiam sensus perierit, animaduertere oportet, & frequentius retegendo consyderare. Nam non percipientes, immodice se uri ignorant. Quin & in acutis morbis lethargicos, & aliàs in profundiorem somnum delatos, & sopore detentos, sinapismis integimus, in principio in cruribus. Vbi uero materia statum acceperit, in capite. At in perfrigeratis ut recalfieri non possint, crura & cubitos sinapismo integimus. Porrò uitandus est Sinapismus in his qui febre continua laborant, & his qui ulcus habent. Itemq́ in cartilaginosis & ex carnibus partibus. Comburuntur enim & denigrantur aliquando partes excarnes, dum sinapismo integuntur. B

Bromium acopon Acopon Bromium. Ceræ, colophonię, resinę, sing. lib.j. adipis porcini trientem, butyri sexuncem, althęæ fœni græci, seminis lini, singul. lib.ij olei lib.j. galbani sextantem, & unc.s. Succum cum oleo coquito, donec multa succi pars fuerit consumpta, & reliqua cum cera & galbano adijcito.

Acopon Varium. Succi althææ, fœni græci, & seminis lini, rutæ, cumini, singul. lib.ij. medullæ ceruinæ libram.j. olei ueteris lib.j. adipis anserini, opobalsami, nardini, singulorum libram.j. ceræ, colophoniæ, resinæ, singul. lib.j.s. euphorbij, terebinthinæ, opopanacis, singul. sexuncem, castorij quadrantem. At herbarum ex quibus succus fit, singularum libra una sumatur, & coquatur uelut præcedens.

Azanitæ acopon Acopon Azanitæ. Adipis porcini lib.ij. adipis taurini, resinæ, colophoniæ

A phoniæ, œsypi medicamenti, ceræ singul. lib. j. galbani quadrantem.

Acopon Basilij. Althææ, chamæmeli, meliloti seminis lini, singul. unc. j. s. ammomi quadrantem, Hæc macerantur in uini Ascalonij aut cilicij sextar. viij. ad triduum, & ad mellis spissitudinem coquuntur. Deinde succi lib. v. cum olei ueteris lib. iiij. s. coquuntur, donec modicum succi superfuerit, & adijcitur butyri sexunx, terebinthinæ triens, adipis anserini unc. xv. medullæ ceruinæ cum modico oleo tritæ quincunx, ceræ albæ lib. iij.

Lysiponion

Acopon Lysiponion. Piperis, styracis, castorij, mastiches, aloes, elenij, iridis, singul. trientē, euphorbij, costi, ammoniaci Thymiamatis, myrrhæ, sampsuchi, thuris, cyperi, cassiæ fistulæ, seminis rorismatini, singul. quadrantem, adarces, amomi, bdellij, xylobalsami, singul. sextantem, malabathri, spicæ nardi, pyrethri, croci, singul. unc. j. opobalsami lib. j. nardini, cyprini, gleucini, singul. lib. ij. ceræ lib. j.

Fœtidum Acopon

Acopon fœtidum, Ex opere Galeni de compositione medicamentorū secundū genera. Ceræ, terebinthinæ, singul. drach. xxiiij. galbani, ammoniaci Thymiamatis, singul. drach. vi. olei hemi. ij. medullæ ceruinæ drach. viij. Vtere meraco & resoluto. Aliud fœtidū Terebinthinæ drach. lvi. ceræ drac. xxviij œsypi, mellis, singul. drach. vi. medullæ ceruinæ drac vi. ammoniaci Thymiamatis, galbani, aphronitri, baccarum lauri, sing. drach. vi. olei ueteris sextat. j. Vini cyath. ij. Quidam etiam castorij drach. iij.

Limnitis est adarce

Acopon Barbaricum ex Euphorbio, Ad coxendicum morbum, et multa alia. Opopanacis unc. j. ceræ Tyrrhenicæ lib. j. terebinthinæ lib ij. s galbani unc. j. ammoniaci Thymiamatis sextantē, euphorbij, castorij, piperis albi, sing. sextantē, medullę ceruinę trientē, œsypi trientē, limnitidis (est aūt adarce) unc. s. olei styracini, laurini, irini, amaracini, sing. sexuncē, olei ueteris lib. ij. hedychroi sexuncē. Acopon pyxis appellatū. Colophoniæ lib. j. s. terebinthinæ bessem, ammoniaci Thymiamatis quadrantē, thuris dodrantē, olei ueteris lib. ij. succi seminis lini lib. j. lactis bubuli lib. j. adipis anserini sexuncem, butyri bessē, albumina ouorū, xxiiij. pręparata reponito in uase buxeo.

Pyxis acopon

Acopō ex Abiete, Galeni. Seminis abietis maturi modiū Italicū. j. hoc est sextar. xvi. olei lib. xv. ceræ lib. iiij. resinæ strobilinæ aut terebinthinæ trientē, Semē abietis cōtusum in oleū inijce, & ubi permiseris in ipso. xl. diebus, expressum reijce, & reliquis ammixtis utere, & ad spōtaneas lassitudines, & resolutiones, et articulorū perfrigerationes. Si uero usus necessitas urgeat, semē abietis cū oleo coquere oportet, admixtis ut ne cōburatur, etiā aquæ sextat. iiij. In podagricis & articularibus affectionibus. Aliter Idem. Olei hemi. xxv. hoc est sextar. xij. s. seminis abietis modiū. j. hoc est sextarios. xvi. resinæ abiegnę quadrantē, resinæ strobilinæ aut terebinthinæ quadrantē, ceræ lib. j. Acopon ex populo nigra. Ad easdem affectiones. Pro Abietis semine, parē mensuram seminis populi nigræ conijcito, & reliqua similiter ut illud præparato.

Zosimi illitio

Illitio zosimi, ad tremores celebris. Resinæ piceę sexuncem, ceræ trientem, olei ueteris lib. j. opopanacis sextantē, adarces unc. j. euphorbij unc. j. nitri trientem, aphronitri teneri trientē. Nitrū, euphorbiū, adarcen cū uino terito, deinde opopanacē adijcito ac simul leuigato. Seorsum uero liquabilia cū anchusa liquato, quo inde colorē sumant, & perfrigerata excipito.

Dropax Gallus

Dropax Gallus. Oribasij. Colophoniæ thus redolentis, resinæ piceæ & lignosæ appellatæ, quæ in sola Italia prouenit, picis naualis, picis siccæ, singul. lib. iiij. ceræ lib. iiij. resinæ frictæ unc. xv. picis brutiæ lib. ij. nitri lib. j. bituminis, galbani, adarces, pyretri, singul. sexuncem, opopanacis, euphorbij, ueratri albi, piperis, singu. trientem, sulphuris uiui quadrantem, castorij, ammoniaci, staphidis syluestris, singul. sextantem, olei Sicyonij lib. j. opobalsami sexuncem.

Resina lignosa Italica

Aliter Simplex. Ceræ lib. j. picis siccæ lib. j. s. picis brutiæ lib. j. resinę picęę. li. j. s. resinæ frictę lib. j. & trientē. Loco ex nitro præparato imponito.

Sinapis,

Sinapismi præparatio. Sinapismi præparatio. Caricas pridie in aqua tepida macerare oportet, & postera die probe expressas fortiter tenere. Deinde acre Sinapi, quale est Siriacum & Aegyptium, per se terere, cremore ficuum affuso, & permixta in massas cogere: ita ut sufficientem sinapismum facere ueliimus, duas partes sinapis, ad unam caricarum misceamus. Si debilem, uice uersa. Si uero moderatum, æquales partes. At si anteaquam teratur sinapi aceto maceretur, uelut quidam faciunt, debilius euadit. Cæterum post balarum sinapi, & post balnei usum, si dolor uehemens aut rubor succedat, & bullæ ac pustulæ erumpant, malue aut fœni græci succum cum rosaceo, linteolo in his imbuto, imponemus. Deinde cerato rosaceo cum cerussa utemur. At in resolutis, in quibus sensus oblæsus est, frequentius animaduertere oportet, detegere que ac inspicere. Nam non percipientes sæpe immodice combusti sunt. Sed & caprini stercoris pilulæ cum aceto impositæ, efficaciores sunt quàm Sinapi, & maxime in coxendicum morbo laborantibus. A

Atramenti scriptorij illitio. Illitio ex atramento scriptorio. Rubificans proprie, & maxime hos quibus dimidia capitis pars dolet. Ex Alexandro.

Euphorbij, atramenti scriptorij, singul drach. iiij. myrrhæ troglodyticæ, crocomagmatis, piperis albi, singul. quadrantem, croci drach. ij. Aceti quantum satis est, ut hæc probe terantur, & crassitudo similis strigmento fiat: Et tunc illinito, initio sumpto ab interm edia superciliorũ parte usque ad totũ tẽpus, maxime si locus pilis nudus sit. Et ubi siccata fuerint rursus illinito, & quũ bene opus suũ peregerit auxiliũ hoc, in balneũ hominẽ deducito.

Oleorum & Vnguentorum præparationes Variæ. Cap. XX.

Olea & unguenta uaria. EX Vnguentis & oleis unguentosis quædã sunt simplicia, in quibus una species oleo inijcitur: quædam præparantur, & ex pluribus composita sunt. Et ex simplicibus, quędam ex floribus in oleum positis fiunt, uelut est rosaceum, chamæmelinũ, susinum: quędam ex fructibus & seminibus: quędam etiam ex germinibus quibusdam, uelut rutæ, quæ etiam cum oleo coquuntur, quum nullus flos coctura admittat. Qua propter magis insolantur. Verum si quidem fortem & durantem odoris iucunditatem habeant, si pluribus diebus insolentur, magis tenuium partium & magis utilia, fiunt, uelut rosaceum & chamæmelinum. Qui uero flores debiliores sunt, & facile discutiuntur, hi minus ferunt insolationem, ut qui prompte transpirent, uelut lilium & uiola. Ex his autem quæ ex fructibus & seminibus fiunt, quædam ipsis totis in oleum coniectis fiunt, uelut melinum: quædam confusis aut molitis, & oleoso quod in ipsis est separato, aut expressis ipsis in cochleis, aut per aquam calidam, sic ut separatio fiat, uelut quod ex nucibus fit, sesaminum, amygdalinum, lentiscinum, laurinum, ricininum, raphaninum, & huiusmodi. Quæ uero ex plantis aromaticis fiunt, potissimum ita præparantur, ut illæ in oleo coquantur, cum uino, aut musto, aut aqua, & excolentur, ad oleum uero ammisceantur succi quidam, quandoque etiam adipes, aut medullæ. Ex talibus autem quæ exacte oleosam compagem habent, simpliciter unguenta aut unguina dicuntur, uelut gleucinum, nardinum, cicyoninum, cyprinum. Quę uero acoporum compagem habent, ceram aut uesinam, aut tam lequid assumentia, Myracopa appellantur, quemadmodũ est decamyron, & Amaracinum, & his similia. Et quædam sane una uice coquũtur, quæ materiam non ita uariam habeut, quemadmodum metopium, mastichinum, sicyonium. Quædam per duas, aut tres, aut quatuor iniectiones, ita ut primũ contumaciora coquantur, uelut est aspalathus, spathe, arbor thuris, laurus. Deinde aromata, folium, spica nardi, amomum, herba sabina. Postremũ succi, adipes & medullæ: & si ita contingat, cera & resina inijciantur. At Opobalsami succus omnino non coquitur, sed post perfectam cocturam, refrigerato mediocriter unguento immittitur. Sed & ex ipsis unguentis quædam omnino non admittunt cocturam, sed solum permiscentur, uelut Mendesium. Quidam porro uiride ungentum facere uolentes, tingunt ipsum postquam B

Myracopa.

Viridia ut fiat unguenta.

quàm ab igne ablatũ est, in v. olei sextarios, æruginis rasæ tritæ probe, unc.
A j.S. immitteres, uelut in cyprino & amaracino. Cęterum simplicia ungenta uim habent specierum quæ in ipsa iniiciuntur, aut ex quibus coutusis facta sunt, quum oleum uelut mareriæ rationem in ipsis obtineat. At eorum quæ uaria sunt, tota natura ad caliditatem uergit. Verum quædam uehementer calida & mollitoria sunt, ut etiam atticulis distortis ac compactis conueniant, uelut est Metopiũ, Mendesium, Marciaton. Moderatius autem est pentamyron, quemadmodum rursus decamyron fortius, ut etiam superficiem radat. Quædam uero moderate quidem calida sunt, sed tenuium partium, ideoq; & mitigant & concoquũt, uelur est Susinum, amaracinum, irinum, crocinum, foliatum. Quædam ad hoc quod calefaciunt, satis abundè siccãt, & secandi uim habent, uelut cyprinum & Sicyonium. Quædam uero calida quidem satis sunt, uerum magis corroborant, Vnde stomacho maxime, & uisceribus exolutis conueniũt. Talia sunt mastichinum, nardinum, gleucinũ. Magis tamẽ corroborat quod fit ex uuæ acerbæ succo, omphacio appellato. At quibusdã ungentis propter odoris iucũditatem solũ, mulieres utuntur, ut est foliatũ, spicatũ, commagenũ, & ex moscho facta, moscholea dicta. *Moscholea.*

Rosaceum. Rosarum rubrarum exunguium & per diem ac noctem siccatarum quadrantem, olei omphacini sextar. Italicum j. Vase diligenter constricto ut ne transpirent, insolato sub dio ad dies xl. Et tunc reponito non in pauimento, sed in tabula. Quidam pro insolatione, uas in puteum demittunt ad dies xl. eo quòd ex frigiditate conseruetur odoris iucunditas. Alij ipsum uas in terra defodiunt.

Chamæmelinum. Floris chamæmeli, citra albà folia, per diem ac noctem siccati sextantem, olei sextar. Italicũ j. Vas linteo simplici contegito ut trãspiret & hoc quoq; ad dies xl. insolato post quas secure opertũ reponito.

Anethinum. Comæ anethi uiridis siccatæ unc. j. olei dulcis sextar.
B Ital. j. Similiter insolato. Fieri etiam poterit pro temporis occasione Anethinum, si insolatum non adsit. Sicci enim anerhi comam cum oleo in duplici uase coquimus, & utimur. Fit etiam Chamæmelinum similiter. Verum debiliora hæc sunt illis quæ ex uiridibus fiunt, & insolantur.

Liliaceum, quod alij Susinum. Fortassis ideo quòd in Susis repertum sit, foliorum liliorum alborum similiter siccatorũ sextans, in sextar. olei Ital. j. mittitur, & exacte constringitur ut ne transpiret, & per triduum insolatur. Post quod tempus primis excolatis ac abiectis, alius sextans iniicitur ad aliud usq; triduum, atq; sic reponitur. *Susinum à Susis.*

Susinum compositum. Olei sextar. iij. calami aromatici quincũcem, myrrhæ quincuncem, cardamomi quadrantem, foliorum lilij exunguiũ & siccatorum lib. j. cinamomi quadrantem, croci Cilicij quincuncem, Tota præparatio in tres iniectiones diuidatur. Et primum quidem myrrham & calamum uino ad dies quinq; maceramus, ac ter in die mouemus, & tunc cum oleo ad breuissimum tempus coquimus. Deinde Cardamomum ad triduum aqua maceramus, similiterq; mouemus, & rursus coquimus cum oleo ad unam boram. Postea colantes, ad oleum purum tertiam liliorum partẽ iniicimus: & post triduum excolantes, alteram tertiam liliorum partem iniicimus: & rursus post triduum excolantes, & priora abijcientes, postremam rertiam liliorum partem cum croco trito immittimus. Post aliud autem triduum, excolato oleo cinamomum contusum iniicimus, aut pro ipso, Arnabo, aut cassiæ duplum, aut carpesium, atq; sic reponimus.

Violaceum. Violaceum præparant alij purpureatum, alij crocinatum, alij albarum uiolarũ foliorum exunguium quadrantem iniicientes, in olei omphacini sexrar. Ital. j. Et adstricto uase exactè ut ne transpirent, insolant ad dies x. rer ipsas uiolas post triduum semper, uelut lilia permutanres. Sed & ad repositionem paucas uiolas exactè siccas iniiciunt. *Violæ triplices.*

Melinum. Hoc paratur ex malis cydonijs, forinsecus panniculo detersis,

tersis, & una cum corticibus in frusta concisis, deinde libris. iij. ex ipsis, in sextar. x. Italicos olei omphacini iniecto, & insolato ad dies. xl. A

Sesaminū. Oleū fit, cõtusis aut molitis sesamis, aut p fiscellas in cochlea expressis, aut in aqua calida oleo ipso separato, & in uitreis uasis reposito.

Raphaninum. Et hoc eodem modo in Aegypto fit, ex semine raphanorum tenues radices habentium tuso, & oleo separato.

Ricininū. Et hoc eodem modo in Aegypto fit, ex semine ricini quod croton uocatur, similiter tuso, aut molito.

Croton, ricini semen.

Aegirinum ex populo nigra. Circa ueris tempus hoc fit, quum multa circa semen est resina. Nam grana populi nigræ contundunt, & horum trientem in sextarium j. olei dulcis iniiciunt, & ad dies xl. insolant, aut in duplici uase ad horas. iij. coquunt, & sic excolatum reponunt.

Amygdalinum. Fit & hoc uelut prædictum, tusis amygdalis amaris puris, & modica aqua instillata, & oleoso separato uelut dictum est. Quidam tusorum amygdalorum sextantem, in olei dulcis sextar. Italicum j. immittunt, & in duplici uase coquunt.

Metopium.

Amygdalinum quod & Metopium. Aegyptij qui hoc oleum inuenerunt, Metopium ipsum appellauerunt, eo quod galbanum recipit. Planta autem ex qua fit galbanum, Metopium uocatur. Recipit hæc. Olei omphacini sextar. xx. amygdalorum amarorum lib. ij. cardamomi lib. j. floris iunci odorati, calami aromatici, carpobalsami, singul. lib. j. myrrhæ, galbani, singul. sexuncem, terebinthinæ lib. ij. Vini odorati ad macerandā in ipso arida sextar. iij. Mellis Attici lib. iij. Resinam & galbanum cum parte olei trita ac dissoluta, reliquis coctis iniicimus, & tunc mel addimus. Quum uero omnia exacte permixta fuerint, dum leuiter calidum adhuc est medicamentum ab igne tollimus & excolamus. Frigescens enim crassum fit.

Balaninum. Sed & Balaninum similiter ut simplex amygdalinum fit, non ab his quæ in quercubus nascuntur glandibus, sed ex his quæ ungentariæ glandes & myrobalani appellantur. B

Vnguentariæ glandes Myrobalani.

Quod ex nucibus fit oleum, itidem uelut relatū, ex ueterib. nucibus fit.

Laurinum. Purum quidem laurinū simili modo ut relata, ex lauri fructu fit. Verum quod mixtum est, hoc modo paratur. Ad oliuarum maturarū sextar. v. baccarum lauri sextar. j. iniicitur, teruntur q; omnia ac exprimuntur. Quidam æqualem ex ambobus mensuram sumunt ac miscent.

Lentiscinum. Et hoc similiter ut laurinum paratur ex lentisci fructu, duplici modo, & per se, & cum oliuis non maturis, sed acerbis.

Mastichinum. Simplicissimum quidem fit, mastiches chiæ unc. j. in olei omphacini sextar. j. iniecta, & in duplici uase cocta. Quidam etiam absinthij & styracis singul. unc. j. iniiciunt.

Mastichinum uariegatius. Olei sextar. l. elenij lib. v. xylobalsami lib. x. floris iunci odorati lib. iij. cardamomi lib. vij. mastiches lib. v. xylomastiches lib. viij. terebinthinæ lib. iij. comæ absinthij lib. j. Vini odorati sextar. v. aquæ sextar. x. Arida uino triduo antea macerata, ad oleum & aquam miscentur, & coquuntur horis vi. & tunc mastiche & terebinthina iniicitur, & exacte permixta excolantur, & refrigerata uasis excipiuntur.

Sicyonium simplex. Hoc fit radicis cucumeris sylnestris sextante, in olei sextar. Italicum. j. coniecto, & in duplici uase coctura facta.

Sicyonium uarie paratum.

Sicyonium compositum. Olei sextar. x. radicis cucumeris sylvestris derasæ lib. j. serpylli, meliloti, singu. sexuncem, tedarum pinearum pinguiū, althææ, singul. quincuncem, scolopendrij sexuncem, fœni græci sextar. ij. fœnumgræcū die una in aqua præmaceratur, deinde excolatur, & prædicta iniiciuntur unà cum oleo, & uini sextar. ij. Et ad omnia cocta, medullæ ceruinæ cum modico oleo tritæ triens immittitur, & adipis gallinacei triens. Et excolatū oleum uasis excipitur. Quidā post coctura insolant ipsum ad dies xl.

Sicyonium aliud efficacius. Succi elaterij sextar. iij. aristolochiæ rotundæ

A tundæ & longæ, styracis, elenij, hyssopi, iridis, colocynthidis, pulegij, origani, cyperi, dendrolibani, centaurij, foliorum lauri, singul. sextantẽ, olei sextar. v. Mixta coquito donec parum succi supersit.

Cyprinum ex Posidonio. Olei sextar. xxv, cyperi, elenij, iridis, sing. lib. j. sampsuchi, hyssopi, seminis urticis, saluiæ, sing. quadrantem, floris cypri siue ligustri lib. j. Reliqua omnia in uino die una macerata coquũtur cũ oleo ad horas vj. Ad excolatum autem oleum ligustrum inijcitur, si quidẽ adsit, uiride cum teneris ramulis non contusis, sin minus, siccis cum modica aqua contusis, & coquitur ad sesquihoram. Si uero uelis ipsum tingere, ubi ab igne ademptum est, æruginis puræ unc. j. s. inijce. At Posidonius acrimoniam æruginis fugiens, post cocturam inquit, dimittito oleum in cacabo non obliuo stanno per triduum, & tingetur facultate ipsius non læsa. *Aerugo in unguentis*

Cyprini alia descriptio. Foliorum ligustri, foliorum lauri, iridis, cyperi, saluiæ, singul. quadrantem, dendrolibani, aristolochiæ longæ, seminis urticis singul. trientem, elenij, aspalathi, singul. sexuncem, rutæ sextantem, cupressi sextantem, olei sextar. x. Hæc in uino præmacerata cum oleo coquito, & excolato oleo rursus xylobalsami, xylocassiæ, sing. trientem inijcito, sampsuchi, cumini, myrti, styracis, mastiches, singul. quadrantem, opopanacis sextantem, floris ligustri sexuncem, æruginis unciam unam.

Amaracinum. Elenij lib. x. xylobalsami lib. xx. cyperi lib. viij. floris iunci odorati, aspalathi, herbæ sabinæ, singul. lib. viij. opopanacis, seminis amaraci, singul. lib. ij. Olei primarij sextar. lxxx. Vini odorati sextar. v. Reliqua omnia uino præmacerata primam habeant iniectionem, secundam herba sabina. Et illa quidem horis vj. coquantur, hęc tribus. Quidam etiam hoc tingentes æruginis quadrantem inijciunt. *Oleum primarium*

Irinum. Iridis, aspalathi, cyperi, singul. lib. v. opopanacis quadrantem, anchusæ sextantem, olei sextar. xxx. Aquæ sextar. xv. Quidam etiam
B floris iunci odorati sexuncem adijciunt, & cassiæ quadrantem, xylobalsami sexuncem, celticæ sexuncem. Omnia contusa, aqua & oleo pręmacerentur ad dies v. & in duplici uase coquantur ad horas. vj. & Reponantur.

Crocinum. in quo etiam alterum Crocomagma. Olei omphacini odorati libram unam, calami aromatici quincuncẽ, myrrhæ troglodyticæ quincuncem, cardamomi septuncem, croci cilicij sexuncem. Primæ iniectionis sit calamus & myrrha, quæ tritá uino macerantur per triduum, & ter in die palmacea spathula agitantur. Deinde cum oleo coquantur. Secundæ cardamomum pridie aqua maceratum. Tertiæ crocus uino maceratus. Quidam cum croco etiam alium myrrhæ quincuncem adijciunt. Et excolatum oleũ purum reponunt. Specierum autem fecem subsidentem totam in pastillos efformãt ac siccant, habentq; medicamentum illud quod Crocomagma uocant. *Crocomagma* Mendesium. Inde dictum est, quòd in Aegypto inuentum sit, ubi & Mẽdes colitur. Recipit olei balanini lib. x. In alio sunt sextar. x. myrrhæ, cassiæ fistulæ, singul. quadrantem, terebinthinæ lib. x. In alio sunt sexta. x. Cinamomi quadrantẽ. Hoc non coquitur, sed arida iniecta per dies lx. mouentur. Deinde liquata in olei parte terebinthina immittitur, & postea rursus per alios lx. dies mouetur. Atq; sic reponitur. *Mendesium*

Marciaton. Mastiches, ceræ, styracis, singul. quandrantẽ, œsipi medicamenti unc. s. opobalsami unc. j. s. nardini, gleucini, olei omphacini, singulorum quadrantem, medullæ ceruinæ unc. j. s. terebinthinæ unc. j. *Marciaton*

Vnguentum ex uua acerba. Iniectio. j. Aspalathi, spathæ palmularum, meliloti, iridis, floris iunci odorati, xylobalsami, rosarum siccarum, calami aromatici, singulorum. quadrantem, olei omphacini libras. x. succi uuæ acerbæ sextar. x.

Iniectio. ij. Folij, amomi, spicæ nardi, costi, caryophyli, cassiæ, cassami, singul. quadratem. In alio etiam amabo quadrantem. Vini quod satis est.

Iniectio. iij. Thuris, ammoniaci thymiamatis, styracis, bdellij, myrrhæ, masti-

masticheſ, ſingul. quadrantem, uini quod ſatis eſt, ceræ albæ quincuncem, A opobalſami ſexuncem. Quidam beſſem. Primæ iniectionis medicamenta in ſucco uuæ acerbæ & oleo, die una præmacerantur. Secundæ uero iniectionis in alia pelui, in uino Aminæo, aut alio ueteri & odorato. Moueto quotidie ſpatha palmacea ter, in dies tres. Poſt quos in cacabo ſtanno oblito coquito. Primum primæ iniectionis medicamēta donec parum de uuę acerbæ ſucco ſuperſit. Deinde ſtatim quæ ſecundæ iniectionis ſunt cum uino immittito. Melius autem eſt facta prius colatura, ſic ipſa ad purum oleum inijcere, & poſtquam cocta fuerint, donec pauciſſimum uini reſtet, ut ne comburatur oleum, ablatum ab igne excolato: & rurſus ad oleum purū, tertiæ iniectionis medicamenta ſucculenta prius cum uino, quale dixi, in mortario trita inijcito, ſtyrace excepto: Hic enim cum alijs iniectus facile ſoluitur: & ad prunas coquito, donec bene habere uiſa fuerint, & ablata ab igne refrigerari ſinito. Poſtridie ad oleū diligenter excolatū, & ſufficienter calefactum ſuper ignem, ceram iniјce, & ablata ſpathula commoue, & ubi refrigerata fuerint, opobalſamum adijce, & in uaſis uitreis repone.

Gleucinum

Gleucinum. Iniectio. j. Olei ſextar. x. muſti Aminæi ſextar. vi. aſpalathi trientem, ſpathæ palmaceę ſexuncem, floris iunci odorati ſexuncem, meliloti trientem, roſatum unc. j. myrrhæ quadrantem, foliorum lauri ſextantem, dendrolibani ſexuncem, xylobalſami ſexuncem, elenij ſexuncem, ariſtolochiæ longæ quadrantem, iridis quadrantem, Hæc in muſto macerato.

Iniectio. ij. Celticæ trientē, caſſami ſextantē, cyperi, caſſiæ, ſpicæ nardi, aſari, amomi, coſti, ſampſuchi, ſing. quadrantē. calami aromatici, caryophyllorum, folij ſingu. unc. j. cardamomi trientem, uino odorato macerato.

Iniectio. iij. Maſtiches trientem, myrrhæ troglodyticæ, bdellij, ſingul. ſextantem, ladani quadrantem, ſtyracis liquidi, thuris maſculi, ſingul. trientem, opobalſami ſexuncem. Quidam etiam croci ſextantem. Præparato uelut id quod ex uua acerba fit, excepta cera. Verum hic per. vij. dies, duarum B iniectionum ſpecies macerare oportet.

Nardinum Cizicenum

Nardinū Cizicenum. Iniectio j. Olei primarij ſextar. x. aſpalathi, cyperi, elenij, iridis, xylobalſami, ariſtolochiæ, cardamomi, floris iunci odorati, ſing. ſexuncē, ſampſuchi trientē, herbæ ſabinæ ſextantem. Quidam etiam calami aromatici ſextantem. Hæc in uini odorati ſextar. iiij. macerato.

Iniectio. ij. Caſſiæ, Caſſami, anabo, ſing. ſextantē, ſpicæ nardi quadrantē, caryophylli unc. j. coſti, amomi, ſing. ſextantē. Quidā etiā celticæ ſextantē. Et hęc in uino macerantur. Iniectio. iij. Myrrhæ troglodyticæ, aloes, thuris, ſing. ſextantē, ſtyracis quadrantē, maſtiches trientē, opobalſami ſexuncē. Quidā etiā croci uino triti unc. j. Præparato & hoc uelut dictum eſt.

Decamyron

Decamyron. Spicę nardi, folij, euphorbij, piperis, coſti, adarces, ſing. unc. j. maſtiches unc. j. s. opobalſami ſexuncē, nardini lib. j. ceræ ſexuncem.

Pentamyron

Pentamyron. Styracis unc. j. maſtiches ſextantem, ceræ albę quadrantem, opobalſami trientem, nardini quincuncem.

Foliatum

Foliatum. Folij quadrantē, amomi unc. j. caſſiæ ſexuncē, ladani unc. j. piperis albi grana. xl. myrrhæ troglodyticæ drach. j Contuſa & cribrata ruſus in pila leuigato, olei nardini lib. j. adiecta. Quo uero nigrius pharmacū reddatur, nucum iuglandium cortices uſtos ac tritos in mortario, adijcito. Deinde opobalſami cochlearia tria ammiſceto, ac utitor.

De œnantharijs. Cap. XXI.

Oenantharia unde appellata

NOn quòd œnanthen recipiant hæc, œnantharia appellata ſunt: Quædā enim œnanthen omnino non recipiunt: ſed propter uinum, & florem liliorum, hanc appellationem adepta ſunt. Vſus œnanthariorum apud quoſdam iucundi odoris tantum, & deliciarum gratia aſſumitur, qui ipſis utentes poſt balnea eis profunduntur, & ſpongijs his imbutis menſas detergūt. Verum apud recte utentes etiam auxilia fiunt, in his qui exoluuntur, & syncopem incidunt, ſi ad cataplaſmata ſtomachum corroborantia admiſceantur,

A tur, & in his qui ex morbo febrili maxime ſe recolligunt, qui poſt egreſſus è balneis perfunduntur ipſis, & naribus adhuc ualde inſpirantibus ipſa admouent. Trahuntur enim in profundum, & animalem ac uitalem ſpiritum corroborant. Commoda ſunt etiam his qui ſe præſeruant, ne in peſtilentes morbos incidant, quum aeris mutatio huiuſmodi apparet. Eſt autem Poſidonij tale quod Meſopotamenum uocat.

Oenantharij Meſopotameni præparatio. Caſſiæ, myrrhæ, thuris, folij, amomi, maſtiches, coſti, carpobalſami, opobalſami, ſingul. quadrantem, ſtyracis pinguis trientem, uini odorati Aminæi Italici ſextar. x. Omnia contuſa & cribrata, ſtyracem uero in tenues partes diuiſum, in uas amplioris componito, cum lilij folijs pridie ſiccatis & exunguibus alternatim locatis. Sint aũt lilia numero. ccc. Deinde adijce uinum & opobalſamũ ante iniectionem mixta ac commota, & obturato oſculo uaſis inſolato ad dies. xl. Et utere à balneis, poſt refocillationem ex morbis, & reſpergito ex ipſo domum & uaſa. Tingito item in ipſo ſpongias, & ad faciem apponito.

Aliud. Sicut nos parare ſolemus. Coſti quadrantem, ſpicæ nardi, arnabo, caryophylli, ſingul. unc. j. amomi quadrantem, caſſiæ, œnanthes, calami, ſingulorum dodrantem, ſtyracis opobalſami, ſingul. trientem, lilia. ccc. Vini falerni ſextar. x. præparato ſimili modo.

De Suffimentis & Cyphi. Cap. XXII.

Suffimenta uaria

CYpheos materia media eſt inter paſtillos qui bibũtur, & antidota. Vtimur ipſis quandoq; ad ſuffitus, iucũdi odoris gratia, quemadmodũ etiã Thymiamatis ac ſuffimentis. Quandoq; uero olfacimus ipſa ad cõcoquendas deſtillationes, et grauedines remouendas, & ad cerebrum perpurgandum, & ad præſeruationẽ à peſtilentibus affectionibus. Sed & per os ſumuntur, tum ob eadẽ, tum ut quæ circa thoracẽ hęrent cõcoquant, & ad frigidiores in hepate affectiones. Vnde etiã Cyphiformes antidotos dictas ueteres
B inuenerũt. Miſcẽtur etiã in cõpoſita medicamenta, maxime epithemata & antidotos. Thymiama id eſt ſuffimentũ roſatũ. Coſti, amomi, myrrhæ, caſſiæ, ſing unc. j. ſtyracis, maſtiches, chiæ, bdellij, onychum, muſci, ladani, ſing. drach. ij. roſarum purarum unc. xxix. opobalſami, Vini quod ſatis eſt.

Suffimentum Liliaceum. Liliorum exunguium lib. j. ſtyracis primarij dodrantem, ſpicæ nardi quadrantem, coſti, caryophylli, amomi, maſtiches, onychum uſtorum, mellis ſing. unc. j. s. opobalſami quincũcem, Vini quod ſatis eſt. Terito ac efformato in paſtillos.

Cyphi Solare

Cyphi magnum quod Solare uocant, ex rebus. xxxvi. Styracis, myrrhæ, bdellij, ladani, aſpalathi, elenij, ſingul. ſexuncem, nardi celticæ, folij cupreſſi ſeminis, ammoniaci Thymiamatis, nucis pineæ, ſplanchni, aut pro ipſo onychum magnorum. ij. carpobalſami ſingu. quadrantem, caſſię, iridis, ſeſelis, ſphagni, cyperi, cardamomi, calami aromatici, ſingul. quincuncem, roſarum ſiccarum, croci, ſpicæ nardi, herbæ Sabinæ, radicis aſphodeli, alij ſuccum habent, ſingul, trientem, lacaphthi (eſt autem pini, aut alterius, cuiuſdam arboris cortex) dodrantem, coſti, floris iunci odorati ſingul. ſextantem, baccas iuniperi magnas. xl. & paruas. l. amomi, terebinthinæ, palmularum puratum, ſingul. lib. j. caricarum exemptis granis, uuarum paſſarum exemptis uinaceis, ſingul. lib. ij. Mellis deſpumati lib. v. Poſidonius etiam uini odorati ſextar. ij.

Lacaphthum quid ſit

Cyphi lunare

Aliud. cyphi Lunare appellatum, ex rebus. xxviij. Bdellij, elenij, ſingul. ſeptuncem, iunci rotundi ſextantem, ſphagni quincuncem, baccas iuniperi paruas. l. cardamomi quincuncem, aſpalathi ſeptuncem, caſſiæ fiſtulæ quincuncem, ſpicæ nardi ſextantem, cyperi quincuncem, aſphodeli radicis, ſabinæ, ſingul. trientem, ſeminis cupreſſi, nardi celticæ, malabathri cũ folijs, roſarum ſiccarum, ſingul. quadrantẽ, coſti, croci, ſingul. ſextantẽ, ladani, myrrhę, ſingu. ſeptuncẽ, caricarũ pinguium, uuarum paſſarum exemptis uinaceis, ſingul. lib. ij. nucum pincarũ beſſem, terebinthinæ lib. j. ſtyracis ſe-

ptuncem, palmularũ pinguiũ lib. j. Mellis lib. v. Vini odorati quod satis est.

Masucha Masuaphium

Praeparatio Masuchae quam aliqui Masuaphium uocant.

Caput. XXIII.

Meliloti dextantem, xylobalsami, aspalathi, herbae sabinae, myrrhae, amomi, floris iunci odorati, foliorum lauri, staeches, styracis, calami aromatici, sampsuchi, singulorum sextantem, iridis quincuncem, folij, croci, singulorum unc. j. opobalsami unc. s. gummi lib. j. rosarum siccarum sexuncem, Vini quod satis est.

De pessis, ex Antylo. Cap. XXIIII.

Pessi siue tali triplices

Pessi siue Tali, utero adhibentur. Differentiae ipsorum secundum genus tres sunt. Quidam enim molliunt. Quidam adstringunt. Quidam oscula uenarum aperiunt. Mollientibus igitur in uteri inflammationibus, ulcerationibus, perfrigerationibus, recurribus sursum uersus, auersionibus & inflationibus utimur. Parantur autem ex cera Tyrrhenica, cyprino, susino, adipe anserino aut gallinaceo, butyro insulso, resina usta, medulla ceruina, foenograeco, & quae eiusdem generis sunt. Aperientibus autem oscula uenarum, quum purgationem suppressam reuocare uoluerimus, aut uteri conclusionem aut contractionem corrigere. Parantur hi ex melle, artemisia, dictamno, brassicae succo, radice dulci, porri succo, ruta, scammonia, & similibus. Atuero adstringentes contrarium his qui aperiunt, usum exhibent. Nam fluxum muliebrem cohibent, & expassum uterum contrahunt, & prolapsum repellunt. Verum materia adstringentium antea indicata est in tractatione de collyrijs & pastillis. Oportet autem stringentium & paulo crassiorem facere pessi spissitudinem. Deinde lanam linamento angusto similem duplicatam in medicamentum tingere, & ad uteri osculum apponere, ita ut filum oblongum habeat annexum, quo pessus facile extrahi possit, ubi id usum fuerit.

Pessi forma

Pessus Croceus, ad inflammationes, & auersiones, duritiasq; ac inflationes. Cerae albae, medullae uitulinae, singulorum drachmas. xvi. medullae ceruinae drachmas. xi. adipis anserini drachmas. viij. adipis gallinacei drachmas. viij. masticheς drachmas. iiij. oesypi medicamenti drachmas. iiij. mellis drachmas. ij. croci drach. viij. Rosacei quod satis est. Crocum cum lacte muliebri terito.

Pessus Arcus molliens optimus. Croci drach. j. oesypi drach. j. medullae ceruinae drac. ij. terebinthinae, cerae, adipis anserini, singul. drach. iij. o. uorum assatorum uitellos. xvi. irini & rosacei ex aequo quod satis est.

Pessus Libanius, menses ducit, & ad uterinas affectiones egregie coducit. Vnguenti nardini sexuncem, cerae Tyrrhenicae quincuncem, unguenti susini trientem, adipis porcini recentis quadrantem, adipis anserini, gallinacei, medullae ceruinae, unguenti amaracini, singul. sextantem, adipis taurini, terebinthinae, oesypi, singul. unc. j. Liquatur in duplici uase, quemadmodum etiam omnes alij pessi.

Enneapharmacus

Pessus Enneapharmacus. Vnguẽti rosacei, ricinini, terebinthinae, cerae, mellis, adipis anserini & bubuli, medullae ceruinae, butyri, sing. equales partes. Pessus Titianus emolliens. Cerae sexuncem, colophoniae trientem & unc. s. adipis taurini trientem, ammoniaci Thymiamatis trientem, Ammoniacum cum aqua terito.

Pessus Aegyptius. Mellis, terebinthinae, butyri, rosacei, aut susini, croci, singulorum partem. j. Verum in non inflammatis & sordidis, etiam aeruginis dimidia pars additur.

Pessus Genitura appellatus, Ad concipiendum. Butyri sexuncem, oesypi medicamenti, medullae ceruinae, adipis anserini & gallinacei, terebinthinae, aloes, singulorum quadrantem, cerae Tyrrhenicae sexuncem, rosacei libras. ij. myrrhae, cassiae, singulorum sextantem, spicae nardi unciam. j. Mellis quantum satis est.

De

De medicamentis inter se uicissim succedaneis. Ex Galeno. *Succedanea*

A

Caput XXV.

IN Alexandria, inquit, quum muliercula quadam periclitante quæsiuissem lychnidem, nec reperissem: si nõ statim pro lychnide, acanthij semine comperto usus essem, perijsset mulier. Quare rogatus à sodalibus, ad hanc succedaneorum inter se uicissim medicamentorum descriptionem iuxta ordinem literarum deueni, ab hoc ipso initium facturus.

A

ACanthij semine, lychnis.
Abrotono, origanum.
Agallocho, calamus aromaticus.
Agarico, epythymũ, aut euphorbiũ.
Agriostaphide, palmulæ Syriacæ.
Anchusa, hyacinthus.
Acacia, lentisci succus.
Acantha, acanthi siliquæ.
Acanthi siliquis, Acantha.
Aconito, iridis syluestris radix.
Acoro, asari radix.
Alumine, sal fossilis.
Alumine scisso, malicorium.
Actæa, glaucium aut fimus ouillus.
Acte, è sambuco, acantha.
Alicacabo, Solani fructus.
Aloe, ibidis fructus.
Aloe Indica, aloes uiridis folia, glaucium, Lycium, aut centaurion.
B Ammio, anisum.
Amianto, aphroselenon.
Amylo, pollen siccus.
Amygdalis amaris, absinthium.
Ammoniaco Thymiamate, propo/ (lis.
Adipe uulpino, ursinus (lis.
Adipe ceruino, anserinus. (tus.
Adipe uitulino, adeps porcinus ue/ (tus.
Adipe hyænæ, adeps anserinus, aut uulpinus.
Adipe crocodili, adeps canis marini
Amomo, acorus.
Aniso, Daucus.
Araco, sesamum.
Argemona, seriphium.
Aristolochia, clematitis sicca.
Aristolochia rotũda, aristolochia lõ (ga.
Armala, nasturtiũ Babyloniciũ. (ga.
Armenio, Atramentum Indicum.
Asaro, zingiber.
Asio lapide, lapis gagates, aut sal ammoniacus, aut sandaracha.
Aspalatho, ericæ fructus, aut uiticis semen.
Asphodeli radice, betæ succus.
Absinthio, abrotanum.
Auripigmento, sandaracha.

B

BItumine, pix liquida aut terra ampelitis.
Balaustio, hypocistis aut Cytini.
Balsamo, myrrha stacte.
Bdellio, sphagius aromaticus.
Besasa, semen rutę syluestris, aut hor
Buprestis, blattę cap. detracto. (tẽsis.
Butyro, lactis bubuli concrementũ.
Buccinis, ostrea.

C

CAdmia, leucographis Aegyptia
Calamo aromatico, sphagnus.
Calamintha, syluestris menta.
Cantharidibus, phalangia. (dix.
Capparis radice, ericę aut myricę ra
Cardamomo, cyperꝰ xylocarpasum.
Casia, cinamomi dimidium aut herba sabina.
Castorio, silphium.
Canchry, lauri baccæ aut pyrethrũ.
Cedria, baccæ cedri.
Cedri baccis, ladanum.
Calce uiua, adarce.
Ceraunio, leucographis.
Cera, faba fresa cum propoli cocta ac trita.
Cerussa, plumbi recrementum, ad plumbum ustum.
Chamædri, rumicis syluestris radix.
Cicuta, psyllij semen.
Chamæmelo, anthemis.
Chamæliouis succo, salicis succus.
Chalcantho, squamæ æris.
Cinnabari, Rhodoides.
Cinamomo, cassiæ duplum, aut herbæ sabinæ duplum.
Clinopodio, heliotropium.
Cnici semine, uiticis semen.
Colocynthide, Ricini semen.
Colophonia, pix naualis.
Corallio, Moly, aut symphitum.
Costo, ammoniacũ, cedri baccę, ele
Cotyledone, Onocardiũ. (niũ.
Chrinanthemo, aphrodysias.
Croco, crocomagma.
Crocomagmate, Aloe Indica.

Cumino Aethiopico, Melanthium.
Cynosbato. Solani fructus.
Cypero, Iuniperus magna aut car/damomum.
Cyphi, carica usta.
Cornu cerui, cornu capræ.

D

DAmasonio, Carpesium aut ca/lamintha.
Dauci semine, laueris semen.
Dictamno, pulegium, aut saluia.
Diphryge, misy torrefactum, aut la/pis phrygius, aut æs ustum, aut lapis pyrites.
Dorycnio, hyoscyami semen.
Dracunculo, aron.

E

EBeno, loti arboris lignum.
Ebisci radice, radix papyri.
Elaterij succo, porri succus, aut eius/dem herbæ succus.
Elleboro nigro, struthij radix.
Enneaphyllo, potamogiton.
Epithymo, colocynthidis semen.
Ericæ fructu, galla omphacitis.
Erysimi semine, struthium.
Erinei folijs, folia mori.
Erucæ semine, erisimi semen.
Eupatorio, chamæpitys. (stris.
Euphorbio, stercus columbæ sylue/
Eruca pini, Vespæ cum cedria.

F

FEce uini usta, sandaracha.
Fellæ uiperæ, fel Ichneumonis.
Felle cameli, fel stellionis.
Felle mustelæ, fel simiæ.
Felle hyenæ, fel perdicis.
Filice, Vrticæ semen.
Folio, spica nardi, aut Iris Illyrica.

G

GAlbano, Sagapenum.
Galla, myricæ fructus.
Gentiana, Elenium.
Gentianæ radice, apij aromatici ra/dix, Est autem petroselinum.
Glycyrrhizæ succo, succus mori.

H

HEderæ succo, succus persicus.
Hyacintho, Flos Isatidis. (ctus.
Hyoscyami semine, cynosbati fru-
Hypocistidis succo, acaciæ succus.
Hyperico, anethi semen.
Hippuride, chamæpitis.
Heliotropij semine, rapi semen.
Hormini semine, semen lini.

I

IRide Illyrica, Elenium aromaticũ. A
Iunco aromatico, cardamomũ aut
Iunco, polygoni radix. (cinamomũ.
Iuniperi baccis. Oysterus.

L

LAdano, sampsuchus.
Lathyride, granum Cnidium.
Lapathi radice, radix pyrethri.
Lauri baccis, serpyllum aridum.
Lapide Asio, gagates lapis.
Lapide phrygio, lapis argyrites aut pyrites.
Lapide pyrite, lapis pirobolus.
Lapide Magnete, lapis phrygius.
Lentisco, terebinthus.
Lepidio, erythrodanum.
Lepidij radice, folia capparis.
Lepore marino, concha marina.
Lennio sigillo, sandaracha.
Leucoij Flore, struthion.
Lini semine, fabarum succus.
Loti semine, betæ semen.
Lygustici semine, radix eiusdẽ, aut pastinacæ, aut laueris semen.
Lychnide, acanthij semen.

M

MAlabathro, cassia, aut cupres/sus pilulas ferẽs, aut spica nar B
Malua, fœnum græcum. (di.
Mandagrora, dorycnium.
Malis cydonijs, melilotum.
Manna, thuris cortex.
Mastiche, lentisci succus.
Medulla cerui, adeps ceruinus, aut medulla uituli.
Medulla uituli, œsypus, aut medul/
Meliloto, lotus syluestris. (la cerui.
Melle, sapa. (tum.
Melle Attico erudo, Mel despuma/
Meo, myrobalanus
Mendesio uino, uinum Italicum
Misy torrefacto, diphryges.
Misy cyprio, ochra cypria.
Menta, calamintha.
Molybdæna, spuma argenti.
Mori succo, rubi folia.
Myrobalano, peucedanum.
Myrteo uino, Mori succus.
Myrteo oleo, lentiscinum aut me/linum.
Myrrha troglodytica, calamus aro/maticus.
Murium stercore, muscæ parimen/sura.

Napi

N

A NApi semine, rapi semen. (cus.
Nardo Syriaca, iuncus aromati
Nardo Indica, Nardus celtica.
Nucleis pineis, cucumeris semen.

O

Ochra, Misy cyprinum.
Ocimo, sisymbrium.
Ocimoide, menta syluestris.
Oenanthe, omphacium siccum.
Omphacio, Rhois succus.
Oleę lachryma, hypocistidis succus.
Oleæ Aethiopicæ lachryma, acaciæ partes duæ.
Oleo ricinino, laurinum aut uetus.
Oleo ueteri, Sicyoniū, aut dupliū olei coquito cū adipe suillo ueteri.
Onocardio, psyche herba.
Opopanace, castoriū, lac sycamini id est mori, pix liquida.
Ornithogalo, Anthyllis.
Oryza, farina hordeacea.
Ostreis, buccina. (ui.
Ouorum uitellis assatis, medulla cer
Oesypo medicamēto, medulla uitulina.

P

PAnacis radicis uncia una, opopanacis drach. j.
B Pipere, zingiber.
Pipere albo, nigrum duplicatum.
persææ folijs siccis, rosas siccas.
Peucedano, glycyrrhizes succus.
Picelæo, pix liquida.
Pice brutia liquida, bitumen, pix uernacula abunde, aut cōmunis pix cocta cum aceto.
Pice liquida, oppanax.
Polij semine, erucæ semen.
Polygoni succo, succus Plantaginis
Polypodio, chamælæa.
Polytricho, absinthium.
Pompholyge, cadmia usta.
Potamogitone, serpillum.
Populę nigræ ramulis, sampsuchus.
Propoli, ladanum ammoniacum.
Psyllio, lens palustris. (dix
Pyrethro, zingiber aut lapathi ra-
Phu, sphagnos.
Phyco id est fuo, anchusa.
Pulegio, hyssopus.
Pumice, terra cretica.
Plumbo usto, cerussa.

R

RApo, heliotropium,
Raphanino oleo, ricininum
Rheo, centurinum. (argenti
Recrementum plumbi, recrementū
Recremēto cyprio, melanteria Aegyptia.
Resina colophonia, pix naualis.
Resina pini, terebinthina.
Resina picea sicca, sagapenum.
Resina terebinthina, resina pini.
Radice lapathi, radix cinnaræ.
Radice cinaræ, radix asphodeli.
Rosis siccis, folia persęę siccæ.
Rodoide, sinopis rubrica.
Rhoe syriaco, lapathi radix.
Rhoe culinario sicco, sampsuchus.
Rubigine ferri, recrementum ferri, aut squama ferri, aut spuma argēti.
Ricino, sordes è palestra.

S

SAgapeno, galbanum, aut resina picea sicca.
Sabino oleo, ricininum oleum
Salamandra, lacerta uiridis
Saluia, calamintha.
Sampsucho, rhus culinarius.
Santonico, abrotonum.
Satyrio, erucæ aut saluiæ semen.
Serapiade, pæoniæ radix.
Serpyllo, potamogitō, aut pyrethrū
Sēperuiuo, folia aut succus lactucæ.
Sepiæ testa, pumex.
Sesamo, semen lini,
Sesamoide, quod ab amarantho expresso restat,
Scammonia, colocynthis, ricini seminis pars interna, lathyris.
Scinco, satyrium.
Scilla, bulbus.
Sinapi, nasturcium.
Sio, id est lauere, asparagi aut ligustici radix.
Sisone, anisum.
Sisimbrio, ocimum.
Spodio, pompholyx.
Spodio cyprio, cinis foliorum oleæ
Stibio, squama æris.
Stœcade, chamedrys.
Sori, diphryges, aut melanteria.
Struthij radice, elleborus niger aut euphorbium.
Sale ammoniaco, sal cappadocicus
Salis flore sandaracha.
Styrace, castorium.
Symphyto, centaurium. (nicū.
Sinone syriaco, petroselinū macedo
Syrico, spuma argenti.

Sphagno, iuncus odoratus, herba Sabina.
Sphondilio, spodium cyprinum, aut cinis foliorum oleæ.
Susino oleo, oleum fœni græci.
Succo balsami, myrrha stacte, succus carpasi, fructus balsami.
Succo Thebaico, succus papaueris
Succo salicis, succus hederæ nigræ.
Succo carpasi, succus myrrhæ.
Succo cyrenaico, succus Syriacus, laser, aut silphij succus. (cus.
Succo papaueris, Mandragoręsuc-
Succo mori arboris, hederæ succus.
Succo persico, hederæ succus.
Succo peucedãi, glycirhizęsuccus.
Succo Rhododaphnes, uiscũ quer-
Succo fici, succus mori. (cinum.
Succo syriaco, succus mori.
Sulphure uiuo, sandaracha.
Stercore felis, stercus Ichneumonis.
Stercore uulturis, columbęstercus.
Stercore lupi, stercus caninum.
Stercore turturis, stercus columbæ.

T

TErebinthina, mastiche, aut resina strobilina.

Terra tenera, plumbago.
Terra astere, terra Cimolia.
Terra eretriade, calx Thebaica.
Terra cretica, terra Erethria.
Terra Samia, leucographis Aegy-
Terra Megara, spuma salis. (ptia.
Thapsia, nasturtij aut erucæ semen.
Thapsiæ succo, chamæleonis nigri
Thermuntiade, lycopsis. (succus.
Troxinus id est intubis, maiulium appellatum siue lactuca.
Thure, terra ampelitis.
Thuris cortice, manna thuris.

V

VErbenaca, chamæleuce.
Vino Italico, uinum Mēdesiũ.
Vino Rhodio, uinum austerum.
Vino Syriaco, uinum Rhodium.
Vua acerba, malicotium, aut galla omphacitis. (caro.
Vua passa satiua palmulæ Syriacæ
Visco quercino, chamæleo albus.

X

XYlobalsamo, Radix leucoij.
Xylocarpaso, cinamomum.

Z

Zingibere, pyrethrum.

De ponderibus & Mensuris. Cap. XXVI.

Pondera Mensuræ POndus grauitatis mensu indicatur: Mensura autem uasculi capacitate. Vasculum uero tum aridæ, tum liquidæ quantitatis mensura existit. Quare tres omnino dimensæ quantitatis sunt differentiæ: Vna quidem ponderis: altera uero rerum aridarum, utpote quæ uelut in aggerem accumulatur: Tertia autem liquidorum. Cæterum quum penè infinita pondera ac mensuræ, tum pro locorum, tum pro eorum qui eis utuntur consuetudine, existant: de his saltem quæ omnibus maxime familiaria sunt, nobis sermo erit.

De ponderum ac Mensurarum notis.

Notæ ponderum ac mensurarum Verum quum quidam non integris literis, sed per notas hæc ipsa pondera ac mensuras significent, præstiterit fortassis & nos in hac parte ueteres imitari, atque primum characteres ipsos declarare. Primum igitur litera. χ, ubi. a. literam habuerit incumbentem, chalcum id est aereum significat, hoc modo. χ̄. Si uero. o. ipsi. χ. incubuerit, choa id est congium demonstrat, sic. χ. Si. οι. chœnicem, χ. Si. κ. cheman, χ. κ. uero litera si incumbens. ι. habeat, & linea recta inferiorem ipsius apicem per obliquum secet, ceratiõ, id est siliquã significat, hoc modo. Κ. Quodsi. υ. ipsi. κ. incumbat, cyathum significat, sic Κ. Si uero. ο. cotylam id est heminam, Κ. Porrò linea circumflexa, quam nihil aliud circumstat, & quæ omnino per obliquum ponitur, obolum denotat. ∽. Si uero duæ sunt lineæ, quas nihil circumstat, duos obolos signant. ∽∽. Qui gramma, hoc est scrupulum faciunt, quod per literam. r. quæ. ρ. adiectum habet, denotatur, recta amplius linea ipsum. ρ. secante, hoc modo. rρ. Duæ autem lineæ iuxta alteram extremitatem consertæ, angulumque constituentes, ad similitudinem duorum apicum, qui in ipsius. κ. literæ pictura, ad rectam lineam adscribuntur, drach. significant, quæ & Holca cognominatur, hoc modo. ∠. Proprie autem holca

ca per λ. literam notatur, ο. litera medium eius occupante, hoc modo ƛ.
A Quod si ι. litera ad λ. apponatur, libra significatur, λι. Aliqui tamen alteram ipsius λ. lineam per obliquum alia linea secantes, libram denotant sic, /λ. At uero litera r. intra angulum suum ο. literam habens, unciam significat, ℞. μ autem iuxta medium ipsius ν. habens, minam denotat, Μ̈. Si uero ν. habear, mystrum, Μ̈. Si ε. medimnum, μ'. Si ο. modium, μ'. Porro τ. literam ρ. complectens, & ν. incumbens habens, Tryblium significat, τρ. ξ. autem supra se ε. habens, xesten, id est Sexrarium designat, ξ. Si uero ο. habeat supra scriptum, oxybaphum, id est acetabulum, ξ. Aliqui tamen Xesten per ξ. denotant recta linea dissectum, hoc modo ξ. κ. autem incumbens μ. habens, heminum indicat, μ. Κ. uero cum ε. connexum, incumbente ipsis litera μ. ceramium signat. Κε͂.

De ponderibus.

Mna, id est Mina Attica & Aegyptia habet uncias	xvj.
Mina Romana habet uncias	xx.
Libra Vncias	xij.
Vncia drachmas	viij.
Drachma scrupulos	iij.
Scrupulus obolos	ij
Obolus siliquas	iij.
Siliqua æreos siue æreolos	ij. duasq; tertij partes.

Ita ut obolus æreolos viij. complectatur.

De Mensuris liquidorum.

Mensuræ liquidorum

Italicum Ceramium habet, Choas viij.
Chus siue Congius, Sexrarios vj.
Sextarius cotulas ij. quæ & Tryblia appellantur.
Cotula siue Tryblium, magna mystra. iij. Acetabula uero. iiij.
Magnum enim mystrum continet Acetabulũ. j. & tertiam ipsius partem.
B Acetabulum uero sesquicyathum habet.
Cyathus chemas paruas, aut mystra parua ij. habet.

Quod si uelis liquidorum iuxta pondus scire dimensionem: Multę enim rerum liquidarum differentiæ iuxta lancis momentum existunt: idipsum ex olei, uini, & mellis exemplo docebimus. Mel igitur uino grauius est quarta ampliusq; decima parre, quod ferè totum tertiam eius partem facit. Habet enim eadem mellis ad uinum mensura, rotum uini pondus, accedente insuper tertia eius ponderis parre. Ad oleum autem mel dimensum, dimidia eius parte ponderosius existit. Habet enim totum olei pondus, atq; insuper dimidiam eius ponderis parrem. Vinum uero nona parte oleũ excedit. Habet enim põdus ipsius totũ, ampliusq; nonã eius põderis partẽ. Quæ res ut magis euidẽs et manifesta fiat, omniũ mensurarũ põdus sigillatim subiecimus, uelut in tabella depictũ: ita ut manifestè cõstet, quòd per põdera quæ singul. mensuris subiecta sunt, oleum, Vinũ, & Mel, ex ordine demõstrãtur:

Olei	Vini	Mellis
	Ceramium Italicum habet	
Libras lxxij.	libras lxxx.	libras cviij.
	Cbus siue Congius habet	
Libras ix.	libras x	libras xiij. & dimidiam.
	Sextarius habet.	
Vncias xviij.	uncias xx.	uncias xxvij.
	Cotula siue hemina habet	
Vncias ix.	uncias x.	uncias xiij. & dimidiam.
	Magnum Mystrum habet	
Vncias iij.	uncias iij. scrup. viij.	uncias iiij & dimidiam.
	Acetabulum haber	
Drach. xviij.	uncias ij. scrup. xij.	uncias ij. scrup. ix. Drach. xij.

	Cyathus habet	
drach. xij.	sesquiunciam, scrup. iiij.	uncias. ij. drach. ij.
	Paruum Mystrum habet	
drach. vj.	scrup. xx.	drach. ix.

Oribasius autem iuxta Adamantium, Sextarium Italicum, uini quidē iuxta mensuram, uncias. xxiiij. habere ait: iuxta pondus uero, lib. j. unc. viij. sextarium autem mellis, librarum duarum & dimidiæ pōdus habere tradit.

Mensuræ aridorum

De Mensuris Aridorum.

Aegyptia Artaba continet Modios. iij.
Modius Aegyptius & Italicus habet chœnices. viij.
Chœnix Sextarios. ij.
Sextarius semissextarios ij, qui & Heminæ appellantur.
Hemina autem habet cyathos. viij.
Atticus Medimnus continet Hemiecta. xij.
Hemiectum autem seu Semodius, chœnices. iiij.
Quo fit ut Medimnus habeat Modios vj. chœnices. xlviij. sextarios. xcvj.
Cæterum pondus harum mensurarum non facile est proferre, quòd immensa diuersitas rerum aridarum, iuxta lancis inclinationem existat.

Finis librorum 7. Pauli Aeginetæ, Iano Cornario Medico Interprete.

Pondera Latina ab interprete usurpata.

Libra		Vncias xij.
Deunx		Vncias xi.
Dextans		Vncias x.
Dodrans		Vncias ix.
Bes uel Bessis		Vncias viij.
Septunx		Vncias vij.
Sexunx uel Semissis.	habet	Vncias vj
Quincunx		Vncias v.
Triens		Vncias iiij.
Quadrans		Vncias iij.
Sextans		Vncias ij.
Vncia		Drach. viij.
Semuncia		Drach. iiij.

S. hæc nota dimidium pondus cuiusq; ponderis significat, hoc est Semis. Reliqua pondera ac Mensuræ iuxta Pauli traditionem usurpata sunt.

